STATERA SACRA
MISSAM

Iuxtà Ritum Ordinis Prædicatorum
practicè, historicè, & mysticè
expendens

Quoad propria, nec non sibi cum Sancta
Romana Ecclesia communia.

OPVS

Cartusiensibus etiam, ac Carmelitis,
Nec non & Romano Missali vtentibus;
Rerum deniquè Liturgicarum studiosis quibuscumque
perutile.

AVCTORE
FR. MARCELLO
DE CAVALERIIS
Eiusdem Ordinis

Apud Eminentiss. & Reuerendiss Dom.
S. R. E. CARDINALEM VRSINVM
Archiepiscopum Beneuentanum
Theologo.

NEAP. Typis Hæredum Lucæ Antonij de Fusco
Superiorum Permissu)(1686.

REVERENDISSIMO PATRI
Sacræ Theologiæ Magistro
Ordinis Prædicatorum Generali Procuratori
FRATRI
IACOBO
RICCIO,

OPtimam ſortē libello meo auſpicor, Reuerendiſſime Pater, dum Aræ excelſi tui meriti eum ſiſto venerabundus. Qui Religionis præcipui operis præſefert argumentum, tuo dicatū nomini prodire par eſt in publicum, qui ad cæteras tuas laudes iſtud adijcis,quod ea, quæ vel minima cenſeri poſſunt, ſi Religionis ſenſum ingerant, amore ſummo proſequeris. Cui deferri potiore iure debuit, quàm tibi, qui moribus,& factis exhibes,quidquid ille pietatis,& ſacræ diſciplinæ,calamo,& dictis continet indicatum? Quod ſi me libelli auctorem attendas, hoc etiam nomine eum tibi ſtatim vendicas;nam (& ea omiſſa faciens, quæ me, meaquè ſingularibus tibi titulis obſtringunt) eius ſum Ordinis alumnus,

qui virtuti tuæ, & meritis summopere debet; ex gloria, quam eidem concitasti, siue Sacræ Indicis Congregationi à secretis fueris, siuè in arduis Apostolicæ Sedis negotijs adhibitus: omnium consilio, omniumqué saluti nunquàm non expositus: magno apud Summos Pontifices honore; magno apud Principes sæculares amore; magno apud omnes cultu, & animo. Nemo enim non eas in te miratur virtutes, atque animi, quæ Angelicum sapiunt, dotes, quibus in nunquam satis commendatæ, veneratæqué memoriæ *Michaele Angelo Riccio* Cardinali amplissimo Vrbs, & Orbis se destitutum deplorat; dum eas in te ità reddis, vt te Germanum illius Fratrem non tàm natura fecerit, quàm meritum exprimat. Romæ, atque per insigniores Italię Ciuitates à te dissipata doctrinæ, qua præfulges, semina, deprædicat, quę inde exurrexit sapientum hominum seges vberrima. Quæ per quatriennium tuo gubernio subfuit Romana Prouincia, exaltat suauissimam illam morum comitatem, qua tibi facilè omnes deuincis, neminem terres; indefessam in promouenda regulari obseruantia solicitudinem, qua moderari scis subditos, sed sine fastigio, reformare mores, sed sine fastidio; præesse passus dignitate, vt præesse posses & pietate; nullo magis assuetus iubere modo, quàm exemplo. Te deniquè Generali Procuratore congaudet, plauditquè integer Ordo, qui sub tutela tua nunquam non secunda incrementum suscipit; statum sub tua aucto-

ritate

ritate tutum obtinet ; ex tua in rebus agendis ſolertia florentem habet;ex tua felicitate propemodum beatum ſperat . Qualemcunque ergo hunc meum tot tibi titulis debitum laborem, tuis inhiantem auſpicijs, beneuolus excipe,tanquam ſymbolum Religioſiſſimi tui animi ex ſuo argumento ; inſignis tuæ pietatis, ac zeli ex materia ſua;gratitudinis veró ex auctore ſuo

Paternitatis tuæ Reuerendiſſimę

Addictiſs. & obſequentiſs.ſeruo,& Sobrino
Fr. Marcello de Caualerijs .



Remissum mihi pro reuisione à Reuerendissimo P.F. Antonio de Monroy Ordinis nostri Generali Magistro Opus, cui titulus est: *Statera Sacra &c.* Singulari animi mei sensu perlegi, atque nedum aliquid fidei, aut bonis moribus aduersum in eo minimè reperi, verùm, & quę ad praxim, & quæ ad historiam, & quæ ad mysticum sensum Ceremoniarum Missæ priuatæ secundum Ritum Ordinis Fratrum Prædicatorum, ita dilucidè æque ac breuiter, & solidè explicata inueni, vt meo quidem iudicio Opus hoc nedum typis vulgari, sed & ab omnibus Ritum Dominicanum in Missis celebrandis obseruantibus, continuò manibus teri dignum sit, quin & necessarium. Ita sentio. Romæ 6. Iunij 1684.

Fr. Raym. Maillat Theologiæ Lector Ord. Prædic.

IVssu Reuerendissimi Patris Nostri Magistri Generalis F. Antonij de Monroy, summa cum attẽtione, nec minori delectatione perlegi Librum, cui Titulus, *Statera Sacra Missam iuxtà Ritũ Ordinis Prædicatorum Practicè, Historicè, & Mysticè expendens, quo ad propria, nec non sibi cum Sancta Romana Ecclesia cõmunia. Auctore F. Marcello de Caualerijs &c.* Opus diù desideratum publica luce dignum censeo. Nihil enim in ea Statera inueni, minus habens de catholica fide, aut bonis moribus. Quin ponderant omnia eruditè, non minus quàm piè conscripta. Et Auctorem suum in sublime agunt perenni laudum corona decorandũ. Vtinam Sacerdotum teratur manibus, vt cum sciẽtia cæremoniarum cõscientiæ simùl præcepta discant, ad diuinissimum Missæ Sacrificium, qua par est puritate, tractandum. Ità iudicium appendo in Statera. Romę 16. Iunij 1684.

Fr. Antonius Franciscus Fenzassi S.T.M.

Nos Fr. Antonius de Monroy Archiepiscopus Cõpostellanus, ac totius Ordinis Prędicatorum humilis Magister Generalis, & seruus.

VIsa à nobis approbatione facta per RR. PP. Theologiæ professores Ordinis nostri, quibus commisimus reuisionem operis, cui titulus: *Statera Sacra Missam iuxta ritum Ordinis Prædicatorum practicè, Historicè, & Misticè expendens, Auctore Fr. Marcello de Caualerijs*, Tenore pręsentium, nostriq; auctoritate officij prædicto P. facultatem concedimus, Typis edendi præfatum opus, cum quibusdam additionibus ad idem opus ab eodem compositis: Dummodo dictæ additiones prius reuideantur, & luce dignę censeantur à Reu: Adm. Patre Magistro Fratre Thoma Laurentio Ordinis nostri, seruatis aliàs de iure seruandis. In quorum &c. Datum Romę in Cõuentu nostro Sanctæ Marię super Mineruam die 15. Decembris 1685.

Fr. Antonius de Monroy
Archiepiscopus Compostellanus, &
Magister Ordinis.

Reg. fol. 19.
Fr. Io: Baptista Ciardus socius.

Cen-

Censura P.M.Fr.Thomæ Laurentij à Capua, Ord. Præd.

IVbente Illustriss. & Reuerendissimo P.Fr.Antonio de Monroy Archiepiscopo Compostellæ, & Generali Magistro Ordinis Prędicatorum, totum sedulo lustraui Opus inscriptum, *Statera Sacra* &c. cum suis additionibus, pro incruento Missæ Sacrificio ritè, laudabiliter, ac fructuosè à Christi Sacerdotibus peragendo. Opus planè non mediocri partum labore, sed deuotione præcellenti, feruentiq; zelo Diuinissimum ergà mysterium, sicut ipsum legenti statim lucet. Statera consultò nuncupatum, non Libra, nempè Lancibus non vtens, nè ritus multinominis, in ea diligentissimè examinatus, appareret secerni, vt pondus, & pondus, Deo abominabile; Quinimò sinceritate mirabili, cuiusuis instituti pro Missę celebratione, æquè ponderat in ea Religio: fragrat par sanctitas: vniformis oblectat pulchritudo. In hoc profectò artificioso opere tanta, talisq; splendet eruditio, atq; doctrinarum copia, vt vniuersus celebrantium cœtus ab ipso reportet quidquid condignè pro cuiuslibet obseruantia ritus debeat exerceri, ac si pro singulis, & non pro solius Ordinis Prędicatorum Sacerdotibus elaboratum sit. Vtinam verò Sacerdotes nostri opus tantum, vt instruantur, perlegant: vtinam Stateram hanc adhibeant ponderandis, seu examinandis suis moribus, sacrisq; functionibus; Quamobrem dignissimum cēseo opus tale in lucem prodire, ad Sacerdotum vtilitatem, totius Religionis nostræ decus, atq; ad Authoris egregiam virtutem propalādam. Neapoli, ex nostro Regio Conuentu S.Petri Martyris die 27. Ianuarij 1686.

DE

De mandato Eminentissimi Domini.

Dominus Carolus Lombardus videat, & in scriptis referat, die 22. Iulij 1684.

Franc. Menatt. Vic. Gen.

Octauius Caracciolus Congr. Ind. Secret.

EMINENT. ET REVEREND. DOMINE

LIbrum, cui titulus pręfigitur, *Statera Sacra, Missam iuxtà Ritum Ordinis Prædicatorum practicè, Historicè, & mysticè expendens Authore Fr. Marcello de Caualcerijs eiusdem Ordinis*, attentè, lubenterque, Te iubente percurri; illumque Catholicæ Religioni, bonisq; moribus in omni sui parte consonum inueni: quinimmò sacra eruditione, sanctarum Scripturarum, Patrumque testimonijs refertum reperi. Illum propterea dignum existimo, qui præli ope, ad Sacrorum Rituum studiosorum, cæterorumque Ecclesiasticorum voluptatē simul, & vtilitatem, in lucem prodeat; dummodo meæ huic sententiæ Eminentię Tuæ placitum arrideat. Ex ædibus Congregationis Oratorij 21. Augusti 1684.

minentiæ Tuę Reuerendiss.

Humillimus, & deuinctissimus seruus

Carolus Lombardus Cong. Orat.

Visa dicta relatione Imprimatur 2. Martij 1685.

Franciscus Verde Vic. Capit.

Re-

Reuerendus P. Angelus Ruffus videat, & in scriptis referat.

Carrillo Reg. Soria Reg. Miroballus Reg. Iacca Reg. Prouenzalis Reg.

Prouisum per S.E. Neap. die 18. Augusti 1684.
Mastellonus.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

Opus, quod inscribitur: *Statera Sacra*, eruditissimo viro *Auctore, Fr. Marcello de Caualerijs Ordinis Prædicatorum* &c. accuratè compositum, nihil habet, quod fidei Catholicæ, bonis moribus, Regiæq; aduersetur Iurisdictioni; Imò cum totum in explanatione Sacrificij Missæ ad cultũ Diuinę Maiestatis dirigatur, adhuc terrenæ Maiestati Catholicę, quæ est *Aquila grandis magnarum alarum*, increatum eius Lumen aperit, & Eucharisticum Solem, cuius radijs singulari priuilegio, cæteros inter Monarchas, gloriosa refulget. Quapropter quod typis mandetur, & dignum luce censeo. Neapoli nono Kalend. Septembris 1684.

Fr. Agnellus Ruffus S.T.D. ex Prouincialis Daciæ, Prior, & Commiss. Gen. Carmeli Maioris Neap. &c.

Visa supradicta relatione imprimatur, & in publicatione seruetur Regia Pragm.

Carrillo Reg. Soria Reg. Iacca Reg.

Prouisum per S.E. Neap. die 9. Octobris 1684.
Mastellonus.

IN-

INDEX

TITVLORVM.

De

De

TITVLVS PRÆLIMINARIS I:

Operis ratio redditur, utilitas proponitur, & digna, quæ prænoscantur, subijciuntur

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOM.

FRATRI

ANTONIO DE MONROY

Archiepiscopo Compostellano, & Ordinis Prædicatorum Generali Magistro,

DE exactaCeremoniarum praxi sollicitos eos esse debere, qui Christi ministerio mancipantur, optimè nosti Illustriss. & Reuerendiss. Domine, quę inter pręclara adiumenta virtutum potissimùm Religionis studium, omnisquè rei Ecclesiasticæ eruditio, vsusquè apprimè condecorat. Nequè rerum Diuinarum notitia, vel mediocritèr, imbutus quispiam inficiabitur. Veteris enim Testamenti paginas percurrenti Deus Opt. Max. obuiā est simul Legislator, ac Cæremoniarius, in Monte Synai Le-

 gem

gem dans Moysi, ac statim Cæremonias subnectens *Exod.*20. Cæremonijs alibi plena omnia occurrunt, earumquè obseruantia, vt plurimùm cum Legis præceptis, districtè cõmendata. Immò qui Israelis scelera, *ex Psal.*77. *audiuit, & distulit*, Nadab, & Abiud, *Leu.* 10. ob ignem alienum incogitātèr adhibitum, Ozę 1. *Paral.*13. ob Arcam inconsultò tactam; vtrisquè ob Cæremoniæ transgressionem, vt interpretantur nonnulli apud Molinam Cartusien. *lib. instru. Sacerd.* subitaneæ pęnam mortis inflixit. Illa autem Cæremonialia præcepta ordinata fuisse ad figurandum Christum, eiusquè sacrificium, *tanquàm perfectum per imperfectum*, vt loquitur, & probat D. Th. *p.*2. *q.*102. *a.*2. *&* 3. quis ignorat? Cæremonias ergo, quas mysterijs, iam è statu imperfectionis, ac præsignationis eductis, congruentes in veterum locum, Spiritu Sancto dictāte, suffecit Ecclesia, tantò maiori Religione custodiri fas est, quantùm perfectione veteres excedunt, hoc est quantùm vmbræ imago, & figuræ veritas pręponderat. Tunc Cæremoniarum praxis ad stuporem vsquè exacta fuit, teste Regina Saba 3. Reg. 10. *quæ videns ordines ministrantium Salomoni non habebat vltrà spiritum.* Modò ergò clamanti Apost. 1. Cor. 1. *omnia secundùm ordinem fiant in vobis*, vtramquè aurem præbere debemus, vt & in exteriori homine sanctioris Ministerij excellentiam comprobemus; vbi potissimùm non Agni, non Vituli, sed, vt cùm Tridentino loquar *sess.*22. viuifica Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari immolatur. Ad hoc allicit virtutis amor, adigit & pęnæ timor. Quis enim illud de filijs Aaron, ignem, *quod eis præceptum non erat*, ad sacrificium adhibentibus, dictum, ad gehennæ damnatio-

tionem, non timeat: *egressusque ignis à Domino deuorauit eos*, quando in finali iudicio insonabitur illud Psal. 49. *congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia?* Quòd si Arca, quam tangens Oza minori, vt ait noster Hugo hic, *quam debuit veneratione*, mortis pœnam luit, figura fuit Dominici Corporis ex Hugone ibidem; sanè Arcam mysticā contrectans, in qua non Lex, Virga Aaron, & Manna seruatur, sed ipsa est panis viuus qui de Cælo descendit, Christus ipse Legislator, Virga hæreditatis nostræ, pęnam temporali maiorem expectet, nisi ab ijs caueat, quæ ab externa etiam veneratione, vel tantillùm, abhorrent.

2 Hæc vtiquè satis perspecta nostris Patribus fuerunt, quorum zelus in hac re singularis ex tot editis ordinationibus probatur. Parisijs anno 1611. (vt antiquiora generalia Capitula, nec non præcepta Generalium Ordinis singulis Missalibus, tùm antiquis, tùm modernis pręfixa omittam,) præcipitur Prioribus, vt tèr in anno, in mensa legi faciāt ordinarium Cæremoniarum Missæ, easque obseruari, proposita contrafacientibus pęna; quod idem saltèm semèl in anno fieri, coràm omnibus Sacerdotibus cōgregatis, iussum anteà fuit Mediolani 1505. Iubentur itidem Priores Romæ 1644. Sacerdotem Cæremonias benè callentem celebrantem exponere cæteris omnibus, vt viuo exemplo vniformitatem addiscant. Pluriès, & signantèr Bononiæ 1564. fuit propositum Reuerendissimo curare, vt per Fratres ab ipso deputandos apertiùs omnia explicentur, quæ ex nostris rubricis dubia multa oriri solent. Vndè à Congregatione Valeoleti habita per Generalem Iusti-

nianum anno 1567 de consilio Patrum grauissimorũ circà dubia ibi proposita plures ordinationes, seù declarationes emanarunt, posteà in Capitulo generali Romæ 1569. approbatæ. Similia statuta ex pluribus Capitulis generalibus alibi celebratis habemus: vbiquè autẽ nobis inculcatur vniformitas, quę Religionem tanto ordine gubernatam, in Sacro maximè Altaris ministerio summoperè decet.

3 Nihilominùs res adhùc nobis in vado non est. Dominicus Sotus *in 4. sent. dist. 13. q. 2. a. 5.* dolet, sui temporis Sacerdotes suum quosquè sequi modum, eo deceptos, quòd Ordinarium non potest cuncta vsque ad minimum explicare. Hanc Soti querimoniam, quæ ante castigatum à B. Pio V. Missale Romanum, antè tot commentaria, quæ in Ritum Romanum postmodùm exierunt in lucem, exteros præcipuè afficiebat, si dicimus nostro Ordini omninò non deberi, ipsi nos seducimus. Cùm enim, vt ait Sotus, non possit Ordinarium cuncta vsque ad minimum explicare, cùm ex illo dubia multa, vt ait Capitulum mox cit. Bononiæ, oriri soleant, & aliàs Commentatore vsquè modò careat, licitum sibi quisque putat, aut sanè facit interpretationes pro sui libito obtrusas in dubijs adhibere. Nec desunt fortassè, qui rubricis antiquati alicuius Missalis, nec canonicè aliquando inductis, aut sanè canonicè aboletis, ità inhærent, vt canonica auctoritate ad pristinum reuocatas, seù etiam nouitèr inductas, aut negligant, aut nesciant. Qui autem rubricas didicit ex vno Missali, aut ab antiquiori Sacerdote discordat ab alio, qui ex alio, aut ab alio percepit; & inde emanat difformitas, quæ citrà communis conscientiæ grauamen, & aliquando sæculi

scan-

scandalum, nescit efferri in publicum.

4 Scio quidem circà res minoris momenti huiusmodi defectus versari; sed quid est, vt aiebam, in diuino hoc opere non faciendum quàm maximè? Quod opus, cùm ob sanctitatis excellentiam opus Dei antonomasticè appellare fas sit, sibi adsciscit Hieremiæ illud c.42. *maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter*. Ad rem hanc firmat Petrus de Soto *lib. de inst. Sacerd. lect.* 15. hæc, vel eorum aliquid ex intentione, vel sciētèr omitti sine peccato non posse. Et certè, subdit, quando intenderetùr mutatio Ecclesiasticæ consuetudinis, periculum est schismatis; sed cum aut tædio, aut ob fugiendum laborem aliquid omittitur, vel ex negligentia id discendi, non quidem schisma, sed graue proculdubio peccatum iudicamus. Verùm inconsideratio, aut obliuio, quæ ex humana fragilitate sæpe accidit, non est graue peccatum iudicandum. Hæc ille. Et magis peccare Ecclesiasticarum cæremoniarum in materia graui contemptorem, vtpotè contrà Religionem, quàm v.g. fragilem scortatorem, probat Grauina *l.4. cath. præsc. de sacr. trad. contr.3. a.6. in resp. ad vlt.*

5 Hæc ego sæpè prospiciens, ac mente obuoluens, rebus tandèm meis consultum volens, anxio studio quid in sacratissimo hoc opere canonicum Ritui nostro sit, quid aduersum expendi. Ad hoc, quoad ea, quæ nobis cùm Ritu Romano communia sunt, huius commentaria maioris notę in dubijs consului. Cum enim ritus noster sit quædam exceptio priuilegiata à iure communi ipsius Ritus Romani, in dubijs standum est legi communi. Hæc autem præcipua sunt Bartholomæi Gauanti C. R. Cong. S. Pauli *Thesau-*

 rus

rus Sacrorum Rituum, Andreæ Piſcaræ Caſtaldi C.R. Theat. *Praxis Cæremoniarum*, Pauli Mariæ Quarti pariter C.R. Th. *Commentaria in Miſſ. Rom.* Michaelis Bauldry Benedictini, *Manuale Sacrarum Cæremoniarum*, quibus addo Hippolyti Tonellij *ſacrum Enchiridion*. Hi autem rem hanc eadem penè, qua ego vſus, methodo, tractant; ideoquè loca per extenſum totiès citare, quoties illorum auctoritate indigui, prætermiſi.

6 Quo verò ad ea, quæ noſtro Ritui peculiaria ſunt, noſtrum antiquum Ordinarium à B. Humberto editum ſcrutatus ſum, quod ad manus meas peruenit, nempè impreſſum ſub titulo formulę ſub Generali Iuſtiniano ex antiquioribus repurgatum, & correctũ, atque ex recentioribus auctum; idemquè antiquo titulo reſtitutum ſub Generali Caballo editum, ſimilitèr correctum, & auctum, ac notis à P. Ioanne de Palentia illuſtratum. Patrum item ſubſecutas declarationes, atquè additiones exquiſiui. Cæremoniale etiã Ciantis qui rubricas miſſalis ſub Generali Turco impreſſi diſpoſuit, ad manus fuit. Miſſalia deniquè noſtra, tùm antiqua, tùm moderna expendi, & ex his potiſſimùm illud Generalis Xauierre auctoritate Apoſtolica Clementis VIII. nouiſſimè approbatum. Viros etiam de re noſtra Cæremoniali optimè meritos ad conſilium aliquando adhibui, quorum præcipuus Eminentiſſimus noſter Cardinalis Vrſinus, qui pro eà, quà Dei cultum ſummè zelatur, anxia ſolicitudine in Eccleſiaſticis Ritibus, tùm noſtris, tùm exteris quibuſcunquè in tantùm verſatus eſt, vt citrà exceſſum, ab eo crediderim fore, vt ſibi ipſis deperditi reſtituerentur. Quæ itaquè adduxero, ſunt documenta maiorum,

rum, quę tamen, & si quæ adnotatiuncula adfuerit mea, tantam volo habeant vim, quantam dicentium auctoritas, & ratio ipsa, à quibus allegandis nunquā abstinui, exposcit.

7 Nequaquàm verò in pura Cæremoniarum praxi mea desijt solicitudo, haud ignara adagij, *non intelligere, negligere est*. Rationale Iudicij, quod Legalis Pōtifex gestabat in pectore quatuor contextum coloribus scriptum præseferebat, *Doctrinam, & veritatem*: quasi denotans exterioris Diuini cultus rationes, debere illius Ministris per quatuor sensus litteralem, allegoricum, moralem, & anagogicum innotescere. Enim verò cultus exterior non hominis actio est, sed humana eò tendens potissimum, *vt radius Diuinæ veritatis* (sic habet D.Thomas p.2.q.101.art.2.in ò) *quā in statu præsentis vitæ non possumus in se ipsa intueri, nobis illucescat sub aliquibus sensibilibus figuris, sicut Dionysius dicit* 1.*c.cæl.Hier.* Et signantèr de ritibus, & Cæremonijs Missæ instituta fuisse, atque adhiberi, vt & maiestas tanti Sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur, definit Trid. *sess.*22. *cap.*5. Cultum ergò exteriorem principali suo fine defraudat, cui, quæ claudit, non patent mysteria. Immò cum per Ritus, & Cæremonias, quæ in Missa agūtur præcipuè repręsententur Vitæ, & Mortis Christi mysteria, qui hæc ignorat, ideòquè inter eos numerari nequit, de quibus dictum venit: *cognouerunt eum in fractione panis* (hoc est in Cæremonia, vt obseruat Porrecta infrà cit.) vix implet, quod Christus ipse in Sacerdotii institutione præcepit: *Hoc facite in meā commemorationem*.

 Cau-

8 Causis ideò mysticis (mysticum sumo quatenus allegoricum, morale, & anagogicum amplectitur) inuestigandis operam dedi; nec litterales, seù historicas prætermisi, sanè congruas ad obstruendum os loquétium iniqua.

9 Totum hoc, quoad ea, quę nobis cum Ritu Romano communia sunt, tractant ex professo ex nostris, quos legi Angelicus Doctor *in 3.p. q.83. a.4. & 5.* nec non *in opusc.66.* Albertus Magnus in peculiari *tractatu de Sacrificio Missæ*: Dominicus Sotus *in 4. sent. dist. 13. art. 4. & 5.* Nugnus *in 3.p. D.Thomæ loco cit.* Ioannes de Turrecremata *super decreto 3.p.de consecr. dist. 1. cap. Iacobus*; & tandem Seraphinus Caponi à Porrecta, vulgaritèr Porrecta nuncupatus, in suo libello prætitulato *Sacerdos in æternum*, à quo vniuersum Humanitatis Christi mysterium in Missæ Cæremonijs miro expressum ordine, excepi, quod (si Titelmanum Minoritam *tract. de exp. myst. missæ* excipias) Scriptorum nemo (cùm quibus & ego aliquando vagatus sum) tàm sedulò præstitit.

10 Si de exteris fit mentio, in molem excreuerunt, quæ tùm litterales, tùm mysticas Missę rationes exhibent, opera: Quæ mihi prę manibus fuerunt maioris notæ sunt ex antiquioribus illa, quæ, vnico volumine contenta, edita fuerunt sub Pontificatu Gregorij XIV illìquè nuncupata cum inscriptione: *De Catholicæ Ecclesiæ Diuinis officijs, ac ministerijs varij vetustorum ferè omnium Ecclesiæ Patrum, ac scriptorum libri.* Insuper Innocentij Papę III. *libri sex. myst. Missæ*, nec non Gulielmi Durandi *Rationale Diuinorum officiorum*, qui sanè inter omnes nulli secundum sibi vendicat locum. Ex minùs antiquis, præter Titelmani, Gauanti,

&

& Quarti *libros præcitatos*, Iacobi Pamelij *Rituale Sanctorum Patrum Latinorum*, Hugonis Menardi *Diui Gregorij Magni liber Sacramentorum*, & Cardinalis Bonæ *rerum liturgicarum libri duo*, necnon Ioannis Stephani Duranti *de ritibus Ecclesiæ catholicæ libri tres*. Quorum Auctorum inter alios opera hic recensuisse sufficiat pro citationibus locorum, quibus, breuitatis ergò, pluriès parcam.

11 Sed quid Durãdum exterum, & nõ potiùs nostrũ recensui? Noster quidem fuit, qui post editum Rationale, & alia, quæ omne encomium superant, opera, nostrum suscepit habitum Nicosiæ Cypri Metropoli, vt perhibent plures Scriptores omni maiores exceptione penès Bibliothecam Dominicanam Magistri de Iudicibus *centuria prima*, nec non in appendice eiusdem *anno* 1296. Quibus ego addo Harmannum Schedel Nurembergen. in Chronicarum Epitome. Hoc dictum sit, vt innotescat me, Rationali illo sæpè vsum, ex ijs accepisse, quæ eiusdem Religionis votum fecit communia.

12 Si verò, vt ad nos redeamus, de ijs sermo sit, quæ nostro Ritui peculiaria sunt; scriptorem neminem inueni, qui illorum rationes litterales, aut mysticas ex professo enucleauerit; vndè non parum mihi laboris superstitit in illis adinueniendis, atque hinc indè dispersis ex scriptoribus colligendis, quas signata asterisco* pagina indicabit.

13 Hoc itaquè vtcumquè concinnaui opus, quod inscripsi, *Statera*, ex illo Eccli. 28. *verbis tuis facito Stateram*; & alibi: *verba prudentum Statera ponderabuntur*. *Statera* enim est (vtique *Sacra*) quæ quod ad sacratissimum Missæ opus peragendum in pura nostri ritus

pra-

praxi çquum est,ac rubricis conforme subijcit (hoc *ly practicè* titulo additum significat) atquè etiam Ritus ipsius originê,antiquitatem, ac congruentias litteraliter,seù historicè,& mysticè expendit; indè perspicuum facere intendens, quod appensus est in Statera,& ad pondus Sanctuarij inuentus est satis habês, ideòquè quòd & nobis in hoc est, vt præscribitur Ezech.45.*Statera iusta*; vt consequentèr & pro nobis vsurpare fas sit illud Ambrosij de suæ Ecclesiæ ritibus tom.4. de Sacram. lib.3.cap.1. *quod alibi rectiùs seruatur,& nos rectè custodimus*,præstantes,iuxtà Apostoli monitum Rom.10. *rationabile obsequium* Altissimo;de quo scriptum est Prou.16. *pondus,& Statera iudicia Domini sunt*; & Sap.11. *Omnia in mensura,& numero,& pondere disposuisti*. Ritum Missæ Ordinis Prædicatorum titulo ipsi annexui, nequaquàm immemor, nostrum à Ritu Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ alterum absolutè non esse, (vt titulo 2. præliminari ostendam) nec non denominationem à nobiliori desumi. Sic dumtaxàt appellasse liceat veluti abusiuè,& respectiuè. Rubricas verò Missæ priuatæ (solemnis alios potius à Sacerdote ministros concernit) Missalis sub Generali de Marinis editi, quia vltimç impressionis, notis elucidandas selegi, easquè congruè distributas in titulos, Ritus Romani interpretum secutus methodum, pręmisi, vt legentium commodo consulerem. Hinc orta necessitas est,quæ Ritus praxim,quæ historiam, quæ mysticum concernunt,permiscendi,ac confundendi; quod satius factũ ob id existimem,quod de vno quæritanti alia ob oculos erunt,vt transferantur in mentem.

14 Priuatę verò instructionis terminos Opus hoç fran;

frangere, ac publici iuris fieri passus sum, plurium iudicio, ratus, fore vt in publicã cederet vtilitatem. Ex tunc me iure obstrictum agnoui, Tibi Illustriss. & Reuerendiss. Domine sic dispensati talenti rationem reddere. Res enim tua acta est, quam scilicet & auctor is filiale debitum, & ipsius operis subiectum omni iure facit tuam. Tuum itaquè ex tuo en redditum Tibi. Reddentis verò scopus is est, vt digneris pro eo, quo prępolles, ardenti Religionis zelo, communi ex eo intentæ, ideòquè & propositæ Tibi vtilitati, manus impertire. Ad vlteriora de re nostra cæremoniali præstanda sic animus filio erit, qui tuam expectat, supplexquè implorat paternam benedictionem.

Domin. tuę Illustriss. & Reuerendiss.

Addictissimus, & humillimus seruus
Fr. Marcellus de Caualerijs.

De primaeua, & Canonica institutione, ac permanentia Ritus Missæ Ordinis Prædicatorum.

TITVLVS PRÆLIMINARIS II.

CHristum Dominum per se ipsum immediatè sacrosanctum Missæ Sacrificium instituisse omnibus, qui catholicè sentiunt, exploratū est. Accessoria verò, preces nempè, Ritus, & Cæremonias, quibus peragi par esset, determinanda per Ecclesiam reliquit. Præcepit enim; *hoc facite in meam commemorationem*, non ait, hoc modo facite, vt notat Ernulfus Roff. Episc. *ep.2. tom.2. spicil. vt Apostolis*, (inquit Augustinus epist. 118. ad Ianuarium cap. 6.) *per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Neque enim* (firmat Grauina Cath. præscript. l.4. de sacr. tradit. contr. 3. a. 6. ad 1.) *ad antiquam Pædagogiam voluit nos Christus reuocare.*

16 Apostoli itaquè plures preces, & Cæremonias (quicquid dicant alij) ex potestate sibi relicta, & suggestione Spiritus Sancti, quo in die Pentecostes imbuti sunt, institutas, tunc, & deinceps sacrificium peragentes adhibuerūt, vt patet ex his, quæ habent cū Hug. Vict. Sotus, & Porrecta, & ante hos B. Proclus Chrysost. in Episcopatu successor *opusc. de trad. Mis. t. 4 Biblio-*

Biblioth. Patrum, alijquè tùm latini tùm Græci Scrip. apud Grauinam *loc. cit. contr. 4. ar. 7. §. 9.* & Baronium *ann. 102. nu. 23.* Consonat illud Apostoli 1. Cor. 11. *cætera cum venero disponam. Vndè intelligi datur* (inquit Augustinus loc. cit.) *quia multum erat, vt in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diuersitate variatur.* Consonat & illud ad Tim. 2. *obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* In quem locum Augustinus epist. 59. ad Paulinum *eligo*, inquit, *in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis frequentat Ecclesia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequàm illud, quod est in Domini mensa incipiat benedici: orationes, cùm benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominica oratione concludit.*

17 Sunt ergò aliqua in Missa, quæ vtpotè Apostolicæ traditionis constanti omnium gentium acceptatione inconcusse retenta sunt. Sunt autem alia, quæ diuersis Ecclesijs diuersa fuerunt, prout diuisis per orbem terrarum Apostolis, & in eorum locum hinc indè suffectis Episcopis, attenta diuersa locorum, temporum, ac personarum ratione visa sunt consentanea. Nã Apostolicis quoquè viris, respectu suarum Ecclesiarũ, hanc potestatem non defuisse, firmat Grauina *loc. cit. contr. 3. art. vlt.* & Petrus de Soto *l. de inst. Sacerd. lect. 14.* secundùm illud Pauli ad Titum; *huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desũt corrigas.*

18 Factum proindè est, vt Liturgiæ quamplures tùm in Oriente, tùm in Occidente extiterint, quas

fusim

fusim refert Cardinalis Bona *l.* 1. *rerum Liturgicarum c.*6.*& sequen.* necnon Iacobus Pamelius *in suo Rituali SS.Patrum latinorum tom.*1. Duodecim Apostolis inscriptę duæ recensentur; Petri gręcè, & latinè edita: Iacobi, quæ memoratur in decreto *de consecr. dist.* 1.*c. Iacobus*; quæ S.Clementis nuncupatur alia: Dionysio attributa altera; sic Mattheo; sic Marco; sic Barnabæ; sic Ioanni Euangelistis suam adscribunt. Quæ qualis fidei sint perpendit Bona *loc.cit.* alijquè, inter quos tamèn in hoc decipi nonnullos crediderim, quòd de illis iudicant, vti nunc extant. Vt autem aduertit Scialach. Maronita apud Bonam *lib. cit.cap.*9. latini, & græci Antistites in suis Liturgijs, quas ab Apostolis acceperunt, multa vel addiderunt, vel immutarũt. Apostolici quoquè viri Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Isidorus, alijquè plures, nouas Liturgias aut formarunt, aut iam formatis nonnulla addiderunt, vel mutarunt, quæ magis profutura æstimarunt ad deuotionem, & reuerentiam in subditis sibi populis tanto mysterio conciliandam. Sic Basilius ex D.Iacobi Liturgia, qua Græci vtebantur, alteram veluti illius compendium formauit; quia, vt scribit B.Proclus *lib.cit.* illam met, Fidei feruore iam deficiente, homines nimiæ prolixitatis accusabant; altera tamèn ab ipsomet composita prolixiori, vt diutiùs aliquandò Deo vacaret, retenta; pręter tertiã ipsi Basilio adscriptam à prædictis etiam differentem Biblioth. Patrũ insertam. Quæ omnes ità variatæ sunt, vt difficile sit agnoscere sinceram, & incorruptam Basilij Liturgiã. Quod idem de Liturgia D. Iacobi profert Bellarminus *lib.de script.Eccl.in Iacob.* Ioannes etiam Chrysostomus eadem, qua Basilius, ratione impulsus *de Liturgia*

turgia Basilij multa præcidit (verba sunt cit.B.Procli) *& concisiori, pressiorique oratione Sacrum conficiendum statuit, ne sensim homines, qui libertatem quandã, & inertiam quàm maximè complectuntur, fallacibus aduersarij rationibus decepti, ab huiusmodi Apostolica hac, & Diuina absterriti traditione, eam omitterent.* Nec Liturgia Chrysostomi inuariata permansit. Plura enim postmodùm ab alijs addita, & pro cuiusquè nutu inserta sunt; vndè maxima exemplarium varietas emanauit. Quod idem alijs Liturgijs etiam latinis euenisse patet ex Bona *loc.cit.* Et ne pluribus rem hanc protraham, is fuit (ait Andreas Masius *præf. in Liturgiam Syrorum*) perpetuus hominum in Religione sensus, vt intrà præscriptas à Patribus Cæremonias, quamtumuis sanctissimas, se se continere pauci potuerint. Vndè pro temporis tractu ad illas pro vario Antistitum pietatis affectu alia, atquè alia addita, multa etiam mutata videre est. Hæc iste. Quod quomodo, quando, & à quibus fieri potuerit, docet Grauina *lib.cit. contr.3.per totam*.

19 Maxima itaquè in hoc genere (affirmat Laurentius à Villauincentio Xeresanus *lib.4. de ratione studij Theologici cap.4.*) fuit Ecclesiarum libertas, ex libertate illa spirituali profluens, quam Christus dilectæ Sponsæ Ecclesię sua morte vindicauit. Gemmarum, ac Monilium varietas decet Sponsam Christi; & cùm Hortus voluptatis, Hortus conclusus sit, omnis generis florum in varias areolas exigit ornamentũ. Quid autem hæc varietas, quid variç gemmæ, quid varij flores, nisi (teste Card. Bona *lib. de Diuina psalmodia cap.18.§.1.*) varietas sacrorum Rituum, quibus Ecclesiastici viri debitum Deo cultum exhibent? Vnã

qui-

quidem Ecclesiam vniuersalem, & orthodoxam confitemur, at vnius corporis plura membra diuersa obire munia, in vnum finem tendentia, quis nescit? Aut quis adeò stupidę mentis est, quem non rerum diuersitas oblectet? Hæc ille. Stat, ait de hac re post Fulbertum Carnoten. Durandus *in Rat. proœmio* Regina Ecclesia à dextris Regis sui in vestitu deaurato circũdata varietate. *Sit ergo* (verba sunt Augustini epist. 86. ad Casulanum) *vna Fides vniuersæ, quæ vbiquè dilatatur Ecclesiæ, tanquàm intùs in membris, etiam si ipsa Fidei vnitas quibusdam diuersis obseruationibus celebretur, quibus nullo modo, quod in Fide verum est impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinsecùs; illæ autem obseruationes, quæ variæ celebrantur in eius veste intelliguntur. Vndè ibi dicitur, in fimbrijs aureis circumamicta varietate.* Hęc Augustinus; qui etiam *epist.* 118. *ad Ianuarium*, sibi dubitanti de varijs Ecclesiarum obseruationibus dixisse Ambrosium, refert: *ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua. Ego vero*, subdit Augustinus, *de hac sententia etiam atquè etiam cogitans, ità semper habui, tanquam eam cælesti oraculo susceperim.* Vtrobiquè autèm, nec nõ *epist.* 119. *ad Ianuarium*, de huiusmodi obseruationibus se loqui explicat, quæ Scripturæ sanctę auctoritati, aut vniuersalis Ecclesiæ traditioni, aut vitæ corrigendæ vtilitati non aduersantur, sed potiùs conueniunt, ideòquè nec sunt tales, vt vix, aut omninò numquàm inueniri possint causæ, quas in eis instituendis homines sequuti sunt. In hoc sensu ait etiam Ambrosius l. 2. de pęnit. cap. 6. *totum decet quidquid Religioni defertur, vt nullum obsequium, quod ad cultum, & obseruantiam Christi pertinet, erubescamus.* Hieronymus etiam epist. 28.

tradi-

traditiones Ecclesiasticæ, ait, *quæ Fidei non officiunt, ità seruandæ, vt à maioribus traditę sunt: vnaquæquè Prouincia abundet in sensu suo, & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur*. Sic Valeriano conquerenti de varietate Rituum Ecclesiasticorum respondit D. Anselmus Episc. Cantuarien. non eam officere, si vnitas seruatur charitatis in Fide catholica. Similia habent Fulbertus Carnoten. alijquè Patres apud Melchior Canum *de locis theologicis lib. 6. in fine*, & fusiùs apud Grauinam *lib. cit. contr. 3. & 4. per totas*, vbi inter cætera tanti viri summa eruditione digna, quæ contrà Nouatores vniuersalis Ecclesiæ traditiones, circa disciplinam, & cultum, vt nullius roboris exufflantes, particularium verò Ecclesiarum contemnentes, deducit, illud est *Prou. 6. ne dimittas legem matris tuæ*. Ex quo infert *contr. 3. art. vlt. in arg. sed contrà*: ergo seruanda est constitutio, & lex secundùm cuiuscunquè Ecclesiæ particularis consuetudinem. Ibi enim per matrem designari Ecclesiam probarat *ar. 6.* ex S. Epiphanio contra Aertium, nec non ex D. Hieronymo, qui sub nomine adulteræ mulieris expressę in verbis, quæ in textu subduntur, *vt custodiant te à muliere mala*, hæreticorum sectam notat.

20 Vnum addo S. Gregorium, qui *l. 2. epist. 37.* ad Natalem Episcop. Salonitanum, *quod dicis*, ait, *nostris temporibus debere seruari, quæ à meis prædecessoribus tradita, atquè custodita sunt, absit hoc à me, vt statuta maiorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam; quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.* Hæc Gregorius, qui tãquàm Episcoporum Episcopus singulari titulo illud Tertulliani *lib. de vel. virg.* addere potuisset: *Vna nobis,*

bis, & illis fides, vnus Deus, semèl dixerim, vna Ecclesia sumus, ità nostrum est, quodcunque nostrorum est.

21 Hic verò aduertere non omitto cùm Melchior Cano *cit. lib. 6. in fine*, nec non Grauina *lib. cit. ar. 8. ad 3.* quod sicut nullus Apostolorum habuit facultatem obligandi Ecclesiam per leges vniuersales, nisi S. Petrus, vel cùm Petro in Concilio congregati, sic ad Romanum dumtaxàt Pontificem, vel etiam ad Episcopos in Concilio generali cùm Pontifice congregatos pertinet leges condere obligantes vniuersalem Ecclesiam, vndè & dicens receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in nouos alios per quemcunquè Pastorem immutari posse anathematizatur à Catholica Ecclesia *in Tridentino sess. 7. can. 13.* Leges itaquè, seù consuetudines Romanæ Ecclesię circà disciplinam, & cultum aliæ sunt, quas non modò tenet, verùm etiam (vtpotè quę Apostolicę Cathedræ tenet principatum) ab vniuersa Ecclesia docet esse seruandas; aliæ sunt, quas Ecclesia Romana priuatim tenet, nec in vniuersum Orbem statuit promulgari; priores oportet priuatas Ecclesias sequi, non sic posteriores, & huiusmodi illæ sunt, de quibus vsquemodò sermo fuit.

22 De ijsdem loquitur ibi S. Gregorius, qui proindè ad Augustinum Angliæ Episcopum respondens ait: *Nouit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudines, in qua se meminit eruditam, sed mihi placet, vt siuè in sancta Romana, siuè in Gallicana, siuè in qualibet Ecclesia aliquid inuenisti, quod plus Omnipotenti Deo possit placere, solicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhùc ad fidem noua est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesijs colligere potuisti, infundas. Non enim pro lo-*

cis

cis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex quibusque ergò Ecclesijs, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige, & hæc, quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone. Hæc Gregorius. Sic & Nicolaus I. *epist. ad Photium*, quoad consuetudines in diuersis diuersas Ecclesijs, *si illis*, scribit, *canonica non obsit auctoritas, pro qua obuiare debeamus, nihil iudicamus, vel eis resistimus.*

23 Ex dictis, & præcipuè ex mox citatis epist. D. Augustini deducit merito Petrus de Soto *lib. cit. lect.* 14. tàm longè esse à vero, quod dicunt hæretici nullum cultum admittendum esse, nisi verbo Dei stabilitum, vt potiùs nullus reijciendus sit, nisi quem verbũ Dei reijcit, hoc est, quem constat contra Fidem, vniuersalis Ecclesiæ traditionem, vel bonos mores esse.

24 Se verò loqui infrà explicat de ritibus publica, seù canonica auctoritate inductis, cùm de cętero nouos priuata auctoritate inducere peccatum esse iure merito affirmet, & aliquãdo schisma, & diuisionẽ Ecclesiæ. Hæreticorum enim est, quicquid cuique libuerit in hac re ordinare, illud autem nõ iusta ratione, non traditione probatum, sed potiùs contra fidem, & bonos mores; quod in ophisis, Cathaphrigis, Pepusianis, & Manicheis, ritus stultitia, ac turpitudine plenos habentibus, exemplificat Augustinus.

„ 25 Circà quod (subdit de Soto) dicimus credẽ„ dum esse, primos illos Episcopos, ac Fundatores Ec„ clesiarũ in ritibus instituendis partim maiorum do„ ctrina ex traditione Apostolica, partim ex similitu„ dine aliqua eorum, quæ maiores docuerunt, par„ tim ex legis veteris Cæremonijs proportione aliqua „ ad Ecclesiam translatis, aut deniquè alia cõuenien„ ti ratione processisse.

26 Meritò proindè Innocentius I. *initio Epistolæ primæ ad Decentium Episcopum Eugubinum*, licentiam nouos ritus inducendi tùnc coercuit, quando, vt ipse ait, *vnusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerat hoc existimabat esse tenendum.* Ob huiusmodi absurdum è medio tollendum Concilium Toletanum 11. anno 675. celebratum sic statuerat: *De his, qui contrà Apostoli voluntatem circumferuntur omni vento doctrinæ, placuit huic sancto Concilio, vt Metropolitanæ Sedis auctoritate coacti vniuscuiusque Prouinciæ Pōtifices, Rectoresque Ecclesiarum vnum, eundemque in psallendo teneant modum, quem in Metropolitana Sede nouerint institutum &c. Abbatibus sanè indultis officijs, quæ iuxtà voluntatem sui Episcopi regulariter implenda sunt. Cætera officia publica, idest Vesperam, Matutinum, siue Missam aliter quàm in principali Ecclesia celebrare non liceat.* Quod idem decretum prius fuerat per Concilium Toletanum 4. *c.* 2. Bracarense 1. *c.* 22. Veneticū Galliarum *c.* 15. Epaunense *c.* 27. Gerundense *c.* 1.

27 Verùm adhùc in hac re ad vitium deuentum est, adhùc suis adinuentis indulgere, illaquè nonnunquàm insulsa, & ab Ecclesiastica grauitate, Apostolicis traditionibus, veterumquè Patrum auctoritate aliena, Altaribus admouere plerique audebant. Propterea Romanæ Ecclesiæ Pontifices, quæ cęterarum Mater est, & Magistra, & cui, vt ait Tert. *in suis præscr. c. 36. totā doctrinā Apostoli cū sanguine suo profuderunt*, curam tandē subierunt, vt quidē Orientalium Ritus illibati seruarentur, & simul, vt in Ecclesijs Occidentalibus, proprijs Ritibus abrogatis, Romanos adhiberent: de quo fusius Bona *de rebus liturg. loc. cit.* Hos Pipinus, vt refert Hugo Menardus *in præfatione libri*

bri Sacramen.D.Gregorij,& poſtmodum Carolus Magnus hortatu, & iuſſione ſummorum Pontificum in Galliã induxit, quod in alijs locis etiam Italię pręſtitum,quę Caroli suberant dominio,habetur *ex lib. 5.capitular.cap.*219. Hoc ipſum in Hiſpania, Ritu Mozarabo antiquato,factum eſt opera Gregorij VII. vt referunt Menardus, & Bona *loc.cit.* Vniformitas ideo in ſacro faciendo in Occidentalibus Eccleſijs, quę adhùc (ſi Mediolanenſem excipias) ſeruatur,inducta tandem eſt, & erroribus,& abuſibus pręcluſus aditus,quos experientia docuerat in tanta conſuetudinum diſcrepantia ſimùl ac nouos inducendi licentia,vix poſſe euitari.

28 Quod aſſerui omnes Eccleſias Occidentales, Mediolanenſi excepta,Ritu Romano adhuc vti, de illis etiam dictum valet, quę Miſſale proprium habent,ſiue Sęculares ſint,ſiue Regulares. Omnes enim „ (verba ſunt Cardinalis Bonę *cit.lib.*1. *rerum liturg.* „ *cap.*7.)cum Romanis cõueniunt in forma, & diſpo„ ſitione Miſſæ, idem prorsùs apud omnes eſt canon, „ idem ordo,& eadem ſeries Confeſſionis, Introitus, „ Collectarum,Epiſtolæ,Gradualis, Verſus,vel Tra„ ctus,Euãgelij,Symboli,Offertorij,Pręfationis, Ca„ nonis, Communionis, Gratiarum actionis,& finis. „ Quod autèm aliqua omittant,pſalmum ante confeſ„ ſionem, quòd formulam confeſſionis breuiorem ha„ beant,quòd panem, & vinum vnica oblatione offe„ rant, quòd item oblatio alijs verbis concepta ſit, „ quòd diuerſa à Romanis Epiſtolas, & Euangelia „ legant,quòd non eaſdem feſtiuitates Sanctorum ce„ lebrent,quòd in modo procedendi, thus adolendi,& „ alijs huiuſmodi minutioribus, ab vſu Romano di-

 ſcre-

, ſcrepét,hæc proculdubio,nec Ritus diuerſitatē indu, cunt, nec Ritum peculiarem conſtituunt. Hæc ille.

29 En ad noſtra iam venimus:Miſſa ergò noſtra (vti & noſtrę ſimillima Carthuſiēſiū,& Carmelitarū) alia à Romana abſolute cenſenda non eſt, nec pauca expreſſa, in quibus ab illa differt diſtincta liturgia appellanda. Quod clarius patet ex his,quę ſubdo.

30 Miſſam Romanam ab Apoſtolorum Principe ſuam ducere inſtitutionem libenter admitto cum Baronio anno 102. nu.24. Liturgiam inſuper S.Petri,quæ Romanę ſimillima eſt,defendunt meritò Lindanus *in Apolog.impreſſa* 1589.Turrianus *lib.3. dogm. characterum* Iſid.Hiſpal.1.*off.c.de Miſſa*,& Paſchaſius *l.dè corp. & ſanguine Domini t.6.Biblioth.*quos ſequitur Grauina *l.cit.cōt.4.ar.*8.Sed ſimul ſuppono,quod ait Vualfridus de re Cęremoniali optimè meritus *lib. de Rebus Eccleſiaſticis cap.*22.vbi poſtquàm ſtatuit ex maiorum traditione Miſſam temporibus Apoſtolorū breuiorem fuiſſe, proficiente deinde religione à ſucceſſoribus Apoſtolorum auctam , ſubdit : *Et Romani quidem vſum obſeruationum à B.Petro Apoſtolorum Principe accipientes ſuis quique temporibus , quæ congrua iudicata ſunt addiderunt* : niſi potiùs reſtituiſſe cùm alijs dicamus,de quo in ſequentibus titulis.Et quoad hęc etiam mutationibus , vt & ait Baronius *loc.præc.* & Bona *l.1.cap.7. rer.lit.* fuit obnoxia . Gregorius enim Magnus,(vt cęteros prętercam) ex multis anteà congeſtis , *curauit* (inquit Vualfridus *l.cit.*) *rationabilia quęque coadunare,&,ſecluſis ijs,quęvel nimia, vel inconcinna videbantur, compoſuit librum , qui dicitur Sacramentorum* . Idem affirmat Berno Augienſis *c.1.libri de quibuſdam rebus ad miſſam ſpectantibus*,ver-

ba

ba referens Ioannis Diaconi in vita S.Gregorij : *sed & Gelasianum Codicem de missarum solemnijs multa subtrahens, pauca conuertens, nonnulla superadijciens in vnius libelli volumine coarctauit, quod volumen librum Sacramentorum prætitulauit.*

31 Missa autèm Romana à S. Gregorio Magno sic reformata, qualem habet Pamelius *tomo* 2.*Ritualis Sanctorum Patrum*, cui (si paucula quędam excipias) concordant edita apud Menardum, alięque, hęc est :

In nomine Domini.

Incipit liber Sacramentorum de circulo anni à S.Gregorio Papa editus, qualitèr Missa Romana celebratur, hoc est.

In primis dicitur introitus, qualis fuerit statutis tēporibus siue diebus festis, siue quotidianis.

Deinde Kyrie eleyson dicitur.

Item canitur Gloria in excelsis Deo, si Episcopus fuerit (affuerit alij legunt) *tantūmodo die Dominico, siue diebus festis* (*à Presbyteris autèm minimè dicitur, nisi solo in Pascha.*) *Quando verò Litania agitur, neque Gloria in Excelsis Deo, neque Alleluia cantatur.*

Postmodùm sequitur Oratio (vna)

Deindè legitur Epistola,

Item graduale, siue Alleluia.

Postmodùm legitur Euangelium.

Deindè cantatur Offertorium, (& offeruntur à Populo oblationes, & vinum, è quibus in Altari ponuntur, vt sacrentur,) & dicitur oratio super oblata.

Qua completa, dicit Sacerdos excelsa voce.

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen. Dominus Vobiscum*, & cætera ad litteram, quæ habentur in

 prę-

præfatione cõmuni Miſſalis,tũ Romani, tũ noſtri.

Pręfationem immediatè ſubſequitur: *Te igitur clementiſſime Pater*, cum reliquis,quę habentur, tùm in Romano, tùm in noſtro miſſali, vſque ad orationem *libera nos quæſumus Domine* incluſiuè.

Subditur: *Per omnia ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen.* *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* *Agnus Dei qui tollis peccata mundi miſerere nobis.*

Et hic deſinit ordo Miſſę Greg. (quem inſigni miraculo comprobatum, & vniuerſæ Eccleſiæ ab Adriano Papa propoſitũ refertDurandus *l.* 5.*c.*2.) etiam in codice S. Eligij apud Menardum, & in codice Rodradi,& in excuſis. In ſerie tamèn orationum dicti libri Sacramentorum non deeſt, quæ *poſt communionem* apud Pamelium, & ad *complendum* apud Menardum prętitulatur.

32 Ex his clarè deducitur, Miſſam noſtram abſolutè loquendo Gregorianam eſſe; ideòquè Romanam: maximè quòd quicquid Gregorianę Miſſę Sũmorum Pontificum auctoritate firmatum poſtmodùm aduenerat,Miſſę noſtræ à ſui initio non defuit,vt legenti Chronologiam Bellarmini,& Gauanti *Theſaurum Sacrit.p.*2.*tit.*15. palàm fit. *Reliqua* (quę Miſſæ noſtrę Romanę comparatæ modò deſunt) *Pij V.* ait ibi Gauantus,*auctoritate ſunt communita*. Hæc in genere:ſingulas Miſſę partes expendens, nedùm quoad diſpoſitionem,& ſeriem,ſed quoad materiam etiam Gregorianam,& Romanam antiquam eſſe, in ſpecie oſtendam.

33 Expendenda remanet Miſſa noſtra quoad cętera minutiora,quę ſub initia Ordinis,vtpotè Summ. Pontificum auctoritate non firmata, varia varijs

vbi

vbiquè Ecclesijs fuerunt,eiusquè quoad hęc origo,& canonica institutio, ac permanentia post reformationem Missalis Romani patefacienda.

34 Pręmitto ipsas Vrbis Ecclesias,Gregorianis, & ab alijs Rom.Pontificibus præfixis Ritibus retentis,vniformes in cæteris non fuisse. Hoc signantèr de Missę celebratione manifestum fit ex Missalibus MS. in Vaticano existen.quę Gauantus sparsim citat *thes. sacr.rit.* nec non apertè colligitur ex ijs, quę habet etiam Radulfus Tungrensis, (vt cęteros pręteream) Romanorum Rituum diligentissimus inuestigator, vindexque acerrimus *lib.de canonum obseruantia*, quē allegat Bona *l.1.rer.lit.cap.7.in fine*, plura deducens de hac re, & Septala *l.de Myst.Missæ in de Ritu Ambrosiano cap.3*.Quam varietatem 61.annis post Ordinis confirmationem adhùc Romæ extitisse ex eo deducitur, quòd Nicolaus Papa III. qui sedit anno 1277. Missalia, aliosquè libros officij antiquos 50. ab Vrbis Ecclesijs fecit amoueri, teste Radulfo *lib. cit.propos.22*. Credulitas enim,& opinio communitèr inualuerat, quod nullæ Ecclesiæ seruarent ordinem S.Romanæ Ecclesiæ,nisi Fratres Minores,nec in aliquorum,nisi in ipsorum Breuiarijs, & libris contineretur.

35 Cui opinioni illud fauere aliquo modo videtur,quod habet Innocentius III.pręfatione in sex libros mysteriorūMissæ,*consuetudinem autèm Apostolicæ Sedis,non illam,quam olim legitur habuisse, sed eam, quam nunc habere dignoscitur, prosequendam proposui, quæ disponente Domino cæterarum Mater est, & Magistra*. Sed dictæ opinioni obstat,quod ibidem subdit Radulfus, *Huius rei*,inquiens,*Romæ contrariam didici veri-*

veritatem. Nàm olim, quando Romani Pontifices apud Lateranum residebant, in eorum Cappella seruabatur Diuinum Officium, non ità completè, sicut in alijs Vrbis Ecclesijs collegiatis. Imò Clerici Cappellares, siuè de mandato Papæ, siuè ex se officium Romanum semper breuiabant, & sæpè alterabant, prout Domino Papæ, & Cardinalibus congruebat obseruandum. Et huius officij Ordinarium vidi Romæ à tempore Innocentij III. recollectum, & istud officium breuiatum secuti sunt Fratres Minores. Indè est, quod Breuiarium eorum, & libros officij intitularunt secundùm consuetudinem Romanæ Curiæ: non autèm curauerunt mores aliarum Ecclesiarum vrbis Romæ, (quos propriè Ritum Romanum fuisse affirmat Bona loc.cit.) *recipere, & obseruare. Aliæ autèm nationes orbis Romani libros, & officia sua habent è directo ab ipsis Ecclesijs Romanis, & non à Cappella Papæ, sicut ex libris, & tractatibus Amalarij, Valfridi, Micrologi, Gemmæ, & cæterorum de Officio diuino scribentium colligitur euidentèr.* Hæc Radulfus, qui proindè ex quo Nicolaus Papa III *mandauit, vt de cætero Ecclesiæ Vrbis vterentur libris, & Breuiarijs Fratrum Minorum* (ob rationem prçattactam) infert: *vndè hodie in Roma omnes libri sunt noui, & Franciscani.* Bona verò *loc.cit.* præattactum discrimen Officij ad vsum Curiæ, & ad vsum Ecclesiç Romanç potiùs in Horis canonicis, quàm in Missa fuisse affirmans, sic probat; *idquè libri Missarum M.SS. euincunt, qui cùm libro Sacramentorũ, & Antiphonario S. Gregorij in forma, & serie Missæ vniformitèr conueniunt.* Hoc est, quod aiebam, ipsas Vrbis Ecclesias, Gregorianis, & ab alijs Summis Pontificibus prçfixis Ritibus recentis, vniformes in cæteris non omninò fuisse. Extrà vrbem verò tanta vbi-

què

què varietas erat,quanta,vt ait quidam, est colorum; ac schematum. Et Durandus, qui scripsit sub finem sçculi 13.adhùc proferre potuit in proemio Rationalis: *vnaquaquè ferè Ecclesia proprias habet obseruantias, & in suo sensu abundat, nec censetur reprahensibile, vel absurdum &c.* Propterea cùm ad vitium adhùc ventũ esset, reformatio, & inhibitio necessaria euasit, quas tandèm Romana Sedes præstitit, vt infra dicetur.

36 Itaquè S.P.Dominicus pro summa, debita sanè, qua semper Romanam Ecclesiam prosequutus est, veneratione, quamquè in suis Filijs optauit quàm maximè, totius Diuini officij peragendi ab ea normã ad minimum vsquè recepisset, ac suo Ordini proposuisset; sed in pręfata varietate quò se verteret fortassè nesciuit. Nouos aliàs ritus instituere, crediderim, nec pro ea, qua & à legibus condendis semper abstinuit, humilitate voluisse, nec potuisse. Cùm enim Innocentius III. facultatem noluerit illi concedere, vt nouo Ordini nouam conderet regulam, sed dixerit, vt regulam, & institutionem acciperet de approbatis, multò minùs concessisset, vt nouos induceret Ritus Ecclesiasticos in suo Ordine. Ratio enim primi fuit illud decretum in Concilio Lateranensi de anno 1215. pręsente S. Dominico, editum *cap. final. extrà de religiosis domibus: ne nimia Religionis diuersitas grauem in Ecclesia Dei inducat confusionem*, quod magis vrget pro secundo, tamquàm in re grauiori, ac oculis omnium patentiori.

37 Sentiunt ideò ex nostris nonnulli S. P. Dominicum, vti obseruantias suę Religionis, ità, & Ritus Ecclesiasticos, vltra Gregorianum, aliorumquè Sum. Pontif. auctoritate firmatum ordinem, ex alijs sumpsis-

sumpsisse, & ex multis velùt Manipulis vnum Manipulum strinxisse, non ità tamèn quòd propter breues dies, quibus Ordini fundato superstitit, res pro medio quasi infecta non remaneret, postmodùm perfecta, vt infrà dicetur.

38 Censent alij nullos SS. Patriarchā peculiares Ritus pręscripsisse, sed ab incunabilis Ordinis in vnoquoquè Conuentu eos fuisse in vsu, qui Ecclesię Matrici, seù etiam alteri pro Superiorum localium placito erant conformes, donec per B. Humbertū V. Ordinis Generalem toti Diuino officio certus fuit modus præfixus. Sed cum ex constitutione *dist.* 1. *c.* 1. habeatur, B. Humbertum totum Officium, quo ordo vtitur, correxisse, & ordinasse, videtur modus ille anteà extitisse correctione dumtaxat, & ordinatione dignus.

39 Cardinalis Bona, qui *lib.* 1. *rer. Liturg.* generalitèr profert, primos Ordinum Fundatores illum Ritum ab initio suscepisse, qui vigebat in ea Prouincia, in qua prima Ordinis, cuiusquè fundamenta iacta sunt, peculiaritèr de Ritu nostro psallendi in communi differens *libro de Diuina Psalmodia cap.* 18. §. 7. ait à Canonicis Præmonstratensibus, vti regulam S. Augustini, ità & ritum acceptum fuisse, sed viros doctrina, & sanctitate eximios in quibusdam mutasse. Pręmonstratensium autèm Ritus, paucis exceptis, cum Romanis conuenire probat idem Bona loc. cit. §. 6. in fine subdens: *de reliquo tàm diurnum, quàm nocturnū officium ea methodo ordinant, qua Romana consueuit Ecclesia; imò suum Breuiarium esse existimant antiquum Romanum, quod purum ab ipsis conseruatum sit, non acceptatis mutationibus, & nouis eiusdem reformationibus.*

An

An de Ritibus etiam Missæ intelligendum hoc veniat, Ritu Præmonstratensium missandi antiquo carui, vt discerem; cùm quo nisi fortasse Ritus Carthusiensium conueniat, assentirer potiùs Dominico Soto *in 4. sent. disp. 13. qu. 2. ar. 5. in fine*, innuenti nostrum Missæ ordinarium à Carthusiensium illo sumptum fuisse. Carthusienses autem Ritum Benedictinum ad Diuina excepisse, & paucis exceptis vix discrepare à Cistercienfibus refert Bona *loc. cit.* §. 5. de Diuina psalmodia agens. Sed quicquid de his sit, hoc scio, in pluribus, quibus ab vsu Romano nostrum Missæ ordinarium discrepat, Carthusiensium illi conforme esse, vti & nostro conforme est Carmelitarum illud, inter quos tamèn circumfertur opinio ab Ecclesia Hierosylimitana trahere originem; quod de eorum Breuiario, sic ideò prætitulato, affirmat Bona *loc. cit.* §. 8. addens, eorum Ritus non discrepare à nostris.

40 Non desunt tandem, qui credant nostros in Sacro faciendo Ritus omnes, tùm quoad actiones, tùm quoad preces, & verba antiquissimos esse Ecclesię Romanæ, allegantes Scripturam quandam doctissimi nostri Petri de Soto, quam in Conuentu nostro Tridenti, vbi ille diem clausit extremum, ferunt seruari, qua Patribus Concilij hoc conabatur ostendere. Scripturam non vidi: fundamentum de cętero, cui præcisè innitantur, ignoro.

41 Sed vt iàm non omninò certa omittam, hoc certum est vniformitatem in Ritibus Ecclesiasticis, quæ sæcularibus Clericis, Canonicis, ac Monachis deerat, in Ordine nostro sub ipsius initia fuisse desideratam; tùm maximè, quòd difformitas in viris hùc illùc-

illùcquè sanctæ prædicationis causa ex vi instituti peragrantibus,ac sępè in Comitijs ex diuersis Orbis partibus, quas Religio nostra giganteo gradu iàm iàm peruaserat,in vnum congregatis,confusionem gignebat, non citrà sęculi perturbationem prospicientis alium alios, vnumquemquè, aut suos,aut sui loci Ritus Sacris operantem seruare. Hinc necessitas orta est formulam certam stabiliendi, qua deinceps totus vbiquè Ordo vteretur, vt vno veluti ore, & labio debitum Deo obsequium persolueret. Varię ad hoc (vt refert *in suo commonitorio* noster Masplede) varijs temporibus quęstiones initæ sunt,ne scilicèt ampliùs in tanta Rituum confusione,vt ait ille, Ordo remaneret suspensus,canonico aliquo Breuiario,& Missali,ac alijs ad idem spectantibus selectis. Hoc varijs etiam in Capitulis Generalibus attentatum opus, vt finem consequeretur anno 1248.post Ordinis confirmationem 32. & 27. ab obitu S. P. Dominici apud Metim (hodiè Metas vocant in Mediomatricibus vrbem nobilissimam)assignatus fuit locus,ad quem quatuor Patres è quatuor OrbisChristiani pręciparũ nationũ nostris Prouincijs Hispanensi, Francica,Itala, Germana cõuenire deberent, vt collato studio,& cõmunicatis consilijs totũ Ecclesiasticũ officiũ ad certã normam reducerent. Huiuscè operis tunc etiam infecti complementum,ac perfectionem communis omnium Prouinciarum consensus Bononię anno 1253. commisit B.Hùberto nondùm Magistro Ordinis, qui proindè summo iudicio totum officium disposuit ea forma, qua adhuc Ordo vtitur ex pręscripto constitutionis dist.1.cap.1.§.4. *totum officium tàm diurnum, quàm nocturnum secundùm correctionem, & ordinationẽ*

Ven.

Ven.P.Fr.Humberti Magistri Ordinis confirmamus, & volumus vniformitèr ab omnibus obseruari, ità quod nulli liceat de cætero aliquid innouare. Quę constitutio facta est anno 1254. eo ipso, quo B. Humbertus ex Prouinciali Francię electus est in Magistrum Ordinis in Capitulo Generali Budę in Hungaria celebrato.

42 Cui ordinationi confirmationis Apostolicę robur accessit, iuxta breue Chronicon Generalium Ordinis: *Magister Humbertus Ordinis exemplar, & Cæremoniarum Pater, totum officium, quo Ordo vtitur ordinauit, quam ordinationem Dominus Clemens Papa IV. postea approbauit, & confirmauit*.

43 Quanta autem fuerit tanti Viri in his solicitudo patet ex libris Ecclesiasticis tūc ordinatis, quos quilibet Conuentus pro seruitio Chori, & Altaris habere tenebatur, qui sunt Ordinarium, Martyrologium, Collectarium, Processionarium, Psalterium, Lectionarium, Antiphonarium, Graduale, Pulpitarium, Missale Conuentuale, Epistolarium, Euangelistarium, Missale minorum Altarium, Breuiarium; quæ omnia curiosis valde, & diuersis ad pietatem efformatis characteribus referta perhibet testis oculatus P. Ioannes de Palentia *in notis ad Ordinarium*.

44 Cum itaquè sub generali officij ratione & Missa comprehendatur, tùm maximè quod in Ordinario B. Humberti legitur præscriptus vtriusquè Ritus priuatę, & solemnis Missæ, cum Ritu totius reliqui officij, consequenter nihil magis certum in hac re habemus, quàm quòd certam normam, vti reliqui officij, sic & Missę celebrandæ B. Humbertus Ordini nostro tradiderit; non ità quòd nouos ritus inuexerit (omnes enim in alijs Ecclesijs

vsu

vsu iam anteà receptos fuisse singulas Missę partes expendens palàm faciam ; sed quòd Gregorianis, seù Romanis vniuersalitèr tunc practicatis receptis, in cęteris hic, & ibi varijs ex diuersis Ecclesijs, siuè Pręmonstrantensium, siuè Carthusiensium, siuè alijs, quę pia, quę recta, nouo inspecto Religiosorum instituto magis visa sunt, aut à se tunc, seu ab alijs anteà (vt ferunt pręallatę opiniones,) non satis ordinatè, ac rectè collecta in vnum, vniuersalis Ecclesię canonicis institutionibus conformauerit, & respectiuè ad limã, & ad congruum ordinem reduxerit, sicquè correcta, & ordinata, vt loquitur Constitutio, Ordini proposuerit. Quod simile de Ritu Missandi Carthusiensium per Iuonem V. illius Ordinis Generalem factum fertur,

45 Verum tamèn est normam Missę sic à B. Humberto olim traditã in quibusdam à seipsa modò differre, quę addere, ac etiam mutare pro altera temporum ratione Patribus visum est expedire. Per illa enim verba mox allatę Constitutionis, *nulli liceat de cætero aliquid innouare*, excluditur priuata, non autem publica auctoritas, quam, vt patet ex prologo Constitutionum, ac etiam ex Breui Iulij Papę III. infrà allegando expressè Capitula Generalia retinuerant; per quę ideò nonnulla minoris momenti prętér, ac diuersa ab ijs, quę in Ordinario B. Humberti prę-scripta sunt, passim sancita fuerunt; nunquàm tamen à Ritu vniuersali aliena. Nam auctoritas huiusmodi, non nisi circa ea versabatur, vt habetur ex Petro de Soto *lib. cit. lect.* 14. quæ vniuersaliter obseruabantur, aut similia valdè erant vniuersalibus.

46 Vt autèm solent humanę res labi in deterius,

tempo-

temporum iniuria, & olim Typographię deficientia aliquando coadiuuante, factum fuerat, vt aliqua tàm Missalia, quàm Breuiaria nostri Ordinis morbo tunc penè communi laborarent, multis superuacaneis, ac supposititijs Missis, & officijs, nunquàm per Capitula generalia Ordinis comprobatis, & historijs, seù gestis Sanctorum apocryphis, & minùs nonnumquam verosimilibus deprauata. Propterea ad decorem nostram Religionem decentem Breuiarium reducendi, ac ad vetus institutum Missale reformandi curam Patres subierunt, & signantèr in Capitulo Generali Salmantino anno 1551. celebrato, à quo negotium hoc tunc cæptum, & ob temporis angustias infectum, vt ad sūmam manum perduceretur, cura demandata fuit Generali Romęo, qui hoc præstitit, opera vsus P. Angeli Bettini Florētini in d. Magistri Generalis Societate Prouincialis Angliæ, Breuiarium primò exponens innouatum lectionibus, sermonibus, & homilijs additis decoratum; deindè Missale suę restitutum sinceritati, & (vt ipse ait in epist. encyclica) *ad vetus Patrum institutum, reformatum, correctum, & emendatum*. Patet hoc ex Breui pro prædictorum Apostolicę confirmationis robore Iulij Papę III. directo prędicto Generali Magistro, dato sub annulo Piscatoris die tertia Maij 1552. in quo inter cætera hæc habentur: *Anno superiore cum Ven. Frater noster Ioannes Episcopus Portuensis S. R. E. Card. de Saluiatis nuncupatus Ord. Fratrum Prædicatorum apud nos, & Sedem Apostolicam Protector, nobis exposuisset, te cum alijs Patribus dicti Ordinis in vestro generali Capitulo tùnc proximè celebrando reformandis libris, scilicet Missali, & Breuiario pro vsu vestri Ordinis olim editis incumbere decreuisse,*

nos Apostolica auctoritate concessimus, quod quicquid tu, vna cum dilectis Filijs Prioribus Prouincialibus dicti Ordinis in eodem Capitulo ad Diuinum pertinens officium effetis ordinaturi corrigendo, vel augendo, aut etiã minuẽdo, seu mutando, id perindè firmum haberetur, ac si per tria Capitula continua esset comprobatum. Cum autem sicut idem Ioannes Episcopus nobis nuper exposuit, licet reordinandorum prædictorum librorum opera à tè, & reliquis Patribus prædictis in Capitulo Generali Salmanticæ celebrato sedulo capta fuerit, tamen ob temporis angustias illic absolui nequiuerit, & propterea communi totius Capituli voto tibi cura demandata fuerit, vt per Socios tuos, vel alios Fratres prædicti Ordinis, ad hoc idoneos extrà Capitulũ opus captũ perficeretur, idquè iam tua diligentia perfectum sit, additis etiam, & imminutis quibusdam, & alijs immutatis, quæ ad decorem Diuini cultus expedire iudicasti &c. Nos, &c. emendationem, additionem, mutationem, & editionem præfatas, tam in dicto Capitulo, quàm posteà, vt præfertur, factas dicta authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac volumus, & eadem authoritate decernimus, quod posthac libri prædicti tam pro particulari Fratrum, & sororum dicti ordinis, quàm pro communi Chori vsu iuxtà emendationem, additionẽ, mutationẽ, & editionem huiusmodi imprimantur; & quod à forma nouæ editionis huiusmodi, ad veterem, ad alium quempiam vsum recedi, vel quicquã de ea mutari, ac deinceps procurari, vel permitti possit, quod dictis libris sic correctis aliquid addatur, seu minuatur, etiam prætextu particularium aliquarum Festiuitatum, quæ in certis Prouincijs, aut Ciuitatibus consueuerint celebrari: nec quauis alia occasione, nisi iuxtà instituta dicti Ordinis per Generale Capitulum alitèr constitutum

fue-

fuerit &c: non obstantibus &c.

47 Ob eiusmodi absurdum, quod in vniuersalē latinàm Ecclesiam, non citrà grauem Diuini cultus perturbationem, irrepserat, atque in dies irrepebat impunè, B. Pius V. Pontifex Maximus, iuxtà decretum Sacri Tridentini Concilij Missale, cùm Breuiario Romano ad antiquam Sanctorum Patrum normam reuocatum disposuit de cætero eà ratione, qua deinceps Romana Ecclesia, cæteræque toto Orbe diffusæ latinæ Ecclesiæ vterentur, opera vsus Fratris Francisci Forerij Lusitani Ord. nostri vnà cum duobus alijs è nostro Ordine assumptis Antistitibus, Leonardo scilicet Marino Archiepiscopo Lancianen. & Ægidio Fuscarario Episcopo Mutinen. adiecto illis, seù potiùs præfecto, Gulielmo Cardinali Syrleto: Sicquè, & maximè post institutam ab Apostolica Sede Sacram Rituum Congregationem, abusibus in re Cæremoniali anteà gliscentibus via deinceps præclusa est. Ab illa enim summa sapientia, & prudentia examinantur officia, & preces nouiter inducendæ, & simul per licentiam vsurpata in Ritibus potestas coercetur.

48 Tunc idem B. Pius V. alios quoscumque Missandi ritus interdixit, *nisi* (verba sunt ipsiusmet Bullæ Missali Romano præfixę) *ab ipsa prima institutione à Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quæ, vel ipsa institutio super ducentos annos Missarum celebrandarum in eisdem Ecclesijs assiduè obseruata sit, à quibus, vt præfatam celebrandi constitutionem, vel consuetudinem nequaquam auferimus, sic si Missale hoc &c. ijsdem magis placeret, iuxta illud Missas celebrare possint, permittimus &c.* Missale proinde nostrum in suo robore perman-

sit, tum ob consuetudinem super ducentos annos, tum ob institutionem à Sede Apostolica approbatam. Et licèt de assumendo Missali Romano pluries sermo fuerit, prænaluit semper votum renuentium dimittere morem Patrum suorum.

49 Veruntamen, iam tandem præscripta vniformitate vniuersalitèr in Ecclesias inducta, incommodum Fratribus nostris Sanctæ prædicationi operam nauantibus inde subortum est, quod nonnulla nostrorum Missalium Euangelia præcipue Quadragesimæ (ex D. Hieronymi comite, siuè lectionario, cum alijs excepta, vt tit. XI. ostendā,) discrepabāt ab illis. Ob hanc, aliasquè Patrum mentem dignè mouentes caussas in Capitulo generali Romę 1601. præsidente, ac Summi Pontificis desiderium proponente Cæsare Cardinali Baronio, ventum est in votum, vt Missalia nostra Romanis conformarentur, forma nihilominùs, seù ritu antiquo retento, immò & sibi restituto: Plurima enim, nescio qua fultus auctoritate, innouarat prædecessor Generalis Beccaria, pietatem quidem, qua ille præcelluit, redolentia, sed ab antiquo Ritu aliena, vt ex operis progressu patebit. Huius peragendi negotij curam tūc Ordinis Generali Xauierre idem generale Capitulum demandauit, idquè ab eo pręstitum Apostolicæ confirmationis præsidio roboratum est à Clemente Papa VIII. cuius constitutionis summa hæc est. *Cùm in Capitulo Romano 1601. Ordinis Prædicatorum resolutum fuerit, vt Missale, Breuiarium &c. quammaximè conformarentur Romanis præcipuè quoad Epistolarum, & Euangeliorum seriem, seruato tamen dicti Ordinis antiquo Ritu, & negotium hoc fuerit executioni mandatum &c. Nos vt præfati libri sic refor-*

formati, in tota Religione recipiantur &c. tenore præsentium auctoritate Apostolica præcipimus, vt libri prædicti sic reformati &c. tàm pro particulari vsu Fratrum, & Sororum dicti Ordinis, quàm pro vsu communi Chori alitèr imprimi non debeant, nec in eis aliquid addatur, minuatur, vel mutetur &c. & in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis maioris pœna mandamus omnibus Prælatis, ac personis Religiosis eiusdem Ordinis, vt deinceps publicè, & priuatim in Choro, & extrà precari, celebrare, & psallere teneantur iuxtà formam librorum sic reformatorum non obstantibus &c. Iuxtà Apostolicã hanc præscriptionẽ vix aliquid postmodũ quoad materiam innouatũ est, & quo ad Ritum in sua antiquitate, & robore, vt videtur, relictum, paucula quædam per generalia Capitula innouata sunt, Ritui tamèn Romano nostrum conformando, vt suis locis adducta patebunt, quò & SS. huius Pontificis mens collimasse videtur.

50 His præmissis firma veluti Conclusio innititur pro Ritu nostro assertum D. Ambrosij pro suis tom. 4. Sacram. l. 3. cap. 1. *quod alibi rectiùs seruatur, & nos rectè custodimus*; cùm maximè pauca, in quibus noster ab vniuersali discrepat, antiquitate commendentur, ac suis non careant congruentijs, & vt loquitur cùm D. Augustino, Petrus de Soto *lib. cit. lect.* 14. iusta ratione inuecta, traditione probentur, nec non aliquid habeant exhortationis bonorum morum, vti ex his, quæ singulas Missæ partes expendens, allegabo, constabit, vt proindè iuxtà Apostoli monitum Rom. 10. & nos Deo exhibere certum fiat *rationabile obsequium*. Cùm prætereà Ecclesiæ, in qua Apostolicæ Cathedræ residet Principatus, ap-

probationem præſeferat, quæ errare non poteſt, vtpotè Spiritu Sancto inſtructa, ſicut de huiuſmodi Cæremonijs agens docet *D.Th.3.p.q.83.ar.5.* temeritatis notam ſe ſciat incurrere, inquit Nugnus in *D.Th.hic dub.* 1. qui diuerſum hunc, alioſquè huiuſmodi Miſſam celebrandi modos non eſſe conuenientes aſſereret.

STA-

STATERA SACRA

MISSAM

Iuxtà Ritum Ordinis Prædicatorum practicè, historicè, & mysticè expendens.

De præparatione spirituali Sacerdotis celebraturi.

TITVLVS I.

RVBRICA.

a *Sacerdos cum* b *Missam celebrare voluerit, suæ* c *conscientiæ primò consulat, considerando, si in aliquo offenderit Deum, & proximum suum. Postmodùm, præuia præparatione debita,* d *confiteatur peccata sua,* e *antequàm induat Sacras vestes, confessore sedēte, & ipso genuflesso, discooperto capite, ità vt mundus ad Altare accedat, & peracta pœnitentia,* f *orationi aliquantulū vacet,* g *dicendo orationes inferiùs positas pro temporis opportunitate.*

NOTÆ:

1 a SAcerdos dicitur quasi sacra dos, sacra dans, sacra docens, sacer dux. Est enim ex ministerij meritis ipsamet sanctitas, illiusquè est sacra alijs dare, docere verbo, ducere exemplo.

2 Vocatur etiam Presbyter ex græco, quod est senior latinè, nomen Abrahę primò attributum, non propter ætatem, cùm ab Adam multi maiores natu Abraham præcesserint, sed propter sapientiam. Scriptum enim est Sap. 4. *ætas senectutis vita immaculata.* Et Psal. 23. *quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde.*

3 Sacerdotium ab Aaron in veteri lege sumpsit originem. Verùmtamen ante legem Sacerdotes fuisse leguntur. Immò à nonnullis Adamus quoquè sacerdotio initiatus fertur; quod Moyses Barcepha *de Paradiso* 1. *p. c.* 28. relatus à Nouarino *l.* 5. *sac. elect. excurs.* 57. colligit ex Dauide, vbi veluti loquentem Adamum cùm Deo inducens, ait: *tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Sacerdotium enim manuũ impositione confertur.

4 Quia verò Melchisedech primò sacrificium obtulit panis, & vini, in nouo testamento Christus Dominus, qui consummauit in æternum sanctificatos, & ad perfectum adduxit, Sacerdos dictus est secundum ordinem, seù secundum ritum, Melchisedech, vti *ex psalm.* 119. affirmat Apostolus *ad Heb.* 7. & 8.

5 Post Christum à Petro Sacerdotalis cæpit ordo, cui dictum est *Matth.* 26. *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* vti habetur *in epist.* 2. Anacleti, quæ refertur *in canone dist.* 21. *cap. in nouo testamento.*

6 b *Missam*. Nomen est ab initio Fidei (quicquid blaterent hæretici) inductum in latinam Ecclesiam ad Sacrificium Euangelicum designandum; cùm habeatur *in* 3. *epist.* D. Clementis Petri discipuli, &

& in Apostolatu successoris, nec non *lib. 7. hist. Babylonia* Abdię Episcopi Babyl. qui mortuo Christo superstitit. De hoc fusim Grauina, Melchior Canus, & nouissimè Gonet *3. p. disp. 11. ar. 1.*

7 A voce Hębraica Missah cum Baronio *anno 34. nu. 59.* ob hoc potissimùm sentio, quod reperitur ea vox, vbi sacrificium in die Pentecostes offerendum præscribitur, vt missæ per Apostolos eadem die celebratæ figuram fuisse verisimile sit.

8 Consonat vocis Missah significatum, quod est spontanea oblatio. Christus namquè, vt dicitur Isaiæ 53. *oblatus est, quia ipse voluit*; Et ipse est Hostia nobis missa à Deo, & à nobis per Angelum mittitur ad Patrem, ex D. Th. *3. p. q. 83. a. 4. ad 9.* nec non *opusc.* 66. Gregorius etiam *l. 4. dial. c. 58. Sacrificium* inquit, *Missa* (subintellige Hostia) *vocatur, quasi transmissa primùm nobis à Patre, vt esset nobiscum per incarnationē, posteà patri à nobis, vt intercedat pro nobis ad ipsum per passionem.*

9 Definitur autèm Missa: actio sacra, qua in Ecclesia catholica conficitur Eucharistia multis præcedentibus, & subsequentibus precibus, & Cęremonijs, ex Gonet *loc. cit.*

10 Esse verè, & propriè Sacrificium Catholici vnanimitèr profitentur, & contrarium asserentes anathematis gladio feriuntur à Tridentino Concilio *sess. 22. de Sacr. Missæ c. 1.*

11 Esse idem cùm Sacrificio Crucis definit idem ibidem Concilium; ex parte scilicèt rei oblatæ, & principalis offerentis Christi, qui vnà cùm Sacerdotibus offerentibus minùs principalibus sacrificium offert, & ad actionem sacrificandi concurrit; quod clarè

clarè de more explicat Gonet *loc.cit.ar.3.*

12 Esse tantùm offerendi ratione diuersum idem ibidem Tridētinū docet; quia,licet sit illudmet Corpus Christi, & illemet Sanguis Christi in Altari, & in Cruce,& in Cælo modò, tamèn tunc oblatum est corporalitèr, modò offertur spiritualitèr, tunc est oblatum in re mortis,nunc offertur in mysterio mortis;vti subtilitèr explicat Caietanus *tom.2.opusc.tract.2.c.9.de Euch.*

13 Esse proindè propitiatorium,& impetratoriū nec non illa omnia perfectissimo, & eminentissimo modo præstare, quæ quatuor veteris legis sacrificia, holocausta,propitiatoria,eucharistica, & impetratoria præbebant Tridentini definitioni innixi Theologi communitèr firmant.

14 * Quoad Ritus nostri praxim,de quo,& quomodo Missa per annum celebranda sit, & quoad totum,& quoad eius partes, documenta habemus in Missali post rubricas generales,& alibi. Quia tamèn dubia,in extraordinarijs præcipuè, solent suboriri, non omitto hìc breuitèr aduertere, nostrum Missæ officium quoad celebritatis modum ab vniuersali in hoc vix,mea sententia,differre, quod nostrum totum duplex æquiualet illius duplici, quod maius vocant (duplex enim primæ, & secundę classis potiùs festorum concomitantiam concernit.) Sic duplex nostrū duplici,quod minus vocant, sic simplex semiduplici, & nostrum trium lectionum simplici illius respondet. Quæ enim semiduplicium in antiquis nostris Ordinario & Missalibus mentio est, desijt sub Generali Caballo. Hoc supposito, generalis regula sit, vt, dubijs insurgentibus, tacente rubrica nostra, aut eius

sensu

sensu non satis claro, Ritui nos vniuersali conformemus, eiusquè dispositionibus, ac respectiuè Scriptorũ expositionibus, quibus ille abundat, stemus. Cùm enim, vt alibi dixi, Ritus noster sit quædam exceptio priuilegiata à iure communi, in dubijs legi communi standum est. Et sanè Gauantum, & Quartum *lib. alibi citat.* consulenti alicuius dubij solutio, non æstimo, desideranda remanebit.

15 c *Suæ conscientiæ primò consulat.* Præceptum Apostoli est 1. Cor. 11. *probet se ipsum homo, idest* (explicat D.Th. opusc. 58. c. 15.) *præparet se, examinet, purget, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat.* Terreat, ac deterreat Augustinus grauiùs docens peccare indignè offerentes Christum regnantem in Cęlis, quàm qui eum crucifixerunt ambulantem in terris; qui dolens de huiusmodi: *super dolorem vulnerum meorum addiderunt,* meritò decernit: *fiat mensa eorum coràm ipsis in laqueum.*

16 d *Confiteatur peccata sua. Præoccupemus* ergò *faciem Domini in confessione: mundemus nos* (vt monet Basilius l. 2. de bap.) *ab omni inquinamento, atquè ad sancta accedamus, vt iudicium eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus.*

17 Quòd si nullius læthalis criminis conscij nobis sumus, adhùc congruit à frequenti Sacramentali confessione non abstinere, vt dicente psal. *ampliùs laua me ab iniquitate mea,* & nos super niuem dealbemur, contrectaturi speciosum forma præ filijs hominum, de quo scriptum est Iob. 4. *in Angelis suis reperit prauitatem. Septies in die cadit iustus,* ait sapiens; & venialia licet non occidant animam, tamen (docet D. Bonauentura l. de præp. ad mis. c. 5.) *reddunt hominem*

tepi-

tepidum, grauem, & obnubilatum, & indispositum, & ineptum ad celebrandum.

18 * Meritò proindè in Capitulis Generalibus Bononiæ 1252. & 1426. ac Mediolani 1505. Sacramentalem confessionem frequentare sacerdotes iubêtur, pœna etiam illa, quam grauis culpæ vocamus, proposita negligentibus.

19 e * *Confiteatur antequàm induat sacras vestes, cōfessore sedente, & ipsogenuflexo, discooperto capite.* Hæc fuerunt præscripta in Capitulis Generalibus Tolosę 1258. Auenioni 1561. Romæ 1569. ob conciliandam debitam pænitentiæ Sacramento reuerentiam, ac decentiam, quæ potiùs habitum humilem Religionis, quàm pretiosum Sacerdotij expostulat, vt aduertunt Gauantus, & Quartus *in rubricam Miss. Rom.* qua tacente, hæc adhùc merito proponunt.

20 * Exigit hæc, vt non in cellis, dormitorijs, & huiusmodi, sed in locis, quæ aliquam præseferant pietatis speciem, & non sine toto habitu Ordinis, fiant, ac respectiuè audiantur confessiones; ad quem effectū in Sacristijs nostris, vel (si illæ minus capaces sunt) in alio loco ipsis contiguo constitui aliqua oratoria decentèr præparata iubet Capitulum generale Vlyssiponæ habitum anno 1618.

21 f *Orationi vacet.* In Liturgia Basilij exclamat Pontifex: *sancta sanctis*; quam formulam antiquissimæ traditionis etiam in occidentali Ecclesia, teste Baronio *an.* 57. *nu.* 147. exponens Chrysostomus hom. 17. in ep. ad Heb. ait, *quando dicit sancta sanctis, hoc dicit: si quis non est Sanctus non accedat. Non solùm, inquit, à peccatis purus, sed etiam præsentia Spiritus. Sanctum enim non facit solùm liberatio à peccatis, sed etiam præsentia spiri-*

spiritus, & bonorum operum abundantia. Neminem lateat, quod ait Bernardus serm. 64. in cant. *qualem te præparaueris Deo, talis tibi apparebit Deus*; cui consonat Eusebius Emiss. hom. 3. ad Rel. *quantùm apposueris ad diligentiam, tantùm ille addet ad gratiam*.

22 Scio me Theologos alloqui, & omnes quidẽ Magistros meos. In mẽtẽ ideò dũtaxat reuoco, quantitatẽ huius Sacrificij esse infinitã, ità quod est impetratiuũm (cùm Caiet. loquor *tom. 2. opusc. tract. 3. q. 1. a. 2.*) meritorium, & satisfactorium infinitè; vndè effectus eius infinitus est, sicut & passionis Christi. Est enim Deo acceptius, quàm sint exosi omnes peccatores. Verumtamen, sicut infinitas effectus Christi Crucifixi est secundùm sufficientiam, & non secundùm efficientiam, & secundùm naturam causæ vniuersalis indeterminatæ scilicèt, & nõ determinatę ad hũc, aut illũ effectũ, ità hoc sacrificiũ est ex sui natura infinitæ sufficiẽtiæ, & indeterminatæ efficacia; & sicut efficacia passionis Christi determinatur ad hunc per hoc, vel illud Sacramentum, ità efficacia huius Sacrificij per hanc, vel illam deuotionem. Sicut enim in naturalibus causa vniuersalis non agit, nisi iuxtà dispositionẽ subiecti, ità causę vniuersales in ordine supernaturali, nempè sacrificium Crucis, & Missæ non agunt, nisi iuxtà mensuram dispositionis subiecti, quæ per orationem comparatur.

23 Hoc sanè antiquorum captum non effugit, qui prolixis orationibus, quas Apologias vocabant (huiusmodi illæ sunt, quas ex D. Ambrosio, Augustino, & alijs in Missali post rubricas habemus,) totius noctis celebrationis diem præcedentis peruigilio, ad ostium Diuinæ bonitatis pulsabant, vt ad sancta Sanctorum

ctorum sibi aditum sternerent. Immò nonnulli sacrũ peragere non audebant, nisi inter præparatorias orationes sacra aliqua propitia visio vires, atquè animũ sufficeisset, vt de S. Carpo refert ex Dionysio Areop. Baronius *an.59.nu.16.* & ex Prato spirituali de quodam Episcopo *an.536. nu.68.* Quid quod Apostoli ipsi 40. ab Ordinis Sacerdotalis susceptione diebus à sacro faciendo abstinuisse dicuntur, nequaquã ausi tàm sublime aggredi ministerium, donec ad illud disponerentur Diuinæ Gratiæ plenitudine, qua in aduentu Spiritus Sancti imbuti sunt?

24 Desipiat ergò Lutherus, negans accedentem ad hoc Sacramentum (non illud agnoscit vt sacrificium) vlla opus habere animi præparatione, nisi sola fide, & confidentia: error proscriptus à Tridentino *seß.13.can.15.* Nos, qui Christi personam gerimus, Christi imitemur exemplum, qui in præparationem Sacrificij Crucis, in quo ipse Sacerdos extitit, & Victima, orauit in Horto, orauit in Monte Olineti.

25 g *Dicendo orationes inferius positas*, quæ insuper prostant in nostris Sacristijs, eędem, quæ officio paruo B.Mariæ Virginis insertæ sunt, quarum vna ea est: *Ego volo celebrare Missã &c. Gaudiũ cũ pace &c.* quam qui recitat Sacerdos Indulgentiam lucratur annorum 50. ex concessione Gregorij XIII.

26 *Nequè quis ex nostris, alijsuè Ritu consimili vtentibus, mentiri se credat dicens: *Ego volo celebrare Missam &c. iuxtà Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, recolens, quod firmaui in *titulo 2.prælim.nu.28.& seqq.* Ritum nempè nostrum, Carthusiensium, ac Carmelitarum, nequaquàm absolutè loquendo, alterum esse ab illo S.R.E.

27 Quin-

27 Quinque autem Psalmorum cùm suis vers. & orationibus recitatio in nostris Sacristijs tabellis, vt plurimùm, præfixa, etsi in nostro Missali non apposita, nec, etiam vtentibus Missali Romano, sub præcepto sit, vt docet cùm communi Quartus *in hanc rub. dub.* 4. optimi tamen est consilij, vt quicquid tanto indignum ministerio quinque sensuum transgressione Sacerdos commisit, congrua illa quinque Psalmorum prece detergat, vt monet Innocentius III. *de myst. Missæ l.* 1. *cap.* 47. Septem verò subsequentes orationes cùm totidem versiculis sunt ad septiformem gratiam Spiritus Sancti obtinendam, nec non, ex Innocentio *loc. cit.* cordis munditiam, & munimen. Preces prætereà ab Ecclesia, quam certum est Spiritu Sancto regi, propositæ quibuscunquè priuatis alijs procùl dubio præferendæ veniunt.

DE

De præparatione Materiali.

TITVLVS II.

RVBRICA.

a *Cùm ad Sacristiam celebraturus aduenerit,* b *matutino saltèm absoluto, inuocato Diuino Nomine, quo hoc in opere quàm maximè, si aliàs vnquàm, ipsi procùl dubio opus est, accipiat* c *Missale,* d *perquirat Missam, perlegat, ac signacula ordinet ad ea, quæ dicturus est. Postea* e *abluat diligentèr manus,* f *& vultum,* g *dicendo:* da Domine virtutem &c. *nec quicquàm vel indecens, vel indecorum, ac minùs comptum ad Missam audiendam aduentantium aspectibus appareat. Deindè* h *Calicem præparet diligentèr ipsum abstergendo* i *Purificatorio ad hoc præparato. Purificatorium super os eius ponat, & super illud* l *Patenam cùm* m *Hostia, quam ab omni scabricie diligentèr mundabit, vt non habeat, quod indignum Sacrificio iudicetur, vtpotè non fracta, non referta maculis, non perterebrata foraminibus. Ipsam* n *Velo serico tegat, & super Velo* o *ponat* p *Bursam* q *intus habentem* r *Corporale, & Velum super Bursam* s *reducat.*

NO-

NOTÆ.

28 OFficium Missæ consistit in quatuor, ex Innocentio III. *præf. in sex lib. Myst. Missæ*, scilicèt in Personis, operibus, verbis, & rebus. Personarum tres sunt ordines, celebrantium, ministrantium, circumstantiũ. Tres operum species, gestus, actus, & motus. Tres diuersitates verborum, orationes, modulationes, lectiones. Tres rerum materies (de quibus in præsenti titulo) ornamenta, instrumenta, & elementa. Hæc autèm (inquit ibi Innocentius) *omnia diuinis sunt plena mysterijs, ac singula cælesti dulcedine redundantia, si tamen diligentem habeant inspectorem, qui nouit sugere mel de Petra, oleumquè de saxo durissimo.* Hoc supposito.

29 a *Cùm ad Sacristiam celebraturus aduenerit &c.* mente obuoluat à Patriarchis, & Prophetis anteà prænunciatum, atquè expectatum (ad quem Patrum clamorem, ac prænunciationem Campanarum sonitus, Missæ solitus præmitti, referri potest) Deum de Deo Dei Filium Dominum nostrum IESVM Christum, qui, vt nostræ carnis indumentum assumeret, nostrequè operaretur mysterium salutis, in Vteri Virginalis thalamum ingressus est; ex Titelmano *tract. de exposit. myst. mis. cap.* 1. & Porrecta *lib. Sacer. æter. c.* 10.

30 b *Matutino saltèm absoluto.* Recitationem Matutini debere Missæ celebrationem præcedere sub peccato ad summum veniali fert sententia vsu communi nostris temporibus recepta, quam docent ex nostris Dominicus Sotus, Alphonsus de Madrigal, Ioannes Lacrutz, & Nugnus, qui tamèn limitat pro

Missa Conuentuali. Cæterum S. Antoninus, S. Raymundus, B. Pius V. (vtpotè qui hunc in Missali Romano inter graues defectus collocauit) Leonardus de Vtino, Tabiensis, Auctor Sum. Aureę Armillæ, & ex exteris plures apud Barbosam, Dianam, & alios, sub mortali debitam cùm sententia olim communi asseuerant, institutam credentes potissimùm in præparationem ad Missam; cùm maximè IESVM nocte comprehensum, ac manè illusum, ideòquè passioni iàm deditum repręsentet: vndè magis timoratæ conscientiæ viri Primam etiam, qua gentibus traditus, seù etiam Tertiam, qua flagellatus, ac voce crucifixus recolitur, Missæ præmittunt. Propterea in rubrica appositum est ly *saltem*. Hæc dixi, non quòd strictiorem illam opinionem proponam, aut morales quæstiones hìc adnectendi mens sit, sed vt quisquè, rem dubiam non ignorans, partem tutiorem sequens propriæ magis caueat conscientiæ.

31 c *Missale* ob Missam, quam continet, hanc primò obtinuit nomenclaturam à S. Gregorio apud Gauantum *thes. sac. rit. p. 1. tit. 1. lit. c.* Liber Mysteriorum, ac Sacramentale olim vocabatur ex eodem *ibidem*: S. Gregorium illud aliàs prætitulasse librum Sacramentorum patet ex deductis à me *tit. 2. prælim. num. 30.*

32 Mysticè repræsentat Missale librū, de quo in Apocalypsi 6. ex Innocentio III. Myst. Missæ *l. 1. c. 3.*

33 d *Perquirat Missam, perlegat &c.* ex statuto Capituli generalis Mediolani 1505. Hæc habet & rubrica Missalis Romani. Congruit sanè, vt Missam in Altari, vti præcipuè in memorijs non rarò accidit, quæritando, ne dicam, & malè lectitando, tędium, ac per-

perturbationem non pariat adstantibus. Quis Angelico doctior Doctore? Hunc eius fert vita nihil vnquam, non anteà priuatim lectum, recitasse in puplico.

34 *e Abluat diligentèr manus*. Multas cæremonias legales, vt ex operis progressu patebit, in suum vsum Ecclesia transtulit; easquè seruat, *non tanquam cæremoniale veteris legis præceptum* (vt loquitur D.Th. 3.p.q.83.ar.5.ad 1.) *sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut quiddam secundùm se conueniens*. Illa enim, (vt ,, ait S.Leo *ser.4.de ieiunio 10.Mensis*,) quæ rerum ,, futurarum figuras gerebant, impletis, quæ significauere, finita sunt; sed (vt dicit idem ser.10.) peractis figuris, quas abstulerat ipsa presētia veritatis, ,, ea quæ vel ad regulas morum, vel ad simplicem ,, Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud ,, nos forma, in qua sunt condita, perseuerant; & ,, quæ vtriquè testamento erant congrua, nulla sunt ,, commutatione variata. Hęc ille. Ex his est manuum ablutio. Legitur enim Exod. 30. & 38. & 40. quod Moyses fecit labrum ęneum de speculis mulierum, in quo lauabant se Sacerdotes in ingressu tabernaculi testimonij, quando accessuri erant ad Altare.

35 Est autem hoc secundùm se conueniens *primò*, ait D.Th.loc.cit. *propter reuerentiam, quia aliqua preciosa tractare non consueuimus, nisi manibus ablutis: vndè indecens videtur, quod ad tantum Sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporalitèr inquinatis*. Hanc ideo ablutionem omittentem non excusari à peccato etiam mortali, si manus sint notabilitèr sordide, docet cùm communi Quartus *in hanc rubr.dub.5*

36 *Secundo*, prosequitur D.Th. ibidem, *propter significationem*-

gnificationem, quia vt Dionysius dicit 3.cap. Eccl. hierar. *extremitatum ablutio significat emundationem etiam à minimis peccatis,* quę sacris operaturos maximè decet. Consonat his oratio: *da domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, vt sine pollutione mentis, & corporis valeam tibi seruire &c.*

37 *Et hoc idem significabat* (inquit ibi D. Th.) *ablutio Sacerdotum in veteri lege, vt ibidem Dionysius dicit.* Propterea Durandus l.4.c.3. cùm in Exod. loc. cit. dixisset in labro æneo sonoro significari confessionem, in altari aureo mentis amaritudinem, in speculis mulierum vitę sanctorum considerationem, subdit: Sacerdos ergò prius quàm ad Altare veniat, per confessionem, siuè lacrymis pęnitentię se abluat, per mentis amaritudinem se purget, per cōsiderationem vitæ sanctorum se informet, &c. Deindè manus lotas manutergio tergit, quià post lachrymas contritionis peccata abhorrere, & abolere, per opera satisfactionis debet.

38 * f *Et vultum &c. nec quicquam indecens, vel indecorum, ac minùs comptum &c.* Vltrà manus faciem quoquè abluendam, nec non caput pectinandum esse, vt quid vniuersalitèr practicatum supponit Durandus *loc.cit.* non ad voluptatis, inquit *ibi in fine*, oblectamentum, sed vt in figuram à Domino Sacerdotibus legis iniunctum, vt nempè externa hac corporis internam animi protestemur compositionem. Fit insuper, ait ibi Durandus, primò exemplo Mariæ, quæ futuram Christi passionem figurans, vnxit oleo caput eius, etenim in Missæ officio Christi passio reprę sentatur. Secundò ex mandato Christi dicentis Lucæ 3. cùm ieiunas vnge caput tuum,

ac

„ ac faciem tuam laua, per hoc significans, quod in „ sanctis operibus nostris, omnem fictionem, & simulationem à nobis amouere debemus. Hæc, & plura de hac re Durandus ibi. Quę tamẽ, mea sententia, potiùs pię meditationis, quã præcepti prębent argumẽtũ. Vnde nec crediderim teneri ad hoc nos pręstandum immediatè ante Missam, vel si absit indigentia, cum ex ipsa rubrica videatur dumtaxàt caueri, ne quicquàm indecens, ac minus comptum aduentantiũ adspectibus appareat.

39 g *Dicendo: da Domine virtutem manibus meis &c.* De hac eadem ratio est, ac de alijs, quæ ad singula paramenta notantur, precibus, quarum recitatio tanti sit à Nauarro *sum. c.25. nu.23.* vt sub mortali debitam putet; & licèt sub veniali ad summum censeat cùm cõmuni Quartus *in h.tit. rub. dub.8.* quis tamẽ charitatis feruorem, huic diuinæ actioni in gradu sũmè intenso debitum, noxa veniali remittere, ac tepefacere non vereatur?

40 h *Calicem*. Vsus Calicis incępit ab ipsa institutione Euangelici sacrificij: siquidem Christus Dominus in nouissima Cęna calicem adhibuit, vt cõstat ex Euangelijs. Feria ideò quinta maioris hebdomadę Natalis Calicis ab antiquis Patribus vocabatur, vt testatur Eligius Episcopus Nouiomen. *hom. 10. in cæna Domini*.

41 Calicem illum fuisse argenteum Baronius *an.34. num.63.* testimonio Bedę innixus, affirmat: & Christi exemplo Orthodoxam Ecclesiam semper, & vbiquè in hoc conspirasse, vt aurei, vel argentei Calices vsui essent, eruditè probat Bona *l.1. rer. lit. c.25. nu.1.* Scio Bonifacij responsum, quod refertur de-

D 3 conf.

conf. dist. 1. cap. vasa: *quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus vtebantur; nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis vtuntur*. Scio, quod docet D. Th. *loc. cit. ar. 3. ad 6.* de vitreis à Zefirino propositis. Hoc tamen, non in Ecclesiæ legem referendum est, sed potiùs tolerantiam ob temporum calamitates, ac signantèr barbarorum incursiones, quæ coegerant omne aurum, & argentum Ecclesiæ pauperibus, & in captiuitate detentis erogari.

42 Calicem in Missæ Mysterio Christi sepulcrum repræsentare concedit *D. Th. loc. cit.*

43 i *Purificatorio*, de quo non extat in iure preceptum, non in antiquis scriptoribus mentio, non in Ritualibus specialis benedictio, nomen datum est ab illius vsu in purificatione necessaria necessitate reuerentię digitorum, ac sacrorum vasorũ: quod antiquitùs pręstitit Manipulus, si credimus Macro *in suo Dict. Sacr. V. Purificatorium*, vel alia mantilia, si Gauanto *in hanc rub.* vbi tamèn ait purificatorij, nec nomen, nec rem apud antiquos inuenisse. In nostro quidèm * antiquo ordinario *lib. 2. par. 9.* cuiusdam linteoli, quod Purificatorij munus præstabat, mentio habetur, ex vsu ab antiquis Monachis præsertim Cisterciensibus deducto, quem refert Bona *loc. cit. n. 11.*

44 Solet Crux texi in medio Purificatorij: laudabilis sanè consuetudo, vt secernatur ab alijs lineis, specialisquè illi ratio habeatur, quod tàm proximè ministerio deseruit.

45 Non omitto hìc aduertere ex communi Doctorum sententia adhibentes Purificatoria, & Corporalia, immò & vestes sacras notabilitèr immunda, aut lacera incurrere, titulo grandis irreuerentiæ, peccatũ mor-

mortale, quod Caietanus *in summa V. Missa*, crimen valdè intolerabile appellat, damnatum non solùm à canonico iure *extra de custod. Euch. cap. 2.* sed à naturali etiam. Contrà huiusmodi invehitur acritèr Petrus Damianus *opusc. 26. c. 1.*

47 * Nostri verò Præsidentes Conuentuum à pluribus Gen. Capitulis se iussos meminerint circà huiusmodi munditiem maximè insistere.

46 l *Patenam*, sic dictam à patendo ex Amalario *l. 3. c. 27.* vel quia dispansis, patentibusquè oris sit ex Isidoro *l. 2. orig. c. 4.* in mensa nouissimę cęnę (Catinum nempè) extitisse constat ex Euangelio Ioan. * An verò in illa consecratum panē Christus posuerit, nulli exprimunt Euangelistę, vt aduertit Bona *loc. præcit.* Ecclesiam autem ab initio vsam esse Patena affirmat Quartus *in hanc rubricam* ex Gregorio Turonen *in hist. Martyr. c. 85.* & confirmatur ex Liturgia Iacobi, in qua discus appellatur: Eiusdem materiæ cum Calicibus fuisse notat Gauantus *in hanc rubr.*

47 Mysticè verò significat Patena lapidem Christi sepulchro superpositum ex D. Th. *loc. cit.*

48 m *Hostia* ex pane triticeo siuè azimo, siuè fermentato de necessitate Sacramenti constare debet, quicquid somnientur Caluinistæ (vt cæterorum hæreticorum errores in hac re prætermittam) asserentes posse panis deficientis loco subrogari omne esculentum. Non ideò dubitauit minister quidam impię superstitionis, frustulis panis deficientibus ad cænam, orbicularem particulam farciminis) quod Italicè *Salciccia* dicitur) singulis (heù visio!) porrigendi, vel refert Adrianus Hofstadius *serm. 22. de Euch.*

49 Azimo latini nos vtimur, vti & Græci fermentato: Sed nostrum Ritum rationabiliorem esse
„ probat D.Th.3.*par.q.74.ar.4.in c.* Primò quidem
„ propter institutionem Christi, qui hoc Sacramen-
„ tum instituit prima die azimorũ(vt habetur Matt.
„ 26.& Marci 14.& Lucæ 22.)qua die nihil fermẽ-
„ tatum in domibus Iudęorum esse debebat, vt ha-
„ betur Exod.12. Secundò, quia panis est propriè
„ Sacramentum Corporis Christi (quod sine corru-
„ ptione conceptum erat) magis, quàm Diuinitatis
„ ipsius. Tertiò, quia hoc magis competit sincerita-
„ ti fideliù, quæ requiritur ad vsum huius Sacramen-
„ ti; secundùm illud 1.Cor.5.Pascha nostrum immo-
„ latus est Christus; itaquè epulemur in azimis sin-
„ ceritatis, & veritatis: Hęc S.D.

50 Si verò panis vt sic mysticè expendatur, ex Durando *loc.cit.cap.30.* dicitur à Pan; quod est totũ: Christus autem, qui se dedit vti panem viuum Io. 6. est tota vita nostra. Est ex frumento, cui comparauit se Christus Io:12. *nisi granum frumenti cadens &c.* Et quia mundus per ipsum factus est, & ipsius est orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo, in forma rotunda adhibetur, ex antiquissima consuetudine, cuius meminit Chrysost. *hom.13.in cap.26. Matth.* nec non Epiphanius *in Ancorato circà medium*, Gregorius paritèr 4. *dial.c.55.* In illius verò altera dumtaxat parte figura existit, quia Christus, vt homo figuram habet, qua caret vt Deus, ex Gauanto *p.2.tit.7.num.2.litt.X.* vbi plura alia tanti viri eruditione digna legere est. Vnum addo, Hostiam dici, quæ post hostium victoriam offerebatur, quia Christus offerens semetipsum triumphauit, & mors mortem superauit in-

ater-

ęternum:& canit Ecclesia *O salutaris Hostia, quæ Cæli pandis ostium*, ex auctore Gemmę *l.1.c.98.*

51 n *Velo* hoc nomen tributum est à velando Calicem, cuius velata congruit esse mysteria, vt dicetur *infrà*.

52 Quæ veli in canone Apostolorum apud Gauantum *in hanc rub.* mentio habetur, illius antiquum vsum denotat. Pepli sudarij, vel aeris, quo operiuntur Sancta meminit Chrysostomus *in Liturgia*.

53 Per Velum aerem tenebrosum noctis Passionis Dominicæ reprę entari docet S. Germanus *in Theoria*.

54 o *Super Velo ponat* Bursam, & eam sic aptet super Calicem, vt pars aperta, cautelę gratia, respiciat directè Sacerdotem: Ità Michael Bauldry, & Gauantus *in hanc rubricam*.

55 p *Bursam*, cuius vsus explicat nomen, Peram vocare Chronicum Moguntinum, conuenire, vt Crucem in medio habeat, non videri illius vsum fuisse ante Concilium Rhemense refert Gauantus *in hanc rubr.*

56 * In Capitulo Generali relato *in notis ad constit.d.1.nu.6.* iussum est ex vna Bursę parte Crucē, vel imaginem aliquam sacram, ex altera verò verba consecrationis in scheda descripta (vbi tabellę non sunt in Altari eadem continentes) apponi, sed iam vbiquè dictæ tabellę in Altaribus extant.

57 q *Intùs habentem* Corporale: quia illud extrà Bursam deferre, est Bursam suę institutionis fine fraudare, singulari nempè custodia, atquè inspectione, quę Corporali, ob contactum Christi Corporis debetur. Refert Hieronymus Cantonus *in suo Ord. diu. off.* B.

Pium

Pium V. dispensasse alicubi super huiusmodi delationem Corporalis extrà Bursam: Ne hoc ergo priuata quis auctoritate, aut sanè citrà causam, facere presumat.

58 r *Corporale*, à Corpore Christi, quod in eo reponitur nomen sortitum est ex D.Th. *loc.cit. ar.3. ad 7. & opusc.* 58. Eius mentio habetur in Coucilio Meldensi apud Burchardum *l.4.c.13.* nec non in Remensi apud eundem *l.3.c.48.* Fuisse tamèn in primitiua Ecclesia illius vsum deducunt nonnulli *ex Clem. epist. 2. ad Iacobum.*

59 Syluester verò Papa, vt habetur *cap. consulto de cons. dist.* 1. allegatus à D.Th. *loc. cit. ad* 7. statuit, vt non sericum, aut tinctum, sed lineum dumtaxàt adhiberetur, ab Episcopo consecratum, sicut Corpus Christi in syndone linea, & munda sepultum fuit.

60 *Competit etiam pannus lineus* (addit ibidem D.Th.) *propter sui munditiem, ad significandam conscientiæ puritatem, & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur, ad significandam Christi passionem.*

61 * Nolo hic omittere in nostra rubrica nullam fieri mentionem Pallæ à palliando ex Durando sic dictę, & alio nomine Animulę, quia intrà Corporale, quasi anima intra corpus seruatur. Ratio est, quòd olim huiusmodi Palla, seù Animula infrà vsum erat nedùm in Ritu nostro, vt asserit Sotus *in 4. sent. dist. 13. ar. 5. in fine*, & fusiùs Nugnus in D.Th. *loc. cit. dub. 3.* sed nec in alienis ritibus, vt refert Bona *l. cit. c. 25.* Fuit itaque vnicum Corporale, super quod Corpus, & Sanguis Christi collocabatur, & residua parte cooperiebatur Calix. Postmodùm verò vsus magis communitèr obtinuit, vt Corporale in duas

partes

partes sit diuisum , quarum altera est maior, & super illam ponitur Calix,& Hostia, & retinuit Corporalis nomē;alia pars est minor,quę ponitur super Calicem , & vocatur Palla . In Hispania primus adhùc vsus viget,& vbi fuerit , esse seruandum affirmat Nugnus *loc.cit.*

62 * Vbi de cętero rationabilis Pallę vsus exceptus est,nequit priuata cuiusuis auctoritate dimitti; cùm maximè conformis sit speciali rubricę post generales Missali nostro insertę ex Capit.General. statutis . Assignat namquè Corporalibus latitudinem duorum palmorum , & longitudinem dumtaxàt duorum cùm dimidio , quę sanè sufficiens non est ad decentèr retinenda oblata,& simul cooperiendum Calicem. Longiora ideò adhibent Cartusienses,& longiora ante vsum Pallę fuisse deducitur ex antiquo nostro ordinario *p.3. lib.2.* & in tantum hodiernū vsum excedentia,vt totum tegerent Altare , quod ex ordine Romano clariùs deducitur, duorum Diaconorum operam exigente ad illud complicandum , & expandendum .

63 * Huiusmodi Pallam super Calicis Patenā collocari vult Rubrica Missalis Romani;cui nos sēper conformari,rubrica nostra tacente, par esse alibi dictum est:& hic maximè;cum in Ecclesia Romana Pallę vsus cęperit,& indè translatus ad nos sit : qui autèm dat formam,dat & consequentia .

64 s *Velum super Bursam reducat* nō à parte anteriori,& posteriori,vt quidam faciunt, sed ab anteriori tantùm,de reliquo remaneat extensum,quasi denotans mysteria Calicis Sacerdoti patere, Populum latere . Etiam ***ad statum veteris legis*** ait D. Th. p.2.qu.
102.

102.ar.4.ad 4. *aliter se habebat Populus, & Sacerdos. Nam Populus ipsa Corporalia sacrificia considerabat, quæ in atrio offerebantur, Sacerdotes intrabant in exterius tabernaculum, quod etiam quodam velo distinguebatur ab atrio; quia quædam erant velata Populo circà mysterium Christi, quæ Sacerdotibus erant nota.* In missa verò alio titulo congruit Calicem iam præparatum Velo vndequaquè cooperiri, amouendo ad Offertoriũ, quando iam manifeste in Missa Passio Domini repręsentatur, in qua Velum templi scissum est, & ritus legis, vt docet D.Th.*p.2.q.*104.*ar.*4.*ad* 1.cessabat tanquàm impletus per Christi passionem, vtpotè à Deo in figuram Christi institutus. *Legalia enim,* ait idem ibidem ex Augustino *ante Christi passionem, nequè erant mortifera, neque mortua.*

DE

De Missatica paratura.

TITVLVS III.

RVBRICA.

Ad a *induendum sacras Vestes accedens sit* b *calceatus pedibus, & indutus vestibus* c *omnibus Ordinis præter Cappam, &* d *signo Crucis se munìens dicat:* in nomine Patris &c. *Accipiens* e *Amictum, eum exosculetur* f *signando* † *colloquens Deo per orationes, & sanctissimā Christi meditationem: eum in capite ponat dicendo:* impone Domine &c. *Deindè vestem,* g *Albam quam vocant, induturus dicat:* dealba me Domine &c. *Insuper* h *Cingulo* i *se cingens, duas tantùm extremitates Cinguli demittat, ac dicat:* pręcinge me Domine &c. *Postea* l *Manipulum exosculās in medio, vbi Crux posita esse debet, inducat* m *sinistro brachio dicendo:* merear Domine &c. *Pręterea* n *Stolam simili modo deosculando* o *collo imponat dicendo:* redde mihi Domine &c *ac* p *transuersando eam ante pectus in modum Crucis ducat partem à sinistro humero pendentem ad dexteram & partem à dextro humero pendentem ad sinistram, sicque Cinguli pendentibus extremitatibus ab vtroquè latere Stolam firmet. Tandem* q *Casulam induat dicendo:* Domine qui dixisti &c.

NO-

N O T Æ:

65 a **A***D induendum sacras vestes accedens &c. colloquens Deo per orationes, & sanctissimam Christi meditationem.* Vestes ipsę in senario numero meditationis argumento non carent, si ob oculos mentis sit in Vtero Virginis Sacratissimo nostræ carnis indumentum assumens IESVS, vt Mundum sex diebus creatum, sexta ętate, sexta die, sexta hora sui passione, ac morte ad vitam ęternam recrearet.

66 Nec mente decidat Christus ipse, qui hoc peracturus mysterium, *surgens à Cœna* Io: 15. *deposuit vestimenta sua, & accipiens linteum præcinxit se*: edocens quidem huic actioni, communem hominum aleam excedenti, specialem ornamentorum apparatum deberi; (Sacerdotalium vestium vna hęc est ex litteralibus causis,) at simùl monens sacrum idem facturos, vt deponerent iuxta Apostolum *Ephes.* 4. veterem hominem, & induerent nouum, *qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & veritate sanctitatis*; secundùm quod & habetur psal. 131. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.*

67 Ornamentorum enim sacer apparatus studio vsquè ad stuporem ingenti in antiqua lege sancitus, & indè proportione debita sanctè, ac rectè (quicquid garriat Lutherus) ad Ecclesiam translatus, triplicem habet causam ex Soto 4. *sent. dist.* 13. *q* 2. *a.* 4. prima, & potissima est in veritate exprimendi tunc adumbratam Christi passionem, ac simùl excitandi fideliū spiritus ad efficaciùs eiusdem passionis fructum percipiendum: secunda captandi attentionem Populi cir-

circà diuina: tertia verò, ad rem nostram, est, *vt Sacerdotes ornatu illo vitæ excellentiam profiterentur, quâ reliquo vulgo præstare debent.*

68 Ne itaquè sepulchro foris dealbato assimilemur, Apostoli monitum *Colos. 3.* impleamus. *Induite vos sicut electi Dei Sancti, & dilecti viscera misericordiæ; humilitatem,* (quam Amictus caput tegens designat;) *benignitatem,* (quæ in Alba per totum corpus vsquè ad talos effusa refertur;) *modestiam* (cuius effigiem Cingulum renum præfefert;) *patientiam* (in duobus vinculis Manipulo, & Stola expressam,) *super omnia hæc charitatem habete,* (cuius nos Casula admonet,) *quod est vinculum perfectionis.*

69 b *Sit calceatus pedibus.* Ex præcepto Doctores nonnulli, alij nonnisi ob maiestatem rei, quæ agitur, hoc sentiunt præscribi. Mysterio quidem non vacat, tùm si morum instructionem attendas ex Durando *rat. l. 4. cap. 2.* tùm si ordinem vitæ Christi, dicente Innocentio l. 1. c. 35. *quod per calceamentum pedum hoc ipsum per Amictum capitis designatur; quia Diuinitas in carne latuit, & per carnem innotuit. Nam cùm notus esset in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius, in Idumæam extendit calceamentum, & ante conspectum gentium reuelauit iustitiam suam.*

70 * Speciali hoc titulo nostro congruit Prædicatorum Ordini, ipsi proindè sub præcepto aliquãdo districtè iniunctum: Nam S. P. Dominicus *in sua encyclica epistola* monitum Apost. *Ephes. 6.* vt quid hæreditarium suis Filijs legauit, *calceati pedes,* inquiens, *in præparationem Euangelij.* Cui illud consonat Rom. 10. *quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium Bona.* Prætereà cum calceamentis Exod. 13.

12. edebatur Agnus, quo significatur asperitas vitæ, ex Nazianzeno *orat.* 42. & promptitudo ad omnia, ex Esaia Abb. *tract.* 22. quę Euangelicos Prædicatores decent summoperè.

71 * c *Indutus vestibus omnibus Ordinis*: ergo, & caputio; quod expresſè iubet antiquum Ordinarium *in de Missis priuatis*. Nequè obstat Capituli generalis Neapolis 1311. peruetusta ordinatio iniungentis Sacerdotibus, Scapularia in Missis deferre. Nomine enim Scapularium veniunt etiam Caputia, quę tunc Scapularibus assuta referuntur.

72 * Caputium itaquè, tanquàm humilitatis, ac seruitutis insigne, quibus speciali Religionis titulo Deo addictos nos contestamur, Missam acturos deferere dedecet; *vt* insuper *innocentiam, & simplicitatem paruulorum iugitèr custodire*, (& ad Altare deferre,) *etiam imitatione ipsius velaminis commoneamur*, vt in simili docet Cassianus *de habitu monachali l.* 1. *c.* 4. Rubricam ergò congruentijs plenam, & districtis Superiorum pręceptis nonnumquàm roboratam impleamus, modo explicato litt. sequen.

73 * d *Signo Crucis se muniens*, manum dumtaxàt, non Amictum adhibeat, vt aduertunt Gauantus, & Bauldry *in hanc rub. Miss. Rom.* huiusmodi Signum Crucis consulentes, & si in ea non expressum.

74 * Enim verò à signo Crucis omnia auspicari semper Christianis solemne fuit, ex Tertulliano *de corona mil. c.* 34. dicente: *ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum &c. frontem Crucis signaculo terimus*; quod, vt fiat hìc, ratio vrgentior expostulat; immò triplex Crucis signum ante susceptionem Amictus olim fuisse in vsu refert Gauantus *in hanc rub.*

75 *Ac-*

75 e *Accipiens Amictum:* * Capite caputio cooperto, Amictum circà extremitates, & chordulas capiens, in medio Crucem, quam Amictus habet, osculetur; & super caput talitèr aptet, vt Caputium in capite cooperiat, & ductis chordulis sub brachijs, ac circumductis per dorsum, in modum Crucis pectus perstringat. Hęc quoad Ritus praxim, ex Miss. Romano hic, & ex Soto *loc.cit.* dicente; *vittisque eius pectus perstringimus in modum Crucis*.

76 Quoad historiam, Amictum ab amiciendo sic dictum, apud Apostolos fuisse in vsu Gauantus *in hâc rub.* deducere conatur ex Rabano; qui illum, ob analogiam ad legalium Sacerdotum consimile indumentum, vocat Ephod, & ab Hebręis deductum ad nostros scribit. Quod idem innuit D. Th. *in suppl. q.* 40. *a.* 7. *ad* 6. nec non Auctor Gemmę animę *l.* 1. *c.* 201.

77 * Amictui in veteri lege respondere Cidarim sentit Sotus *loc.cit.* Origenis auctoritati innixus, super Leu. de summo Sacerdote dicentis: *primùm accipit Cidarim, quod est vel opertorium capitis, vel ornamẽtum, & post hoc superimponitur ei Mitra*. Sed D. Thomas, *p.* 2. *qu.* 102. *ar.* 5. *ad* 10. inter ornamenta minorũ Sacerdotum veteris legis Thiaram, idest Mitram quãdam de bysso, non distinctam à Cidari, recenset, subdens. *rectitudo intentionis significatur per Thiaram protegentem caput.* Ex his deduci fortasse potest, Cidaris, seù Thiarę vltrà Ephod, seù Amictum, & Mitram Põtificalem, ad ornatum capitis tunc adhibitę specimen quoddam nos præferre, assuentes Amictui ex holoserico, vel aurea textura plagulam colori, & opificio Casulæ consimilem; quod tamen in desuetudinem alicubi abijt.

78 Quoad mysticum, in Capite, nempè Christo, si ad eius vitæ ordinem spectes, repręsentat humanitate in eo Diuinitatem obtectam, atquè absconditam, iuxtà Apoc. 10. *Angelus Dei descendit de Cælo amictus nube*, de quo infra sermo erit: si ad passionem, significat, ex Soto hic, velum illud, quo Iudęi Matth. 26. faciem Christi velabant dicentes: *prophetiza nobis Christe quis est, qui te percussit?* Seù etiam ex Porrecta *lib. Sacerd. ætter. cap.* 10. Coronam Spineam Christi capiti impositam. Quod autèm Iudęi in derisum Christo Domino faciebant, glorię nos nostræ apponimus.

79 Nec tamèn ordinem vitę Christi ex Porrecta *tit.* 1. *præliminari numer.* 9. promissum me prętergredi existimes. Inquit enim ille, per vestes Sacerdotales passionem significari ab instanti suæ conceptionis à Christo IESV intentam, ideòque intentionis causa anteponi, quod fuit in executione posterius.

80 In membris verò, hoc est in Sacerdotibus Amictu *significatur*, ait D. Th. in suppl. loc. cit. in ò *fortitudo ad Diuina officia exequenda, quibus mancipantur*. Diffunditur enim super humeros, qui fortes sunt ad opera peragenda ex Durando *rat. l.* 3. *c.* 2. Significat & armaturam, ex Soto *hic*, de qua Apost. ad Eph. 6: *galeam salutis assumite*.

81 His consonat oratio: *impone Domine capiti meo galeam salutis &c.* *Quę cùm alijs infra memoratis nec verbis discrepat à Missali Rom. cui nostrum & in hoc accommodatum puto. Illarum enim in antiquo nostro Ordinario mentionē nō inueni; quæ & desideratur in antiquioribus scriptoribus, ac Missalibus M.SS. Vaticani, nec non in libro Sacramentorum D. Gregorij: de quo Bona *l.* 1. *c.* 1. *nu.* 6. quod simile profert

loc.

*loc.cit.nu.*1.de 5. Psalmis,& orationibus, in præparationem ad Missam, pro opportunitatè tamen celebraturi,propositis.

„ 82 Insuper,cùm sicut virMulieris,vt 1.Cor.11.ait
„ Apost. ità & viri caput Christus sit, Amictu illo
„ Sacerdos profitetur Christi capitis membrum esse,
„ quem proprio cerebro, quo omnes sensus vigent,
„ imponens, profitetur sensibilia hęc omnia, & ca-
„ duca pro spe æternorum abijcere. Hęc Sotus hìc.

83 Descendit & Amictus super humeros,quibus onus Domini ferre pro spe cęlestium docemur; & duabus eius vittis,quę sunt Fides,& Charitas,pectus perstringentes in modum Crucis, nullas his aduersas cogitationes admittere pollicemur, ex Soto *hìc*, & Gemma *l.1.c.*201.

84 * Ratio mihi reddenda remanet, ob quam à Ritu vniuersali differimus, Amictum capiti imponétes,ac retinentes vsquè ad Missæ initium, quando reuerentia sacro iàm debita,vt dimittamus exposcit,& tunc super os Casulę reuoluimus. Nostrum hunc Amictus vsum innuit Rupertus *l.*1. *off. cap.*19. Sa-
„ cerdos, inquiens, in officio Altaris Capitis sui
„ Christi,cui membrum est, Personam gerit, qui
„ Amictu caput suum obnubit, donec super os Ca-
„ sulę illum inuoluat. Veniens enim ad saluationem
„ Mundi Dei Filius Angelus magni consilij nube
„ Amictus est,dùm Diuinitatem suam,quę est caput,
„ & principium,in nostra carne abscondit. Eadem scripsit post Innocentium III.*l.*1.*c.*35.Durandus *rat. l.*3.*c.*2. Innocentius insuper *loc.cit. cap.*58. cùm docuisset per Casulam significari charitatem, subdit: *quod autèm Amictus super os Planetæ reuoluitur, innuit,*

quod omne opus bonum debet ad charitatem referri: Quod & habet Durandus *loc.cit. cap.7.* Ex his deducere est sub initia Ordinis nostri huiusmodi vsum Amictus fuisse in Ecclesia vniuersali; quod expresse affirmat Macrus *in suo Hierolexico V. Amictus*; Gauantus etiã in hanc rub. *ex quo sequitur*, infert, *simplicis Amictus vsum esse valdè nouum:* quem de cætero birreti vsum habentibus omninò conuenire, eiquè mysteria mox adducta ęquè benè aptari nemo ambigat, ideò rubrica Missalis Romani iubente, Amictum priùs poni super caput, & mox declinari ad collum, & eo vestium collaria, vt illos sanè decet, circumtegi, Amalar. c. 40.

85 f * *Exosculetur signando.* In Cęremoniali Ciantes sic legitur *exosculetur, vbi est Crux:* quod quidẽ pręscripsit Missale Rom. Clem. VIII. Sed rubrica nostra ex littera velle potiùs videtur Amictui Crucę digito, dein ore osculum figi. Nihilominùs hoc crederem in rubrica dictum, quod in Amictu non certò supponat Crucem. Quando ergo in Amictu extat Crux, vti fert modò vsus communis, antiquissimę traditioni, de qua Baronius an. 336. conformis, ne Crux super Crucem fiat, exosculando dumtaxat existentem fit satis rei, quę agitur:

86 Hoc est animum exprimere paratum ad fortia ineunda pro Christi amore in nobis, & amorem in Christo erga nos, quo humanę vitę miserijs, ac Cruce tandem subeunda superior dixit: *prou. 8. deliciæ meæ esse cum Filijs hominum.*

87 g *Albam induturus,* caput Amictu coopertum submittat; deindè Manicã dexteram brachio dextro, & sinistram sinistro imponat. Albam ipsam corpori adaptet, eleuet ante, & à lateribus hinc indè. ex rubrica Missalis Romani hic.

88 Ma-

88 Manicam verò dextram brachio dextro primò imponat, nedum quia motus magis naturalis sic exigit, sed etiam quia dextera Christi priùs creditur cruci affixa, ex D.Birgitta *l.*1.*reuel.c.*10.& *l.*4.*c.*70.

89 Vestis hæc, Alba à sui colore dicta, græcè poderis, quia ad pedes, latinè talaris, quia ad talos vsquè descendit, nuncupatur, ex Soto *loc.cit.* Camisiam vocat nostrum antiquum Ordinarium, vti & Amalarius *l.*2.*c.*18. nec non Isidorus *l.*19. *originum cap.*21. Albæ respondere in lege veteri tunicam lineam, qua nedum Pontifices, sed & minores Sacerdotes vtebantur, habetur ex D.Th. *p.*2. *q.*102. *ar.*5.*ad* 10. Illius vsum ad nos, Christo Domino auctore, deuenisse asseri ob id fortasse potest, quod Christus Io:13: legitur sacrificium instituisse in veste cœnatoria, hoc est, ex Baronio *an.*34. *nu.*39. quem sequitur Gauantus *th.par.*1.*tit.*18.in syndone alba oblonga.

90 Tunc tamen stricta fuisse describitur proptèr spiritum seruitutis in timore, larga modo est propter spiritum adoptionis in libertatè: ita post Innocentiũ Durandus *rat.l.*3.*c.*3.

91 Est ex lino, quod, ex Cyrillo Alex.*l.*4.*in Leu.* ità è terra editur, vt nulla admixtione conceptum sit, seù, ex Augustino ser.217 *de temp.* sine carnis voluptate de terra procreatur.

92 Propterea per Albam significari in nostris moribus vitæ puritatem meritò docet D.Th.*in suppl.* *q.*40.*a.*7. in ò, in qua perseuerandum vsquè in finem ad talos vsquè descendens nos admonet. Humilitatis etiam argumentum non deest, si ab Apollonio apud Philostratum *lib.*8.mutuari non pudeat; qui interrogatus, cur Pythagorici lineis vestibus vterentur, re-

ſpondit: *quia me terra, quæ alit, etiam veſtit.* Hoc itaquè Diuinum opus auſpicans de ſe ſcriptum meminerit: *Ego dixi Dij eſtis*; ſed & quod ſubditur mente recolat; *vos autèm ſicut homines moriemini*; de terra editus, terra nutritus, terra veſtitus, in terram denique reuerſurus.

93 Et en Verbum Dei factum caro, fragilis, ſed mundiſſima, non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine; necnon integerrimam eiuſdem conuerſationem, quam ab initio ſuæ conceptionis vſquè in finem in carne duxit: ità poſt D. Bonauenturam Titel. *c.* 2. En inſupèr veſtis alba, qua Chriſtum indutum Herodes illuſit, ex Soto, & Porrecta *loc. cit.* nec non candorem, quem Chriſtus, imminente paſſione (quam & linum multo candidatum labore ſignificat) in veſtimentis ſuis transfiguratus exhibuit, ex Innocentio, & Soto *loc. cit.* Conſonat oratio: *dealba me Domine, & munda, &c.*

94 h *Cingulo*, Zona ex græco nuncupato, in veteri lege reſpondebat Baltheus, ex D. Th. *ſuppl. loc. cit. ad* 6. cui ſubſcribit, cùm alijs communitèr, Sotus *hìc* & Bona *l.* 1 *c.* 24. vbi Cinguli litteralem cauſam hanc aſſignat, ne Alba defluat, & greſſum impediat.

95 En in Chriſto ſupereminentem ſcientiæ charitatem in opere incarnationis, nec non in vitæ totius decurſu radiantem, ſecundùm quod legitur Apoc: 1. *conuerſus vidi ſimilem Filio hominis præcinctum ad mammillam Zona aurea.* Per Zonam namquè auream perfecta Chriſti charitas, ex Innocentio hìc, denotatur. Caſtitatem etiam Virgineam ſupereminentem Chriſti poſt D. Bonauenturam Titelmannus *loc. cit. c.* 3. in Cingulo recolit. Innocentius hìc refert quod de

Chri-

Christo Esaias 2. prædixit: *erit iustitia cingulum lūborum eius, & fides cinctorium renum eius.* Sotus tandē, & Porrecta *locis cit.* aut primum ligamen, quo in horto IESVS captus est, aut flagellum, quo fuit cæsus in Cingulo meditanda obijciunt.

96 In moribus verò nostris moderatio discretionis significatur per Cingulum, ex D.Th. *p.2.loc. cit.* nec non repressio carnis ex eodem *in suppl.loc.cit.* Consonat oratio: *præcinge me Domine Cingulo puritatis &c.* Consonat etiam cùm D. Hieronymo *in Psal.132.* Beda l.13. de tabernac.c.8. *tunicas*, inquiens, *habent Sacerdotes lineas, cùm totum corpus candori castitatis dedicant, baltheis tunicas cingunt, cùm eandem castimoniā vigilanti mentis custodia circumspiciunt.*

97 Duę autem Cinguli ad ornatum efformatæ extremitates (quæ in Christo sunt, ex Innoc. *l.1.c.37.* duæ partes naturales iustitiæ, quàm, Matth. 9. fecit, & docuit) sunt in nobis oratio, & ieiunium, in quibus hoc genus dęmoniorum, idest luxurię, eijcitur.

98 i *Secingens* accipiat extremitates Cinguli per ministrum à tergo porrecti à latere dextro, quando adhibetur duplicatum, ex Bonamico *obseru.2.n.4.* & non suprà, sed circa lumbos reducat, ne rem misterijs mox adductis fraudet, dicente Euangelio: *sint lūbi vestri præcincti.* In lumbis enim luxuria dominatur, secundùm illud Iob.40. *virtus eius,* idest diaboli, *in lumbis eius:* & extremitatibus Stolæ partes coniungantur, ex Castaldo *hic.*

99 Postquàm autèm se cinxit, eleuet per ministrum Albam suprà cingulum circumcircà, vt honestè dependeat, & tegat tunicam; ac eius fimbrias diligentèr aptet, vt ad latitudinem digiti, vel cercitèr suprà terram æqualitèr fluat, ex Missali Rom.

100 m *Manipulum*, etsi non habetur, cui in veteri lege respondeat, fuisse tamèn apud antiquos Patres in vsu tradit Concilium Rhemense apud Burchardum *l.2, c.50.* Sed tunc deseruiebat ad extergẽdũ, seu Calicẽ, seu vultũ, vt innuit D.Th. *in suppl. loc: cit. in* o, & docet cùm alijs Alcuinus *l. de off. Eccl. cap. de vestim*, ad sudorem scilicèt, & narium, atquè oculorum pituitam tergendum. Non tamen desunt Patres, quos refert Septala *lib. de Myst. Mis. in praf.* qui credant, manipuli vsum præcipue fuisse ad tergendas lachrymas, quas antiqui Sacerdotes Diuina charitate corde succensi, tanti altitudinem mysterij mente obuoluentes, emittebant ex oculis, vti de S.P. Dominico, & S. Vincentio Ferrerio, alijsquè, maximam lachrymarum vim inter missandum profundentibus, legitur. Fauent litteralitèr Orationis verba: *merear Domine portare manipulum fletus, & doloris &c.*

101 Mutationem verò Manipuli non ad tergendum, sed ad ornatum suffecti contigisse sæculo circitèr X. censet Bona *l. 1. c. 24.* Non ità tamèn ad ornatum modò est, vt morum instructionem excludat. Significat enim ex D.Th. *loc. mox cit.* extersionem minimarum macularum, nec non ex Innocentio *lib. 1. c. 59.* vigilantiam. Cùm namquè mentibus benè compositis, & diuino cultui mancipatis sæpè subrepat accidia, manipulum Sacerdos defert, quo sudorem mentis abstergat, & soporem oculis excutiat, vt depulso tædio, vel torpore, cordis excitet compunctionem, ac pęnitentiæ operibus diligentèr intendat. Consonat moralitèr oratio: *merear Domine portare manipulum, fletus, & doloris &c.*

102 Si verò Christi passionem spectes, significat mani-

Manipulus,vel ex Soto,secundum ligamen, quo Columnę fuit manibus alligatus , vel,ex alijs,funem, quo eius brachia violenter tracta, ac distracta feruntur, vt ad locum peruenirent Clauorum , secundùm quod scriptum est:*dinumerauerunt omnia ossa mea*.

103 m *Inducat sinistro brachio*.Qui quidem funis, subdit Sotus, in sinistro brachio cordis vicino amorem Christi nobis commemorat, quo ad expiandā nostra piacula seuos cruciatus pertulit . Quo ideò vicarium amorē rependere sacerdos profitetur, cuius gratia aduersa huius Mundi per sinistram significata, tanquàm fructus pęnitentię tolerare, atquè adamare (manipulum ideò exosculatur,vbi est crux) se paratum ostendit.

104 Et quia in Christo sinistram , nempè infirmam humanitatem,dextera,Personalitas scilicetDiuina,veluti ligabat,& continebat,illius impeccabilitatem recolere habes ex *Titelmano c.2.* atquè ex Innocentio *l.1.c.43.* eius beatitatem, qui ità factus est in sinistra huius Mūdi viator,vt simul comprehensor mereretur, & frueretur . Per manipulum enim præmium designatur,iuxtà quod legitur: *ps.125.veniētes autem venient cùm exultatione portantes manipulos suos:* per lęuam vita pręsens accipitur ; secundum quod scriptum est cant. 2. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*.

105 Si verò rationem litteralem attendas,inducitur Manipulus sinistro brachio,quia in dextero,ait Sotus,esset sacris operāti incōmodū: atquè inducitur non suprà, sed infrà cubitum,nō longiùs à manu , vt explicant Castaldus,Ciātes,& Gauantus *in hanc rub.* quia à lęua manu infrà cubitum Manipulo ligato pen-

pendente, commodius olim dextera tergebatur vultus, & expressius modò significatur extersio macularum, seù mentis vigilantia.

106 n *Stolam* esse ad idem significandum, ad quod erat in veteri lege superhumerale, docet D.Th. in *suppl.loc.cit.ad* 4. de Stola summi legalis Sacerdotis agit Iosephus *l.*15.*antiq.c.*14.*&* *l.*18.*c.* 6.Sacerdotes item stantes ante altare cum stolis Sacerdotalibus commemorat lib.2. Machabçorum c.3. Orarium appellatur ab ordine Romano; quia, ex Alcuino *l.cit. c.de vest.* Oratorum, hoc est Prædicatorum habitus est, ideoquè Sacerdotibus, & Diaconibus priuatiuè ad inferiores ministros concessus, quorum est annũciare Euangelium. Stolæ vsus in Ecclesia antiquissimus habetur ex actis S.Clem.Metensis patrui S.Clementis Papæ apud S.Anton.*p.*1.*tit.*6.*c.*26. qui Stola sua cinxit Draconem, & Cedrinus apud Gauantum *in banc rub.* Augustę scribit Apostolorum Stolas repertas fuisse. Si plura cupis,fusim agit de Stola Bona *l.*1.*rer.lit.c.*24.*nu.*6.*per totum*, & modernus æquè, ac eruditus Cabassutius *not.concil.dissert.*9. vbi etiam extrà ministeria sacra delationem Stolæ in præcepto Sacerdotibus olim fuisse refert, ac probat ex Cõcilio Moguntino c.28.Missam verò facturos,seù aliàs Eucharistiam sumpturos Sacerdotes Stolam adhibere,proposita excommunicationis pæna contrafacientibus,iussit Concilium Bracharense III.*c.*5. quod refertur *cap.Ecclesiastica dist.*23.

107 o *Collo imponat &c. ita vt* (verba sunt dicti canonis) *ceruicem paritèr, & vtrumquè humerum premens signum in suo pectore præparet Crucis.* Collo ergo imponat ità,vt ceruicem leuitèr premat, ac si torquẽ im-

imponeret sibi, vt aiunt Gauantus, & Bauldry *in hanc rub.* Dictum hoc sit contrà modernos quosdam, qui nec canonem allegatum, nec mysteria infrà allegan-da obseruantes Stolam longè à collo super humeros dimittunt, contrà quos inuehitur iure merito Macrus *l. cit. V.* Stola.

108 Stolæ enim collum, quasi loro ligandi, vt hìc ait Sotus, submittentes, illud in Christo recolimus, quod charitate erga nos mouête (vndè osculum præmittimus) Apost. refert Philipp. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens.* Vsquequo? *Vsque ad mortem,* (en stolam ad pedes demissam;) *mortem autem Crucis;* (en Stolam Cruce insignitam, & in modum Crucis transuersatam.) Vinculum præterea tertium, ex Soto hìc, exprimimus, quo Christus Crucem baiulans fuit collo ligatus.

109 In moribus etiam nostris obedientiam, & iugum Domini, Stolæ collum submittentes, profitemur, & in ipsa Cruce Domini gloriantes, ac lætantes Crucem Stolæ præponimus, in modum Crucis stolam aptamus, & cum osculo imponimus. Iugum enim Domini suaue est, & onus leue. Et cùm propriè Crux hæc fiat decussata, seù S. Andreæ, vt loquitur hìc rubrica Missalis Xauierre, veluti cum Apostolo hoc dicimus: *o bona Crux, securùs, & gaudens venio ad te &c.*

110 Et quia Christi iugum vitæ actiuæ, & contemplatiuæ subijcit, & sinister humerus actiuã, dexter contemplatiuam refert, Sacerdos, qui vtriusquè perfectionem vitæ continet, in vtroquè humero Stolam portat, in læuo Diaconus, cui actiuam potissimùm vitam incumbere patet *act. 6.* vbi leguntur Diaconi in

mini-

ministerium mancipati. Ex Soto, & Nugno hic.

111 p *Transuersando eam &c. ducat partem a sinistro humero pendentem ad dexteram, & partem a dextro humero pendentem ad sinistram*, quia primò Diaconus, dein Sacerdos effectus est, ex Gauanto *in hanc rub.* Prætereà opera actiuę, ex Durando *l.4 c.44.* sicut suppofita ad opera contemplatiuæ disponunt, & opera contemplatiuæ superposita, & altiora illa perficiunt, & confirmant; & vtrisquè à dextris, & à sinistris, in prosperis scilicet, & aduersis communiri nos admonet ab vtroquè latere Stola firmata.

112 Dixi per Stolam obedientiam significari, remanet addendum consonare precem: *redde mihi Domine Stolam immortalitatis, quam perdidi in præuaricatione primi parentis &c.* Cũ enim parentis protoplasti peccatum inobedientiæ fuerit, rectè, qui per inobedientiã cecidimus, vt per obedientiam resurgamus, vestem innocentiæ recuperantes; subimus torquem obedientiæ, ex Durando *l.cit.c.5.*

113 q *Casulam*, ab ordine etiam Romano sic appellatam alia à Patribus nomina sortitã; quæ Gauãtus recenset hic, in Apostolos suam dũcere originem aliqui existimant, eò referentes verba Apostoli 2. Tim.4. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum veniens affer mihi.* Nomine enim Penulæ Casulam, seù Planetam intelligi habetur ex Ferrario *de re vestiaria l.1.c.57.in fine*, nec non ex Nicephoro, & Metaphraste apud Baronium an. 58. num.69. Planeta etiam S. Petri Apostolorum Principis Parisijs in Templo S. Genouefæ ab Antiochia delata fertur seruari. In Ecclesiæ tamèn primordijs, vt notant Sotus, & Nugnus hic, consuta tota, & vndiquè clausa vsquè

ad

ad pedes,sine manicis,vllaquè apertura totum Sacerdotem tegebat, vndè casula quasi minor casa,ex D. Isidoro *l.19.orig.c.24.*dicta est;complicabat verò Sacerdos vtrinquè illam (vndè Planetæ etiam nomen, quod errorem, ex Gauán. & Durando *l.3.c.7.*sonat, habuit) vt brachia exereret.

114 Vestimentum hoc,quod erat,ex Soto,Aaron illud,in cuius oram,vt ait Psaltes,descendebat Sacerdotale vnguentum, denotat Ecclesiam Sanctam; ad quam omnia charismata à Christo Domino deriuantur, ex quo sibi eam factus homo coaptauit.Denotat, ait Sotus,& tunicam Christi inconsutilem, qua exutus crucifixus est,nec non charitatem, quæ ipsum ad mortem perduxit, & in nobis, vt inquit Apostolus, multitudinem operit peccatorum.

115 Ob huiusmodi rerum maiorem expressionē Macrus *in Hierolex V. Casula* antiquam Casulæ formam laudat retinuisse Gręcos,doletdimisisse latinos. Nihilominus Casula, à latinis paulatim in lateribus scissa,ac decurtata, & deniquè ad formam,quā hodiè vtimur redacta, Sacris operanti aptior est, & specialibus etiam congruentiæ rationibus non caret. Est enim Casula ex Innocentio *l.1.c.42.* vniuersalis Ecclesia,de qua Apost. ad Gal.3. *Quotquot in Christo baptizati estis,Christum induistis:* sic ergo diuisa repræsentat tùm antiquam Ecclesiam,quæ passionem Christi præcessit,tùm nouam, quæ passionem Christi subsequitur;nam & qui præibant,& qui sequebantur clamabant Matth.24.*Osanna Filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.*Cùm præterea in moribus nostris significet Casula charitatem ex Innoc. *l.1.c.58.* Durando,Soto,Nugno,& alijs,sic diuisa duas charitatis

tatis partes exprimit,ad Deum scilicèt, & ad proximum,& in posteriori casulæ maiori latitudine charitatem ad proximum, quæ ad inimicos vsquè extenditur.

116 Quia verò probatio dilectionis exhibitio est operis,Planetam, veluti iugum Domini adhuc in sui forma exprimentem,induimus,dicentes: *Domine qui dixisti iugum meum &c.*

117 Planetas Pontificales Græci vndiquè replét Crucibus:Crucem nos etiam in parte anteriori, in posteriori alteram præfigimus, & nos gloriantes in Cruce Domini Nostri IESV Christi.Moderni tamen quidam in parte posteriori formam quasi columnæ exprimunt, Passionem Christi adhùc, ex Gauanto hic,recolentes,sit veluti Sacerdos inter Columnam, & Crucem.

DE

De egressu Sacerdotis à Sacristia & accessu ad Altare.

TITVLVS IV.

RVBRICA.

a *Calicem dehinc manu læua accipiens per pomū. altera manu bursam Corporalis cùm* b *Velo reducto, & Patena teneat, ità quod pollex Calicem tangat, reliqui autèm suprapositi Corporale, & Patenam comprehendant. Et sic reuerentiam, inclinato aliquantulum capite Imagini, quæ in Sacristia reperitur, exhibendo,* c *ad Altare, cooperto capite Amictu,* d *Deum gemitibus exorando, progrediatur. Quòd si interim ante tabernaculum Sacratissimi Christi Corporis transire contigerit, cooperto, vt dictum est, capite,* e *dextrum genu flectat; si ante Altare, vbi celebratur Missa, in qua tunc eleuatur, vel tunc ministratur Sacramentum,* f *vtraquè genua flectat, &* g *detecto capite illud adoret, nequè anteà surgat, quàm celebrans deposuerit Calicem super Corporale, & pergat oculis demissis, incessu graui, erectoquè corpore. Cum ad Altare peruenerit, inclinatione capitis ad medium eius facta, vel flexo dextero genu, si in eo sit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti &c.*

NO-

NOTÆ:

118 a C*Alicem accipiens &c.* Post vestes sacras passionem Domini ad crucifixionem vsquè prænotantes, Calicem tandem accipiens Sacerdos Corporali,& Patena cùm Hostia compositum,totius passionis exprimit complementum, ex Porrecta *lib. Sacerd.æter.c.*10.quia Hostia Crucis Sacrificium,Calix Sepulchrum,Corporale syndonem, Patena tandē lapidem sepulchralem significat.

119 Super Calicem verò Sudarium, seù manutergium,conspicilla, vel aliud quidpiam non admittat; alitèr irrationabilitèr præter rubricam agit,vt aduertunt in simili MissalisRomani Gauantus,Bauldry,& alij: ea ergo Ministro deferenda relinquat. Vt autèm fluxui narium cautum sit, mantile, (aliud ab eo,quo digitos lotos post offertorium tergit,) ad cingulum aptare poterit, vt consulit Quartus *in hanc rub.*

120 b *Cum velo reducto*, à parte anteriori tantùm; sit de cætero vndequaquè dimissum,quasi signās mysteria Calicis,etsi Sacerdoti pateant,populo velari par esse;quod ipsum mysterij nomen indicat: de quo *tit.2.nu.64.*sermo fuit. Consonat & rubrica ipsa *tit. vltimo* dicens: *veli partem anteriorem super bursam reducendo, vt fecerat,cùm ad missam accesserat.*

121 c *Altare:*Moyses simul legem accepit à Deo, ac de Altari faciendo præceptum, exod.20. Sed Noè antea, nec non Abraham, Isaac, & Iacob Altaria extruxisse leguntur: immò ea ab ipso Adamo erecta fuisse

fuisse, vt indubitatum recenset Bona *l.* 1. *cap.* 20. *n.* 1. Nàm primus omnium sacrificium obtulisse creditur, suosquè edocuisse filios frugum, & animalium primitias Deo offerre, natura simùl ad huiusmodi obsequij pensum, supremo rerum omnium conditori, ac Domino præstandum, inclinante. In nouo autem Testamento, vt Altare non deesset, vrgentiorem causam expostulasse, nemo sanæ mentis inficiabitur. Insaniat ergò pro sui libidine Caluinus. *Nos habemus Altare* (inquit Apostolus ad Heb. 3.) *de quo edere non habēt facultatem, qui Tabernaculo deseruiunt.* Altare scilicet, in quo conficitur, & distribuitur Eucharistia; cuius vsum, cum ipsa Ecclesia coæuum, fusim probat antiquorum rituum peritissimus Stephanus Durantus *de ritibus Ecclesiæ Catholicę lib.* 1. *cap.* 15.

122 Altaris nomē deriuatū fertur ab ara, sic dicta, vel à precationibus, quas græci aras vocāt, vel à victimis, quæ inibi incensæ ardebant; de quo eruditè Durātus *loc. cit.* Quæ ara, quia in editiori loco posita, alta dicta est, & sic Altare quasi alta ara; Strabo *de rebus Ecclesiasticis cap.* 6. seù, quia alta per eam res agebatur, altare dictum, quasi alta res, ex Soto *loc. cit. art.* 3. Quod ideò nomen in Ecclesia maximè conueniens est, quia res in Altari oblata in infinitum altitudine omnia excedit, Christus nempè viuifica illa Hostia, qua in loco editiori Caluarij, in ara Crucis semèl, in ara Altaris quotidie immolata, Deo Patri reconciliamur.

123 *Per Altarę autem* (docet D. Th. 3. *p. q.* 83. *a.* 3. *ad* 2.) *significatur ipse Christus, de quo dicit Apostolus Hebr. vlt. per ipsum offerimus Hostiam laudis* Deo. *Vnde & consecratio Altaris significat sanctitatem Christi, de*

qua dicitur Lucæ 1. quod ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei.

124 Altaria ante Constantinum, & lignea, & lapidea vsitata fuerunt, prout, grassante in Ecclesiam persecutione, rerum, locorumquè opportunitas ferebat. A S. Syluestro constitutum fertur, vt nonnisi Lapidea adhiberentur. Per Concilium quidem Epaunense, quod refertur *de consf. dist. 1. c. Altaria* cautum est, vt si non fuerint Lapidea, Chrismatis vnctione non consecrentur. *Quod quidem competit* (docet D. Th. loco cit. ad 5.) *& significationibus huius Sacramenti; tùm quia Altare significat Christum; dicitur autèm 1. Cor. 10. Petra autèm erat Christus; tum etiam quia Corpus Christi in Sepulchro Lapideo fuit reconditum;* Et per Altaria Christi Sepulchrum, sub strictiori significatione, denotari docet & Beda l. 6. super Lucam c. 7. Non ideò mirum singulis Altaribus consecratione insignitis Angelum adsistere, ex Prato Spirituali *cap. 4. & 20.*

125 *Competit etiam* (subdit ibidem Angelicus Doctor) *quoad vsum sacramenti. Lapis enim solidus est &c.* In actis ideò Mediolanen. Eccl. Sanctissimi Caroli, vt Altare foramen nullum habeat, cauetur; quo & designatur vndequaquè plenitudo, & integritas Christi, vt ait citans D. Thomam Gauantus *p. p. tit. 20. litt. M.*

126 Excipiuntur Sanctorum Reliquiæ, quas Altari supponi par est, *quia eorum vita abscondita est cũ Christo*, ex D. Th. *loc. cit. ad* 2. Quem vsum ad ipsam nascentem Ecclesiam reducit Baronius an. 275. nu. 2. ex illo Apoc. 6. *Vidi subtùs Altare animas interfectorũ propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant;*

bant; quem locum S. Augustinus *ser. 11. de sanctis* interpretatur de visibili ara. Iure igitur merito in Altarium consecratione, præter sanctum Chrisma gratiæ pinguedinem in Christo, & à Christo in iustos dimanantem significans, Sanctorum Reliquiæ adhibentur; quod & decreto firmatum à Felice Papa deducere nonnulli conantur ex Concilio Africano relato *de consf. dist. 1. cap. placuit*.

127 Altaria Christum Dominum, vt præmissum est, denotantia, denudantur feria 5. in Cæna Domini vsquè in Sabbatum Paschæ, quia Christus tunc nudatus est à vestimentis, hoc est Discipulis, quando, relicto eo, omnes fugerunt, vt ex Alcuino, & Amalario refert Durantus *loc. cit.* * A nobis insuper eadem feria 5. altaria lauantur hyssopi herba, vino, & aqua, ad alia memoranda, quæ circà Christi passionem gesta sũt; hyssopus enim est symbolum vnctionis IESV Domino duobus ante mortem diebus à Magdalena exhibitæ, vinum autem, & aqua sanguinem obijcit, & aquam de latere Crucifixi emanata: quem ritum Ecclesiæ antiquum ex Ruperto, & in Vaticana Basilica vsitatum recenset Macrus in *Hierolex V. Altare*.

128 In Altaris substrato Caluarij locum agnoscit Quartus *p. 1. tit.* 20. & Durandus *Rat. l. 1. c. 2.* Ecclesiam à Christo fundatam, & in quatuor ipsius cornibus quatuor Mundi plagas, in quas Christi Ecclesia diffunditur. Peculiariter verò cornu sinistrum, seù epistolæ Hebreos significare, alterum gentiles communis Patrum sententia est, & medium Altaris Christum ipsum, ad quem Pastores è Iudæa, & Magi ab Oriente venerunt.

129 Crux proindè iuxtà ritum ab Apostolica

traditione dimanantem (vt affirmat Bona *l.1.cap.25.* *n.8.*) debetur Altari tanquàm signum Regis in regia, tanquam instrumentum, & memoriale Dominicæ passionis, cuius viua imago, & realis repræsentatio Missæ sacrificium est.

130 Candelabra etiam, quorum vsum ad Apostolorum tempora reducit Baronius *anno* 58. in Altari saltem duo non deesse par est, in quorum medio Cruce supereminenter existente, denotatur, quod Christus inter duos populos superior, ac mediator in Ecclesia existit, lapis angularis, qui per Crucem fecit vtraquè vnum, ac super vtrumquè Fidei lumen ille inuexit, qui dixit: *ego sum lux Mundi; & erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem*: nam ad Iudaicum Populum ait Esaias: *surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum*; & ad gentilem Apost. Eph. 5. *eratis aliquando tenebræ, nunc autèm lux in Domino*, ex Innocentio *l.2.c.2.* Nugno *hic*, Io: Lacruta *de Sacr. Miss. q.* 3. *n.*8. & alijs. Cerea verò lumina esse par est, quia sicut ex Ape cera cùm melle opere virginali producitur, sic ex Maria Virgine Christus Deus, & homo, salua vteri illius integritate, genitus est, ex Ruperto *l.4. off. cap.* 25.

131 Tobaleis insuper lineis (iuxta morem Ecclesiæ immemorabilè ex Optato Milleuitano *l.6.*) sterni decet Altare, tanquàm mensam, in qua Christus Dominus cùm Discipulis conuiuatus est, vt ait Amalarius *l.1.c.24.* cùm maximè lineis illis, vtpotè multo candidatis labore, caro Christi designetur, ob multas per vitæ totius cursum perpessas tribulationes: caro, inquam illa, quam pridie, quam pateretur, dedit nobis in cibum, disponens nobis regnum, sicut Pater suus dispo-

disposuit sibi, vt super Mensam eius ederemus, & biberemus in Regno, quod Ecclesia consecrauit. Tres autem esse congruit, tùm propter munditiam, & reuerentiam Sanguinis Christi in casu distillationis; tum quia ex Euangelio Ioannis legitur Corpus IESV linteaminibus (en pluralem numerum) inuolutũ; numerus autèm ternarius perfectior dicitur.

132 Pallia deniquè, seù frontalia, tegumenta, velamina, vasa aurea, & argentea, flores, thecæ, & huius generis alia, quæ, licèt necessaria non sint, solẽt ad ornatũ Altaris adhiberi (ex antiquissima, & immemorabili Ecclesiæ consuetudine, vt habetur ex Bona *l.1.c.25.nu.13.per totum*, & Durando *Rat.l.1.cap.3.*) designant ornamentum virtutum in Christo, & participatiuè in eius Ministris, ex Durando ibidem, Gauanto, & alijs. Gradus tandem Altaris virtutes denotant sacerdotum, per quas ad Christum comparatur ingressus, ex Hugone Victorino *in can. Missæ cap.2.* Hęc omnia saltem libasse ad eorum manuducet intelligentiam, quæ in operis totius progressu adducã.

133 Remanet, vt Sacerdos & ipse in corde Altare erigat Deo vero, vt in spiritu contribulato de se ipso Sacrificium offerat. Abneget sic semetipsum, sed & tollat Crucem suam, & sequatur eum; quem qui sequitur non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitę, vt factus lucerna accensa, non sub modio, sed super candelabrum luceat omnibus, qui in domo sũt, hoc est, cunctis ornamentis virtutum præeminens, proximis suis non nisi lucis exempla demonstret. De Sacerdotibus enim scriptum est: vos estis lux Mundi: quod si lumen, quod in nobis est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

134 d *Deum gemitibus exorando*. Omnia interiora citet cùm D.Bernardo *l.de amor.Dei* dicens,venite ascendamus ad Montem, vbi Dominus videt, & videtur.

135 * Solent tùm nostri, tum Romano Missali vtentes in accessu ad Altare submissè dicere psalmũ *Miserere mei Deus secundum magnam &c.* Hoc quidem indicari videtur rubricæ nostrę verbis, *Deum gemitibus exorando*, sed nullibi expreſsè documentum inueni. Psalmus etiam, *Iudica me Deus &c.* & dictis rubricæ nostræ verbis, & rei, quam Sacerdos aggreditur rectè consonat; vndè arbitrarium mihi, ex ipsa rubrica, visum est, ac consonum tunc istum recitare; vti recitant Carmelitæ, ex præscripto sui Cæremonialis, quod accuratissimum, atquè (vt in Epistola encyclica illi pręfixa dicitur) *quoad fieri potuit expolitum, ac Romanæ Curiæ Cæremoniis accommodatum*, editum est sub illius Ordinis Generali Fantono anno 1616.

136 Quoad mysticum, egressus Sacerdotis è Sacristia ad Altare pię meditationis argumentis non caret. Porrecta, & Titelmanus consequentèr ad dicta *tit.2.nu.29* mentis oculis obijci aiunt Christum Dominum, qui de secreta æde, hoc est de Virginali vtero, tanquàm sponsus de thalamo suo processit.

137 Minister autèm campanulam tunc pulsans, per quam litteraliter accessum Sacerdotis ad sacrum faciendum populo propè stanti annunciat, sicut in veteri testamento per tintinnabula ingressus Pontificis innotescebat, mysticè, ex eodem Porrecta ibidem, Angelos repræsentat conuocantes Pastores, ac gaudium illis magnum in Christi Natiuitate Euangelizantes.

138

138 Alij tamèn communitèr ordinem vitæ Christi ab huiusmodi egressu Sacerdotis auspicantes, per hunc, aiunt, Christum memorari, qui, vt nostræ salutis Sacramentum solueret, de secreto Cęlorum habitaculo egressus est, secundum quod legitur psal. 39. *holocausta, & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio.*

139 Minister etiam cum Missali præcedens, mysterio viduus non est. Ioannis namquè vice fungitur, qui ante Christum conceptus, ac natus præiuit ante faciem Domini parare vias eius, ante Christum & prædicationem aggressus.

140 e *Progrediatur*, oculis demissis, vt infrà rubrica præcipit, ac graui incessu, calicem deferens eleuatum ante pectus, sic reuerentia exposcente. Addit Ciantes l. 3. p. 2. c. 4. *nemini per viam caput detegat, & si ei fiat obuiam alius Sacerdos sacris vestibus indutus, ipsi caput inclinabit, debita totius corporis compositione.* Insuper ab huiusmodi inclinatione capitis non esse excludendas crederem Personas, aut res Ecclesiasticas specialiori nota dignas, vt sunt Prælati, Episcopi, & suprà, & apud nos, priores, & suprà: sic altare maius, (tuncque inclinatio maior esse debet) etiā si in eo Sāctissimæ Eucharistię tabernaculum non sit; insignis paritèr sacra Reliquia publicæ venerationi exposita, de qua fiat festum, aut mirabilis sacra Imago. Totum hoc docent in simili ritus Romani Castaldus, Gauantus, Bauldry, Tonellius *in hunc rubricæ locum*, & ante hos omnes, Cærem. Carmelitarum nunquàm satis laudato studio confectum.

141 * Vndè infertur, & rationi, & pietati inimixam esse consuetudinem meæ Prouinciæ vtriusquè Lombardiæ reuerentiam in nostris Ecclesijs exhibé-

di Altaribus Sanctissimæ Virginis Rosarij, ac S. P. Dominici, quando ante ea Sacerdotem transire contigerit.

142 f *Si ante Altare, vbi celebratur Missa, in qua eleuatur, vel tunc ministratur Sacramentum, vtraquè genua flectat &c.* Hæc in Missalibus post illud Xauierre addita ad maiorem explicationem sunt. Ex ijsdem infertur vtraquè genua flectenda esse, si Sanctissimum Sacramentum pateat in Altari, aut si per Ecclesiam fiat obuiam illud deferens. Cæterum si ante tabernaculum transeat, in quo Christi corpus includitur, aut si aduertat, in Altaribus minoribus adhùc esse post consecrationem Sacramentum, sufficit, si vnicum genu flectat, non detecto consequentèr capite, vt ex ipsa rubrica deducitur, & docet in simili Gauantus hìc.

143 Quando verò vtraquè genua flectit, cautè in capite detegendo, ac iterum tegendo, se gerat, ne, amota manu dextera, aliquid de Calice cadat; Caput ideo detegi debere nonnisi post genua flexa, ac iterũ tegi antequam surgatur, consulit Bauldry hìc.

144 Quod autem rubrica subdit, *neque antea surgat, quàm celebrans deposuerit Calicem*, intelligendum videtur, quando eleuatur post consecrationem Sacramentum, sed quando ministratur, eo adorato, vt diximus, iter prosequendum est.

145 g *Inclinatione capitis ad medium eius facta, vel flexo dextro genu &c.* * Fit hæc inclinatio, vel respectiuè genuflexio, infrà infimum altaris gradum iuxtà Ritum Romanum. Quod clarè patet ex rubrica Missalis pro defunctis impressi sub Generalibus de Marinis, & de Roccaberti dicente: *Factaquè ante gradus Altaris profunda inclinatione, vel genuflexione &c. ascendat ad Altare.* 146

146 * Quia verò in omnibus inclinationibus grauitas qnidem,& modestia,sed præcipuè modus,& ordo multum conducit ad rei maiestatem, quam tractamus, à qua è contra eas inconsultò facere maximè abhorret, studiosè obseruanda rubricarum verba propono, vt indè certam inclinandi regulam excipiamus. Triplex itaquè inclinatio generalitèr in rebus nostris præscribitur. Prima dicitur inclinatio capitis, quando simùl caput cùm corpore aliqualitèr inclinatur. Secunda inclinatio vsquè ad genua, quãdo caput ità inclinatur, vt sit per directum ad genua oppositum. Tertia dicitur inclinatio profunda, quando corpus,& caput tantùm inclinatur, quantùm potest cubitus inhærere genibus;ità Ciantes *in Cæremoniali nostri Ordinis*. In rubrica verò Missalium nostrorum triplex diuersimodè præscribitur inclinatio, nempè,*inclinèt aliquantulum caput; inclinet caput;inclinet profundè;* inclinationis autèm, quam vsquè ad genua vocamus, nullibi mentio est; immò nonnunquam in Missa solemni ad eadem verba,puta in hymno *gloria in excelsis* ad *gratias agimus tibi*, & ad *suscipe deprecationem nostram*, chorus iubetur inclinare vsquè ad genua, Sacerdos verò à rubrica Missalis caput inclinare iubetur. Ijsdem ferè terminis vtitur Missale Romanum ad exprimendam triplicis generis,quam præscribit,inclinationem. Hinc conijcere est,quòd sicut Patres nostri à Romana Ecclesia ritũ Missæ receperunt,ità & conseruarint, ac proindè videtur non esse standum,quoad inclinationes in Missa, rigori prædictæ generalis dispositionis, sed potiùs explicationi,quam in simili Missalis Romani tradũt illius interpretes, præcipuè Cattaneus *in directorio*

sacri-

sacrificantium cap.4.

147 Dicerem itaquè, quod, quando rubrica nostra præcipit inclinare paululum caput, (hanc simplicem inclinationem Romani Missalis explicatores appellant) inclinare debemus caput cùm paucissimo humerorum motu. Quando absolutè iubet, inclinare, vel inclinare caput (quam inclinationem mediam illi appellant) caput magis inclinemus, cùm aliquantulo maiori humerorum, nec non corporis motu. Quandò tandèm iubet inclinare profundè (in quo etiam in terminis cùm Romano Missali nostrum cōuenit) humeros vix profundiùs inclinemus, quàm vt caput sit per directum ad genua oppositum; de quo sequenti titulo specialitèr sermo erit. Priuatum tamen meum meliori semper, ac publico iudicium humillimè submitto.

TI-

De præparatione Calicis in Altari ante Missam.

TITVLVS V.

RVBRICA.

Calicem mox versus a *cornu Euangelij seponat,* *quo detur explicationi Corporalis locus, quod* b *de Calice accipiens reuerētèr* c *explicet in medio Altaris. Deindè amoto Velo, Patenam cùm Hostia super Corporale deponat, & è Calice purificatorium auferens, iuxtà Corporalis partē dexteram,* d *in longum extendat. Deinde* e *præparaturus Calicem, eum per medium pomi sinistra manu tenens, ampullam* f *vini de manu Ministri* g *accipiens, dextera parum vini infundat: deindè, porrigente ministro ampullam* h *aquæ, & dicente,* benedicite, i *signo ipsam consignet dicendo,* in nomine Patris &c. *Posteà* l *tantam quantitatem aquæ distillet in Calicem, quæ facillimè tota possit in vinum* m *conuerti. Deindè ei sic præparato Patenam cùm Hostia* n *imponat, &* o *cooperiat, & super Corporale in medio Altaris, vel* p *ad cornu Epistolæ collocet.*

NO-

N O T Æ.

148 C*Alicem versùs cornu Euangelij seponat*. In Missali Xauierre idem in re dicitur, sed diuersis his verbis, *versus dextrum altaris cornu seponat*; & semper cornu Euangelij dextrum, illud Epistolæ sinistrum nominat. Ordinarium antiquum è cōtrà latus Euangelij sinistrum, illud Epistolę dextrum dicit. Concordat Ordinarium cùm Iuone Carnotensi *serm. de conuen. noui, & veteris Sacrificij*; alijsquè antiquis, & verè sic est, si habeatur ad celebrantem respectus, vt inquit Innocentius III. *l*. 2. *c*. 12. Cæterum absolutè loquendò, prout loquuntur cùm Missali Xauierre Ordo Romanus, & moderni communitèr, latus Epistolæ sinistrum, latus Euangelij dexterum est.

149 b *Corporale de Calice accipiens*, hoc est de Bursa Calicis (vt explicat Ciantes hic) manu dextera: Sinistra interim Bursam ipsam inter Candelabra (non ad Candelabrum, ne liquescente cera deturpetur) in cornu Euangelij ità seponat, vt pars eius aperta respiciat medium, Tonellius *in hanc rub*.

160 c *Reuerenter explicet*, ità vt ora Corporalis oram Altaris tangat, vt manus intrà Corporale post consecrationem commodiùs contineantur, Gau. & Bauld. hic.

161 Pallam verò (cuius, ob rationem allatam *tit*. 2. *num*. 61. in nostris Missalibus, si illud excipias Generalis Beccariæ, mentio nulla est) ad dexteram manum propè Corporale reponat.

162 d *E Calice Purificatorium auferens in longum exten-*

extendat. * *in locum* legitur in rubrica: error Typographi. In longum habetur in Missali Xauierre, & in Cærem. Ciantes hic Rubrica Missalis Rom. præcipit Calicem extergere Purificatorio immediatè antè vini infusionem. Sed cùm rubrica nostra huiusmodi extersionem in Sacristia fieri iusserit, alteram hìc duxit superuacaneam.

164 * Solent ex nostris non pauci Purificatorium non adhùc deponere, posteà adhibendum pro extergendis guttis vini, aut aquæ, intrà Calicem fortasse dispersis. Hos contrà rubricam facere non existimo, quando necessitas hoc suadeat, quando videlicèt, circumacto intrà Calicem vino, adhùc prædictæ guttæ apparerent, vt in simili Ritus Rom. explicat Bauld. cùm alijs; ad quem effectum etiam non renuunt posse tunc vnà cùm Calicis pomo sinistra manu detineri, vt prędictas guttas statim abstergendo, omnis de earum consecratione dubitatio præoccupetur; ad quam tamen omninò prætollendam satis prouisum nonnulli existimant, si Sacerdos semèl pro sēper intendat nolle consecrare, nisi totum illud vinum in fundo Calicis, quod est per modum vnius continui, non verò guttas dispersas.

165 e *Præparaturus Calicem* * Calicis ante Missæ initium præparationem Guillielmum Estium nouitatem appellare, & illam quidem nostram plenò iure miratur Eminentissimus noster Capisúccus *lib. controu. Theol. select. controu.* 1. §. 32. & pro summa, quà præstat, rerum Ecclesiasticarum eruditione, eum refellit. Refert enim, hunc & Gręcis esse morem Liturgia S. Ioannis Chrysostomi vtentibus; viguisse in pluribus, immò in omnibus Galliarum Ecclesijs; & nunc

nunc quoquè in plerisquè veteres rubricas obseruātibus hanc consuetudinem custodiri; in Leodicensi paritèr,alijsquè,vt testantur antiqua Missalia, necnō in Ordine Cluniacensi,& Cisterciensi. Similia habet & Cardinalis Bona *lib. 2. rerum liturg. c. 1. num. 7.* vbi cum de huiusmodi Græcorum Ritu plura congesserit,subdit,imitari vini,& aquæ præparationem,antequàm Missam inchoent,quosdam latinorum, vt Cartusiani,Prædicatores, & veteri ritu Cistercienses, ac quosdam alios, (vt Carmelitæ:) statim enim ac peruenerunt ad Altare,vinum Calici infundunt, & aquā miscent,breuiquè oratione benedicunt.

166 Christus Dominus huiuscè rei specimen quoddam reliquisse videtur, qui anteqnàm hoc Sacrificium institueret,ac perageret, vt in Euang.Marci prçcipuè cap.14.legitur, *misit Petrum, & Ioannem dicens:euntes parate nobis Pascha,vt manducemus; Euntes autem &c. & parauerunt Pascha.*

167 Accedit his cautela;si enim in vino,aut aqua defectus fortè occurreret, consultius videtur antè, quàm intrà Missam animaduerti. Causa tamèn litteralis potissima infrà expendetur.His sic stantibus, & cùm aliundè inconueniens nullum assignare sit, licèt fatear,Calicis post Offertorium præparationem optimis non carere congruentijs, quas allegant Romani Missalis explicatores,videtur tamèn, & nos cùm Ambrosio de Sacram.l.3.c.1.repetere posse,*quod alibi rectius seruatur,& nos rectè custodimus.*

168 § *Vini.*Sicuti Artoristæ,Cataphrigç,Pepusiani,Gnostici,Manichæi,ac cùm huiusmodi hominū, & nominum monstris Caluinistæ materiam, ex qua Corpus Christi conficitur, aliam à pane hæreticè

agno-

agnouerunt, ità non defuerunt hæretici, qui alios à vino liquores esse materiam Calicis somniauerunt; alij aquam (vndè Aquarios prætitulat Epiphanius *hæresi* 30.& 42.) alij lac, vt refertur in Concilio Bracharensi 3. alij tandem mel. In Fide tamèn exploratum magis est, quàm indigeat probatione, in solo vino de vite validè fieri Sanguinis consecrationem. *Primo quidem* (docet D. Thomas 3. p. q. 74. ar. 5. in ò) *propter institutionem Christi, qui in vino vitis hoc Sacramentum instituit; vt patet ex eo, quod ipse dicit Matth. 26. circà institutionem huius Sacramenti: non bibam amodò de hoc genimine vitis. Secundò; quia ad materiam Sacramentorum assumitur id, quod propriè, & communitèr habet talem speciem: propriè autem vinum dicitur, quod de vite sumitur; alij verò liquores vinum dicuntur tantùm per quandam similitudinem ad vinum vitis. Tertiò, quia vinum vitis magis competit ad effectum huius Sacramenti, qui est Spiritualis lætitia; quia scriptum est, quod vinum lætificat cor hominis.* Sicut enim (inquit Gonet in D. Th. hic) panis, & vinum sunt cibus, & potus corporis, ità Sacramentum hoc institutum per modum cōuiuij est cibus, & potus animæ, & in vtroquè sensum reddunt verba Sap. *venite, & comedite panem meum, bibite vinum, quod miscui vobis.* Mystica alia pani, vino, & aquæ congruentia infrà exprimentur.

169 g *Ampullam de manu Ministri dextera accipiens.* Non exprimitur, num in medio altaris, an in cornu Epistolæ? sed rationabilis consuetudo reuerentiam respectu ministri, & munditiem respectu altaris concernens, ità rubricam explicasse videtur, vt de cornu Epistolæ intelligatur, saluo semper meliori iudicio. Ex tunc admoueat Sacerdos Calicem paululum

lum inclinatum propè ampullas, ne guttæ cadant super altaris Mappas, vt monent Gauant. & Bauld. hic.

170 h *Aquæ* nonnihil vino miſcendum eſſe (quod negãtes Armenos, iuxtà modernos hęreticos, animaduertit Concilium Florentinũ *decr. pro Arm.*) de neceſſitate non Sacramenti, vt voluit Armacanus, ſed prǽcepti, non diuini, ſed Eccleſiaſtici, docet ex nouiſſimis Concilijs Florentinum, nec non expreſsè Tridẽtinum *ſeſſ.* 22. *c.* 7. his verbis: *monet Sancta Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in Calice offerendo miſcerent;* & citatur ibi Conc. Carthag. 3. c. 24. & Bracharen. 3. c. 2. Cuius Sacræ Cæremoniæ triplicẽ reddit rationem D. Th. 3. p. q. 74. a. 6. in ò. *Primò quidem propter inſtitutionem: probabilitèr enim creditur, quod Dominus hoc Sacramentum inſtituerit in vino aqua permixto ſecundum morem illius terræ;* quod & indicant prænunciata verba, *bibite vinum, quod miſcui vobis*, & aſſeritur in Liturgijs SS. Iacobi Apoſtoli, & Baſilij, ac teſtatur S. Clemens Papa l. 8. conſt. c. 17. *Secundò* (proſequitur D. Th.) *quia hoc conuenit repræſentationi Dominicæ Paſſionis, vndè dicit Alexander Papa* (epiſt. ad omnes orthodox.) *non debet in Calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri; ſed vtrumquè permixtum; quia vtrumquè ex latere eius in paſſione ſua fluxiſſe legitur. Tertiò, quia hoc conuenit ad ſignificandum effectum huius Sacramenti, qui eſt vnio Populi Chriſtiani ad Chriſtum; quia, vt Iulius Papa* (epiſt ad Epiſcopos Ægypti) *dicit, videmus in aqua populum intelligi* (*Apoc.* 17. *aquæ, quas vidiſti, populi ſunt, & gẽtes.*) *Quarto, quia hoc competit ad vltimum effectum huius Sacramenti; qui eſt introitus ad vitam æternam: vndè Ambroſius dicit in lib. de Sacram. redundat aqua in Calicem,*

licem, & salit in vitam æternam. Hæc Angelicus Doctor, qui insupèr *opusc. 66. expos. Missæ*, panem, vinum, & aquam ad hoc Sacramentum congruentèr adhiberi sic mysticè probat: *in aqua intelligitur Fides, quæ latet, & nutritur in aquis; in vino, quod lætificat, & accendit, intelligitur Spes: in pane, qui confirmat, & reficit, intelligitur Charitas. Vel in pane, qui corroborat intelligitur Pater; in vino, quod lætificat, intelligitur Filius, qui est gaudium omnium nostrum, quod nemo tollet à nobis; in aqua, quæ mundat, & lauat, intelligitur Spiritus Sanctus &c.*

171 i *Signo ipsam consignet.* Vinum non benedicitur, per quod Christus significatur benedictione non indigens. Benedicitur aqua, quæ, vt mox diximus, est symbolum populorum, Christi benedictione, ac crucis virtute indigentium, vt Christo vniantur, & sicuti vinum in sui naturam aquam hanc trahit, ità Christus in se populos per gratiam transformet, fiantquè vnum Caput, & membra, quemadmodùm ad Patrem Christus loquitur dicens: *Pater rogo, vt omnes vnum sint in me; sicut tu Pater in me, ego in te*, ex Titelmano *c. 23.* & alijs.

172 ; Hæc ideò benedictio omittitur in Missis defunctorum, quia populus Purgatorij tunc significatus iam est Christo per gratiam vnitus, ex Melchi. Huel. *de Cærem. Missæ*.

173 * Orationem, *Deus, qui humanæ substantiæ &c.* à Romano Miss. hic, meritò sanè, præscriptam, esse S. Ambrosij in Missa de vigilia Natiuitatis Domini, & eandem, addita vini, & aquæ mentione, in hunc locum translatam, vsquè receptam recenset Gauan. *in hanc rub. p. 2. tit. 7. litt. H.* Ne ergò quis nos eam omittere

miretur, recolens, quæ *tit.2.præl.* dicta sunt, ac quæ *tit. de offert.* dicentur.

174 l *Quantitatem aquæ distillet in Calicem*, vino longè minorem, præcipuè (vt aduertit D. Th. *loc. cit. ar. 8. in ô*) si vinum sit debile; tùm ne vinum corrumpatur, & in mixtum distinctæ speciei degeneret, quod non esset materia idonea consecrationis, tùm vt faciliùs conuertatur in vinum, ratione cuius, vt dicetur, transubstantiatur in Sanguinem. Propterea in Concilio Florentino, *decreto pro Armenis*, habetur, materiã Calicis esse vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet: * quod vt exactiùs seruent alicubi nostri ex consuetudine; Cartusienses vbiquè ex rubrica, paruulum cochlear adhibent.

175 Quot verò aquę guttas in Calicem distillare expediat, variç sunt Doctorum consultationes; illa mihi placet proponentium tres infundere guttas aquæ, quæ tota quinquies, aut septies excedatur à vino, quo satis rei, quę agitur, cautum sit, & mens statim ad pias peculiares meditationes deducitur.

176 Mystica quidem ratio non deest, ob quam paucissima generalitèr aqua vino admiscetur. In vino Christum, in aqua Populos, & gentes designari cõfirmatur ex Iulio Papa *epist. cit.* dicente, *si vinum tantùm quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis, si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo*. Esaias autèm c. 40. quid dicit? Omnes gentes in conspectu Domini non aliud esse, quàm guttulam situlæ, quę fluit de plenitudine eius.

177 m. *Quæ facilimè tota possit in vinum conuerti.* En ratio litteralis potissima, ob quam ante Missæ ini-

initium Calicem præparamus. Si enim tempore consecrationis non sit aqua conuersa in vinum non trāsubstantiari in Christi sanguinem, sed in propria aquę specie, & substantia remanere probabilius putat D. Thomas *loc. cit ar. 8. in ò.* iuxtà extrauag. Innocētij III. *de cel. Mis. cap. cum Martha*; nec non conformitèr doctrinæ ipsiusmet Summi Pontificis l. 4. de Alt. Mysterio c. 31. vbi *aqua*, inquit, *transit in Sanguinem, ea scilicèt ratione, quod aqua per admixtionem transit in vinum* (virtute actionis naturalis,) *& vinum per consecrationem in sanguinem.* Concordat expressè Cathechis. Rom. auctoritate B. Pij V. editum *tract. de Euch. c. 4.* Fauet huic opinioni Scriptura Sacra, fauēt Concilia, fauent Sancti Patres, fauet tandem ratio, vt docent celebriores Theologi tùm è Schola D. Thomæ, tùm extrà, etiam è Societate IESV. Fusissimè ex nostris de hac re scripserunt Hiacynthus Petronius ex Magistro S. Palatij Apostolici Episcopus Melphicten. Hiacynthus Choquetus Louaniensis, & præ cæteris eruditè Emin. S. R. E. Cardinalis Capisuccus *lib. cit.* penès quos exploratum plenè habetur, sententiam potiùs afferentem aquam Sacro Calici infusam immediatè transubstantiari in Sanguinem Christi recentem esse, & à recentioribus excogitatam. Vndè perspicuum etiam fit, quàm impar Baronio sit eius, seù veriùs, quæ Baronio falsò imponitur (optimè cum vindicat Eminentissimus Capisuccus) assertio ad annum 1188. siuè vt Theologus locutus sit, siue vt Historicus, innuens, sententiam nostræ oppositam illi conformem esse, quam tenuit, & custodiuit semper S. R. E.

178 Huiusmodi enim quæstio, vt refert Noster

Maluenda *in annalibus Ordinis, de anno Christi* 1188. primò orta fuit in Gallia, seù potiùs tunc primùm nunc nobis attributa sententia reuocata fuit in dubium; cùm esset antea vnanimi Theologorum consensu excepta.

179 In re itaquè iàm exagitata, tutiorem partem Sapientissimi Patres nostri à Religionis primordijs elegerunt, paucissimam aquam, eamquè ante Missæ priuatæ (pro solemni non militat ratio) initium Calici infundi iubentes, ne quantitas aquæ obesset, & vt tempus maius adesset, quo vinum in suam naturam aquam traheret, quę ideò fieret materia idonea consecrationis.

180 Ea hoc ratione factum est, vt omnis saltem incertitudo, simulquè ab animis magis timoratis nimia quædam anxietas tolleretur; cùm aliàs satis temporis semper nostri agnouerint inter mixtionem Ritu Romano præscriptam, & consecrationem, vt aquula Calici infusa in vinum conuertatur.

181 Quomodò verò hoc nequaquam fuerit nostrorum inuentum, sed præcesserit in pluribus Ecclesijs huiusmodi vsus à viris tùm sapientissimis, tùm sanctissimis inductus, sæpiùsquè ab Apostolica Sede approbatus, habes in verè Eminentiss. Capisucco, & dictum est litt. E.

182 n *Ei sic præparato Patenam cùm Hostia imponat*, & super Hostiam Pallam, vt dictum est *tit. 2. nu.* 63. vt in simili præscripsit Ceremoniale Carmel. & vt ratio quædam Hostiæ debita, & mysterijs de Corporali adductis conformis, expostulat.

183 *Et cooperiat*, ideſt velo vndequaquè; aut si velum non sit satis longum, saltem in parte anteriori,

ri, vt lateat totus Calix, quousquè, reuelato ad offertorium Calice, reuelentur propria Christi mysteria, vt aduertit Gauantus *in hanc rub.* & dictum est *tit.2. nu.64.* Quod Calicis cooperimentum tanti facit Victorianus Premoli *l.instit.Cler.par.3.c.7.* vt sub mortali debitum existimet; quam opinionem licèt vt nimis rigidam reijciam, rubricam tamèn misterio non viduam executione fraudantes à veniali excusare nescirem. Quod si fortasse quemquam tædet laboris, meminerit à Græcis tribus velis Sacra cooperiri, vno discum, altero Calicem, tertio, quod aerem vocant, vtrumquè.

184 p *In medio Altaris, vel in cornu Epistolæ.* *

Vsus obtinuit, quod in missa priuata in medio dumtaxat altaris Calix collocetur; & par est, vt nostrum Ritum in hoc, vti & in alijs, vniformitas commendet.

TITVLVS VI.

De principio Missæ, & primò de confessione generali.

RVBRICA.

Ad Missale super a *puluinari ad cornu Epistolæ parato se conferat,* b *aperiat, reperiat Missam, & signacula suis locis accõmodet. Quo facto pergat,* c *iunctis antè pectus manibus, ad* d *medium altaris, & ibi ambabus manibus* e *caput discooperiat, & secretò, ac humilitèr orans dicat:* f actiones nostras &c. *attentè, & deuotè ad Missæ celebrationem hoc pacto* g *progrediatur.*

h *MODVS, ET RITVS DICENDI MISSAM.*

Sacerdos i *stans immediatè infrà supremum gradum, vel post gradum, si fuerit vnicus, ante Altare* l *signo Crucis se muniens* m *secretò dicat:* in nomine Patris &c. *Quo dicto,* n *clara voce, manibus iunctis ante pectus,* o *incipiat; ita vt à propè circumstantibus audiri queat;* confitemini Domino, quoniam bonus, *& responso à Ministro*, quoniam in sæculum misericordia eius, *inclinans profundè dicat,* p confiteor Deo *&c.* q *Pectus non tundat ad* mea culpa. *Minister respondeat;* misereatur tui &c. *& responso à Sacer-*

cerdote, Amen. r *Minister subdat;* Confiteor &c. *Addens Sacerdos* absolutionem, & remissionem &c. *signum Crucis ne faciat, & responso à Ministro,* Amen, *erectus in pedes, iunctis manibus, dicat;* ſ adiutorium nostrum in nomine Domini; *respondeatquè Minister,* qui fecit Cælum, & Terram.

N O T Æ:

1 a AD *Missale super Puluinari parato se conferat.* De puluinari agit Ordo Rom. sic ipsum appellans. Missale ità super Puluinar collocatum esse debet, vt pars inferior illius Altare tangat, & Sacerdos ante illud directè stans commodè indè legere possit, ex Bauld. & Tonell. *in hanc rub.* Nec non pars Missalis, quæ aperitur respiciat Altaris medium, ex ijsdem.

2 Per Puluinar designari, ministranda esse temporalia prædicanti verbum Dei, quod in Missali continetur, docet Innocentius *l.1.c.41.* Est enim ad quietem, & substentationem. Ad rem Augustinus super 1. ad Tim. 5. *qui benè præsunt Presbyteri &c. recipiant substentationem necessitatis à Populo, mercedem dispensationis à Domino. Ità & Dominus ordinauit* (inquit Apost. 1. Cor. 9.) *his, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* Titelmanus verò *hic* post Hugonem à S. Vict. *l.2.c.20.* per Puluinar indicari, ait, cor tenerum ministranti verbum Dei, atquè suscipienti deberi.

3 b *Aperiat &c.* ipsemet Sacerdos, insinuans, quod

in Apoc. c.5. describitur, *quoniam nemo inuentus est dignus aperire librum, & soluere septem signacula eius, nisi Leo de tribu Iuda, radix Dauid:* Ita post Innocentium Durantus *l.2.c.12.*

4 c *Iunctis ante pectus manibus:* non quidem ante ventrem, sed ante pectus, digitorum extremitatibus, neque terram, neque faciem directè respicientibus, sed, vt fert gestus naturalis, mediocritèr eleuatis, itàvt Casulam, quantum fieri potest, non tangant; quam proindè vittis, vt modernis mos est, congruit aptari. ita Castaldus *l.cit.c.5.nu.1.* nec non Gau.& Bauld. *in hanc rub.*

5 Caueat Sacerdos per Missæ totius decursum, ne vnquàm manus inconsultò vagantes habeat, sed eas continuò coniunctas teneat, nisi rubrica alitèr expresè præcipiat. * De hac quidem re, Ordinario antiquo alicubi tacente, non modica controuersia in opinionibus olim fuit, atquè in vsu diuersitas apud nostros. Verùm per explicationes Cap.gen. modernis Missalibus insertas satis consultum est: de quo *tit. sequent.*

6 Iunctio autem manuum est in membris actus humiliantis, ac prosternentis se coram Deo. *Et quia secundum D.Thomam *hic ar.5.ad 5.* in capite, nempè Christo Domino, obedientiam, & humilitatem denotat, quia humiliauit semetipsum factus obediens vsquè ad mortem, mortem autem Crucis, valdè conueniens est in manuum iunctione, pollicem dexteræ superponendo pollici sinistræ, Crucem formare, quod habuit expressum rubrica Miss. Romani sub Clem. VIII. editi.

7 d *Pergat ad medium Altaris &c.* * In Cæremonia-

moniali Ciantes *l.3.cap.4.* sic legitur *: pergat ad medium Altaris infrà supremum gradum, & ibi ambabus manibus caput discooperiat, & erectus secretè, & humilitèr orans dicat; actiones nostras &c.* Sic quidem nonnulli faciunt. Verùm expendenti rubricam Missalium nouissimæ impressionis, immò rubricam dumtaxat legenti Missalis Xauierre, manifestè patet, præcipi in Missa priuata ad medium Altaris, immediatè ante ipsum, pergere, ibi discooperire caput, ibidem dicere; actiones nostras &c. *& deindè* (quod addit Missale pro defunctis impressum sub Generali de Roccaberti) descendere infrà supremum gradum. Ciantes itàquè rubricam attendit Missæ solemnis, & hac rubricam Missæ priuatæ explicare intendens, rationem disparitatis neglexit. Hæc enim supponit, non illa, Sacerdotem iam ascendisse ad Altare; ideoquè illa dicere non potuit, quod ista dixit: *quo facto* (idest dicto *actiones nostras*) *ad Missæ celebrationem progrediatur;* sed præscripsit, vt ibidem, vbi pedem fixit, dicat, *actiones nostras &c.*

8 e *Caput discooperiat*, * subintellige, & Amictũ super os Planetę aptè reuoluat; vndè significatur, (ex Innocentio III. l.1.c.58.) quod omne opus bonum debet ad charitatem, quam Planeta significat, referri.

9 * Reuerentia Sacro iam debita hoc loco exposcit, vt caput discooperiamus, cùm hic potissimum vim habeat illud Apost. 1. Cor. 11. *omnis vir orans velato capite deturpat caput suum*, idest (glossat Turrecremata hic) indecenter, & irreuerentèr exercet actum suum. Duplex namquè est oratio, vna priuata, quę scilicèt Deo offertur in propria Persona; alia publica (cuiusmodi est Missa) quæ Deo offertur in Persona

totius

totius Ecclesiæ; de secundis loquitur principalitèr Apostolus, ex Turrecremata hic cum D.Th. *super Epist.ad Cor.*Iam enim*, vt paulò ante Apostolus dixerat, specialitèr *viri caput Christus est*, in Missa principalissimus offerens; minimè velatus, & absconditus, vt in veteri lege (qua ratione Thiara velato capite tunc sacrificia Sacerdotes peragebant Exod.28.) sed conspicuus, & manifestus, vt obseruat Ephiphanius *hæres.*28.& Cornelius à Lapide *in d.Epist.ad Cor.*

10 f *Dicat; actiones nostras &c.* * Quia verò, vt idem Apost ad Rom.8. *quid oremus sicut oportet nescimus*, sed Spiritus nos docet, & adiuuat infirmitatem nostram, meritò præmittimus, *actiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni &c.* Quæ oratio habetur in Micrologo *cap.*23. dicenda immediatè antequàm iam paratus Sacerdos ad Altare veniat.

11 g *Ad Missæ celebrationem hoc pacto progrediatur.* Non decet, vt retrocedendo descendat, neque cõuertendo se à latere Euangelij, sed à latere sinistro ad dexterum, retrahendo se aliquantulum ad cornu Euangelij, ne directè terga vertat Cruci, ità in simili Miss. Rom Castaldus *l.*2.*sect.*8.*c.*2.& Gauantus, ac Bauld.*in hanc rub.*

13 *Cum primùm superiorem gradum descenderit ad Altare conuersus Cruci inclinet, vel respectiuè genuflectat, vti fecerat, cùm primò ad medium Altaris venit: quod fortassè rubrica certius supposuit, quàm indigeret expressione. Ex quibusdam enim cõgruentijs, & ratione naturali ipsius cultus, qui debetur Cruci, deduci videtur, regularitèr minimè decere accessum ad medium Altaris, vel recessum ab eo, & à fortiori transitum per ipsum, nisi exhibendo Cruci reue-

reuerentiam. Dixi *regulariter*, quia quando rubrica inclinationem aliquam verbis debitam, puta *in spiritu humilitatis &c* tunc ab alia, ratione accessus, vel recessus abstinendum est, vt suis locis dicetur. Sic quidem de hac re à me consultus respondit doctissimus noster Pater Mailat, & idem in simili docent Ritus Rom. expositores: priuati tamen iudicij cùm hæc sint, legitimum iure merito expectant.

13 h *Modus, & ritus dicendi Missam*. * Specie quadam terræ rubri coloris antiquis mos fuit librorum titulos, capita, & indices notare, & præsertim titulos, & inscriptiones legum, vt patet ex Iuuenalis *Sat.* 14. Cùm ideò leges, seù modus, & ordo Missam celebrandi, hoc loco præscribantur, & rubeus color in titulis, & capitibus adhibeatur, rubricæ vox meritò vsurpata est in Missali Rom. atquè in titulnm communem legibus Missæ, à B. Pio V. Non deerat tamen in aliquibus, alijs à Missali, vetustissimis Ritualibus libris, qui olim separatim à Missalibus habebantur, *directorium, seù Ordinarium*, (cuiusmodi est antiquum nostrum) alijsquè nominibus (è quibus & *Ordo Romanus*) inscriptis. Hac itaquè rubricæ voce in hoc opere vsus modernæ me acceptioni conformaui, & antiquę potiùs, ne dicam & antiquatæ, Missale nostrum nouissimum (deest enim in antiquis ly *modus, & ritus &c.*) consonat.

14 i *Stans immediatè infra supremum gradum.** Idē præscribit Cær. Carmelit. ac Carthusien. Nomine supremi gradus venit suppedaneum, seù bradella Altaris, ex Gau & Bauld. & alijs *hic*. Stet ergo super gradum immediatè infrà, idest post suppedaneum, & si vnicus fuerit gradus, hoc est suppedaneum tantum, stet

ftet in plano Cappellę post ipsum:quod si nullus gradus fortasse fuerit, ideſt nec ſuppedaneum, ſtet *in aliqua diſtantia*(vt loquitur hic antiquum Ordinariū) *ante ipſum*.

15 * Huiuſmodi deſcenſum infrà ſupremum gradum clarè adeò rubrica Miſſalis Xauierre, ac poſteriorum præſcribit,vt à tranſgreſſione rubricę,myſterijs infrà deducendis non vacuæ,eos excuſandi locus non ſit,qui ſuper gradum ſuperiorē,hoc eſt ſuper omnes gradus confeſſionem faciunt. Excuſatione potius digni videntur, qui omnes gradus iuxtà Ritum Rom.deſcendunt; quibus fauere videtur antiquum Ordinarium confeſſionem indeterminatè fieri iubens (in Miſſa tamen ſolemni,quæ non ſupponit Sacerdotem iàm aſcendiſſe Altare) *in aliqua diſtantia ante ipſum*; fauere etiam videtur Miſſale nouiſſimum pro defunctis,dicens,*infrà gradus*, quaſi inſinuans per ly *infrà ſupremum gradum* vetari dumtaxat, ne ſuper gradum ſuperiorem Confeſſio fiat: rationes inſupèr congruentiæ fauent, quæ Miſſale Rom. reformatum omnibus numeris abſolutum conſtituunt. Verùm, quia melior eſt obedientia, quàm victimæ, cùm in Miſſali Xauierre auctoritate Apoſtolica Clem.VIII confirmato,alijſquè nouiſſimis deſcenſus nonniſi infrà ſupremum gradum clarè proponatur,mea ſentētia obſeruandus eſt;cùm maximè ſuis & ipſe congruentijs non careat,ſi Iſaiæ illud vſurpem, ne fiat *ſicut populus,ſic Sacerdos:* qui ità coram Deo debet humiliari, vt ſeruet etiam ſui muneris dignitatem, vt notat Quartus *in ſimili huius rubricæ*.

16 Huiuſmodi autem deſcenſus, infrà gradum ſaltem,Altaris,peccata humilitèr confitenti aliàs debitus,

bitus,denotat,nonnisi per virtutes, veluti per gradũ, ad Christum in Altari significatum, patere accessum: Christum insuper ob oculos ponit,qui in inferiora terræ primùm descendit,vt in editiori Caluarij loco, qui etiam in Altari exprimitur,nostræ salutis Sacramentum perageret.

17 l *Signo Crucis se muniens,* ponat finistram infrà pectus extrà Crucis terminum, idest quasi super Cingulum circà lumbos deductum,& dextera extensa,digitis simùl iunctis,& extensis, ac vola manus faciem respiciente tangat frontem (caput nequaquàm inclinando,)cum dicit,*in nomine Patris*, pectus cùm, dicit,*&* *Filij*,humerum finistrum,cùm subdit, *&* *Spiritus*,humerum dexterum ad *Sancti*, iungat manus ad *Amen*,nullo modo os tangendo: ità, post Castaldum hic,Gau.& alij communiter *in hanc rub.*

18 Hoc Crucis signum aliquando à capite ad pectus,à pectore ad dexteram, à dextera ad finistram (vti & modò faciunt Græci) ducebatur, quia Christus,vt explicat hìc Innocentius,descendit in terram, & à Iudæis transiuit ad Gentiles. Sed iàm à finistra ad dexteram communitèr latini producunt;quia sicut Christus de morte ad vitam, ità nobis per Christi mortem,& quinquè eiusdem vulnera (quæ per quinquè extensos digitos designantur) de miseria transire ad gloriam præparatur,ex Innocentio, Durando, & Quarto hic.

19 *Quàre autèm ritu nostro ad Crucem exprimendam manum extensam hic, at super oblata tres dumtaxat digitos adhibemus,suo loco dicetur.

20 m *Secretò dicat,in nomine Patris* † &c. *Triplex signum Crucis,in Missali extat hoc loco. Fortas-

tasse ter olim (leuis tamèn coniectura) se nostri signabant, quem antiquis morem fuisse scribit Seuerus Alexan. *de Ord. oblationis*.

21 * Ly *secretò*, quod deest in antiquo Ordinario, extat etiam in rubrica Missalis Xauierre. Ex statuto autem generalis Capituli in Missalibus nouissimis post rubricas communes edito, iubemur, non amplius secretò, sed alta voce, iuxtà Ritum Romanum, dicere *in nomine Patris &c.* Quod idem, ex antiqua dispositione facere immediatè ante introitum, (quicquid gratis interpretentur nonnulli) debemus.

22 Omnia quidem à Crucis signo auspicari sẽper Christianis solemne fuit; sed aggredientes grande opus à Crucis illo indistinctum speciali titulo, cùm Sanctissimæ Trinitatis inuocatione, illud decet præmittere, & quidem alta voce, manifeste gloriantes in Cruce Domini nostri IESV Christi, à qua nostræ salutis exordium, progressum, ac futuram consũmationem agnoscimus: ob quam generalitèr rationem Crucibus in Missa (precipue Carmelitarum,) omnia plena sunt.

23 Non omitto hoc loco aduertere cùm Castaldo *loc. cit. c. 2.* Bauld. & Tonellio *in hanc rub.* quod si ante inchoatum *in nomine Patris &c.* Sanctissimum Sacramentum in Altari vicino eleuari contingat, tunc Sacerdos, flexis genibus, illud adoret, nec surgat, nisi post Calicis depositionem. Si verò iàm inceperit, *in nomine Patris &c.* tunc grauitèr prosequatur munus suum.

24 n *Clara voce, vt à propè circumstantibus audiri possit*. Subintellige, quæ sit grauis, ac decora, & ab omni affectatione, ac leuitate remota, vt aduertit Castal-

ſtaldus *loc.cit.*De hoc fuſius *tit.ſequenti.*

25 * Huiuſmodi rubricam (cuius declaratoria verba *vt à propè circumſtantibus &c.* addita ſunt in Miſſali Rodulfij,ac demùm de Marinis) explicat altera ſpecialis infrà,his verbis : *clara , & intelligibili voce a celebrante dicuntur; Kyrie eleiſon; Gloria in excelſis & c.alia autem dicuntur ſecretò,ita vt Sacerdos tantummodò audiat ſeipſum. Excepta Confeſſione in principio orate Fratres,& Euangelio in fine,quæ neque ſecretò, neque clara voce , ſed mediocri(hoc eſt,quantum à ſtantibus propè poſſit audiri,) & quaſi ſubmiſſa dicuntur .*

26 Neque hæc vacant myſterio, quandoquidem Chriſtus Dominus , cuius Sacerdos gerit in Altari Perſonam,nunc alta,nunc ſubmiſſa voce,nunc ſecreto,in Horto,& in Cruce orauit .

27 * Si verò,quoad Confeſſionem voce ſubmiſſa,vt à propè circumſtantibus dumtaxat audiri poſſit, faciendam,congruentiam myſticam aſſignare eſt,fortaſſe eſſe poteſt ex Chriſti verbis Matth.11. *confiteor tibi Pater Domine Cæli, & terræ , quia abſcondiſti hæc à Sapientibus,& reuelaſti ea paruulis:* ſicuti *orate Fratres,* refertur ad verba Chriſti ad Apoſtolos dumtaxat habita *orate &c.*Et Euangelio in fine illa poſſunt aptari: *multi ſunt vocati, pauci verò electi* ;qui nempè in fine vitam ęternam poſſidebunt .

28 o *Incipiat,confitemini Domino, quoniam bonus &c.* * Ne miretur quis Pſalmum,*iudica me Deus* , cũ ſua Antiphona nos omittere,qui Ritus S.R.E. lege, aut vniuerſali conſuetudine firmatos dumtaxat ab initio excepimus,ac poſtmodum retinuimus.Huiuſmodi enim pſalmi recitatio arbitraria olim erat;vti probat Bona *l.2.rerum Liturg.c.2.num.3.* vbi cùm plurima

de

de hac re congesserit, sic concludit. *Ex his benè perpensis intelligimus, ante annos ferè octingentos, quo tempore scriptus fuisse videtur Codex Chisius, hunc psalmum cùm sua Antiphona ante Missam recitari consueuisse, eum tamèn ritum nec vbiquè receptum, & quandoquè mutatum, donec Pius V. in postrema Missalis recognitione ab omnibus, qui Romanis ritibus vtuntur, eum Confessioni præmitti præcepit.* Hæc ille. Et verè Sacrorum Rituum peritissimus Paris Crassus, qui vixit circà annum 1540. *in M.SS. Carem. sum. Pontificis c.*65. arbitrarium suo tempore fuisse ait hunc psalmum dicere, vel omittere; vt falli indè appareat, qui illum Cęlestino Papę, qui alijs Rom. Pontificibus adscribunt.

29 * Qui autèm iuxtà dicta *tit. anteced. litt. D. nu.* 135. de rubrica præcipiente Sacerdotem ad Altare, *Deum gemitibus exorando*, pergere, hunc psalmum tunc recitat, ritum antiquissimum implet, expressum in Micrologo *cap.* 23. atquè in Missali vetusto Bibliothecę Vat. apud Bonam *loc. cit.*

30 * Noster verò Ritus ad Confessionem peragendam, si paucula excipias, expresè extat in Missa, cui S. Gregorij nomen tributum est, edita Parisijs studio Ioannis à S. Andrea, cùm interpretatione Gręca Codini. Sacerdos enim sic incipit: *Confitemini Domino, quoniam bonus*; & respondet minister: *quoniam in sæculum misericordia eius*. Deindè Sacerdos dicit: *Confiteor Deo, & Beatę Mariæ, & omnibus vobis Fratres, quia peccaui nimis verbo, opere, cogitatione, & omissione; ideò precor vos, vt oretis pro me.* Tunc respondent qui adsunt per Ministrum: *misereatur tui Omnipotens Deus, & tribuat tibi remissionem peccatorum tuorum, & liberet te ab omni malo, saluet, & confirmet in omni opere bono,*

bono, & perducat te ad vitam æternam. Deindè precatur Sacerdos: *absolutionē, & remissionem omnium peccatorū tribuat vobis omnipotens Dominus.* Sequitur: *adiutorium nostrum in nomine Domini &c.* & oratio: *aufer à nobis, Domine &c.* Hæc ex Card. Bona *l.2. rer. Litur. cap.2. nu. VII.* qui ibidem à nu. IV. vsquè ad VIII. ritus varios antiquos Confessionem peragendi adducit; de quo *litt. sequent.*

31 Quod attinet ad versiculum psalmi, *confitemini Domino &c.* sanè rei, quæ agitur, ad litteram congruit: & ipsummet Confessioni præmissum habet etiā Missale Ecclesiæ Sarisburiensis in Anglia; nec non Missale Augustanum ab Othone Cardinali Episcopo editum: habet & Ecclesia Lugdunensis, post verba, (quæ Cartusiensibus vsui sunt) *pone Domine custodiam ori meo:* habent tandem Carmelitæ; habent & Ambrosiani, quorum ritus à Romano in Confessione peragenda differentiā exponens Septala Episcopus Dertonæ *lib. myst. Missæ cap.12.* ait, à Græcis Sanctis Patribus dimanasse.

32 Mystica ne omittamus. Quinque psalmi à versu *confitemini Domino, quoniam bonus* exordium habent, quorum quisquè piæ meditationis argumenta suppeteret: sed, breuitatis ergò, illud dumtaxat recolamus *2. Paral.5. & 6.* vbi dicitur, quòd cùm Sacerdotes in Templi Salomonis dedicatione cæpissent dicere: *cōfitemini Domino, quoniam bonus &c.* vt aduertit Durandus *l.4. cap.7.* nebula impleuit Domum Domini, & obumbrauit facies Sacerdotum; & Salomon ait: *Dominus pollicitus est, vt habitaret in caligine.* In caligine humanitatem agnosce à Dei Verbo assumptam, de quo scriptum est psal.17. *posuit tenebras lati-*

 bulum

bulum suum; & alibi *inclinauit Cælos, & descēdit, & caligo sub pedibus eius*: nec non Isaias cap. 60. *ecce tenebræ operient terram, & caligo populos; super te autem orietur Dominus.* Fauet D. Thomas opusc. 58. cap. 21. *dictum est*, inquiens, *de Virgine Maria: virtus Altissimi obumbrabit tibi; vmbram faciet tibi. Vmbra enim fit de corpore, & lumine; lumen est Verbum Dei, Corpus caro Christi; accessit lumen corpori, idest Verbum carni.* Cum ergo *Missæ officium tàm prouida sit ordinatione dispositum, vt tàm verbis, quàm signis ea repræsentet, quæ per Christum, & in Christum, ex quo de Cælo descendit, vsquè dum in Cælum ascendit, gesta sunt*, vt inquit Durandus l. 4. c. 1. ordine sanè congruo, à Christi incarnationis mysterio Missam nos ipsam auspicamur. Ad quod etiam conferunt dicta de egressu Sacerdotis è Sacristia, ac de descensu Sacerdotis infrà supremum gradum Altaris, per quę ad memorandum egressum Filij Dei è Cęlo, atque in inferiora terræ descensum, mens statim pertrahitur; secundum quod legitur ad Ephes. 4. *quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primùm in inferiores partes terræ?* Confert etiam, quæ manibus iunctis immediatè post *confitemini &c.* exhibetur profunda corporis inclinatio, significans, ex Durando, Gau. & alijs, quod Christus Dominus *exinaniuit* (vt ait Apost. Phil. 2.) *semetipsum formam serui accipiens.* Confert tandem, quæ tunc emittitur peccatorum generalis confessio; quoniam in similitudinem carnis peccati Saluator aduenit, vt qui peccatum proprium non habebat, omnium in se peccata assumens, mortem deniquè pro omnibus patiens, Patri satisfaceret, ex Titelmano, & Quarto hic.

33 p *Dicat Confiteor &c.* Magister Dominicus Sotus

Sotus 4.*sent.dist.*13.*q.*2.*ar.*4.qui scripsit circà annum 1500.exprobrat, vulgares Sacerdotes sui temporis sexcentas orationes hoc loco congerere.*At vero* (inquit ille)*in Ordine nostro,vbi (quod citrà aliorum noxā dixerim) summa datur opera, vt Ordinarium in sua semper maneat sinceritate,& breuitate,nequè fiant adiectiones,nullus recitatur Psalmus, sed breuissima fit confessio, qualis illi mysterio congruit.* Et sanè,quæ alibi desiderabantur sinceritas in Ritibus, atquè vniformitas, amplum laudis argumentum Ordini nostro olim fecerunt,antequàm scilicèt B. Pius V. & respectiuè Clemens VIII. ac tandem Vrbanus VIII. omnium Ecclesiarum solicitudine ducti Missale Romanum summæ suæ redderent perfectioni,ac certos optimos terminos precibus dicendis præfigerent.

34 Certa enim, ac statuta Confessionem peragēdi formula anteà nō habebatur, quicquid dicant moderni plerique,eam, qua nunc vtitur Romana Ecclesia,Pontianum Papam, siuè Damasum instituisse, tacètibus priscis scriptoribus, affirmantes;quos proindè confutat Card.Bona *l.*2.*c.*2.*nu.V.* cùm tamen non dubitet, quin aliqua formula generalis Confessionis antiquissima sit,& Apostolicæ traditionis: nàm & Liturgiæ Iacobi,ac Marci, cęteręquè antiquissimæ à peccatorum accusatione incipiunt. Eam verò,quæ nunc in Missali B.Pij V.statuta est in multis Miss.antè annum 1300.se legisse testatur *ibidem nu.VII.*

35 Quæ autem, & quàm variæ huiusmodi formulę olim fuerint fusim refert Bona *loc. cit. nu.*V. *& infra per totum.* Nostræ simillima illa est, quam ponit Micrologus cap.23. Propterea Radulphus propositione 23.*huic Confessioni,* inquit, *concordant Prædica-*

tores, & dicant absolutionem, & remissionem &c. quæ verba ex Euangelio sumuntur; quodcunquè solueris &c. quorum remiseritis &c. A nobis vix discrepant Cartusiani, vix ab vtrisquè Carmelitæ. Sed in antiquioribus sistamus. In peruetustis consuetudinibus Monasterij Cluniacensis *lib.2.c.30.* apud virum eruditissimum Lucam Dacherium *tom.4. sui spicilegij* nostrę similior statuitur formula Confessionis, & nostra etiam breuior ea est, quæ pręscripta habebatur in Missali Romano Pauli III. auctoritate edito, nempè *confiteor Deo Omnipotenti, B. Mariæ semper Virgini, B. Petro, & omnibus Sanctis, & vobis Fratres, quia peccaui, mea culpa; Precor vos orare pro me.*

36 * Nostra itaquè confessionis formula, & si breuior, mysterijs infra allegandis non minus congruit, vt ait Sotus *loc. cit.* vti non minus congruebant antiquæ formulæ præcitatæ, quarum illa, quæ D. Gregorio tribuitur, à nostris Patribus excepta videtur; cùm maximè aliqua, in quibus nostra ab illa differt, addita postmodum fuerint. Nàm in Capitulo generali Romæ habito anno 1629. ordinatum est, ad nomen *Mariæ* addi, iuxtà ritum Rom. *semper Virgini*; & item (vt alia Capitula omittam) Romæ 1644. statutū fuit, *B. Dominico* addi, *Patri nostro*; quæ ideò additiones desunt in Missali Xauierre. De cætero Sanctos hic nominare non licet, pluribus etiam generalibus cap. & signantèr Salmantino 1551. ne quid in Missa siue solemni, siuè priuata, quod in Ordinario notatum non est, misceatur, districtè inhibentibus, de quo iterum sermo erit. Prouinciæ dumtaxat Prouinciæ concessum fuit Romæ 1601. post B. Dominicum, subdi, & B. Marię Magdalenę.

37 No-

37 * Nolo hìc omittere in nostro *Confiteor*, iuxtà formulam Gręgorianæ præcitatæ Missæ, etiam de omissione fieri expressè mentionem (quam & faciunt Ambrosiani, Cartusienses, ac Carmelitæ) quia peccata omissionis faciliùs aut negligentes, aut nescientes; quasi precamur cùm Dauide: *& ab alienis parce seruo tuo.* Pręterea sicuti transgressio formalitèr accepta est speciale peccatum, ita credimus & esse omissioné. Consultò ergò, & sanè ad maiorem expressionem huiusmodi fit à nobis additio.

38 Veniamus ad mystica. Per huiusmodi Confessionem Incarnationis indicari mysterium, habes dictum litt. O. num. 32. Alij de ordine vitæ Christi non nimis soliciti Confessionem aiunt figurari, quam Christus Dominus, priusquàm se ipsum Deo Patri in Sacrificium offerret, pro peccatoribus fecit Matth. 11. *Confiteor tibi Pater &c.* Porrecta verò *loc. cit.* iuxtà à se prædicta, Christi Circumcisionem meditãdam hoc loco anteponit, per quam qui peccatum nec habuit, nec potuit habere, cùm peccatoribus voluit ex humilitate numerari.

39 Congruit aliàs hæc generalis Confessio, quia iuxtà illud Prou. 18. *iustus* (iàm per Sacramentalem priuatam confessionem iustificatus) *in initio sermonis accusator est sui*; vt & à peccatis venialibus oblitis, vel neglectis (vti loquitur *hic* Sotus) emundetur: mediante tamen actu interno pęnitentiæ, quam excitant huiusmodi Sacramentalia, vt docet tutior sententia cùm Petro de Soto *lect. 11. de pænit.* Quam emundationem requiri in eo, qui ad hoc Sacramentum accedit, & eandem significari per confessionem ante introitum Missæ, docet D. Thomas *hic ar. 5. ad 1.*

H 3 40 *Pe-*

40 q *Pectus non tundat ad mea culpa.* * Sic etiã expresè iubet Cęrem. Carmelitarum *hic*. De eo, quod fit, non de eo, quod non fit, rationem reddere ad rem nostram est. Verùm, cùm hęc rubrica huius actus omissioné præscribens, mysterij inditium det, dicam ideò, quod sicuti Ritu Romano, exemplo Publicani Lucæ 18. pectus percutitur; ità Ritu nostro instar Filij Prodigi Lucæ 15. continuatur manuum iunctio, quæ nos prostratos, atque humiliatos coràm Deo ostendit quasi dicentes: *peccaui in Cælum, & coràm te; iam non sum dignus vocari Filius tuus*. Insuper cùm Matth. 22. reproborum manus ligari scriptum sit, de peccatis se accusans iunctas adhuc manus tenet Sacerdos, quasi supplex dicat: *Domine ne manus meas ligari*, vti mea culpa exposcit, *præcipias, vt mittas in tenebras extreriores, quoniam ecce ego iam eas ligaui:* ità manuum coniunctionem in Missa exponit Nicolaus Rom. Pontifex apud Baronium anno 58. nu. 3. Secundum generales huiusmodi considerationes dici fortè potest, rubricam infrà præcipere, à Crucis signo abstinere ad, *absolutionem & remissionem &c.* non proponere signum Crucis ad *adiutorium nostrum &c.* nec alibi aperire, ac claudere manus, atquè eleuare oculos, & huiusmodi, vti (optimè quidem) à Missali Rom. præscribitur.

41 r *Minister subdat: confiteor Deo &c.* Sacerdote continuò inclinante se. Gerit minister Personam omnium Missę adstantium, immò totius Populi Catholici, vt docet D. Th. *hic ar. 5. ad 12.* (ideòquè, & si vnicus sit, pluralitèr eum Sacerdos alloquitur, vt idem ibidem affirmat.) Meritò ergò & ipse præmittit Confessionem, si reminiscamur, *quòd in hoc Sacramento*

mento(vt inquit D.Th.hic ar.4.ad 5.) *& maior deuotio requiritur, quàm in alijs Sacramentis (propter hoc, quòd in hoc Sacramento totus Christus continetur) & etiam communior, quia in hoc Sacramento requiritur deuotio totius Populi, pro quo Sacrificium offertur, & non solùm percipientium Sacramentum, sicut in alijs Sacramentis:* dixerat autem *in resp.ad* 3. quod hoc est Sacramentũ totius Ecclesiasticæ vnitatis.

42 Cùm prætereà minister & ipse sit quodammodo offerens in Missa, & communicet saltèm spiritualiter, vt suo loco explicabitur, quidni & ipse sese per huiusmodi Confessionem disponat?

43 Stet verò genuflexus in plano Cappellæ, nonsuper gradũ Altaris, & hoc sẽp, quãtũ per sui ministerij exercitium licèt, *ne fiat*, vt alibi dixi, *sicut Populus sic Sacerdos*. Caput autèm *ad tibi Pater*, vel *te Pater*, versus Sacerdotem minimè inclinet, sicut nec Sacerdos versus Ministrum, cùm dicit, & *vobis Fratres*, & *vos Fratres*, vt aduertunt in simili rubrica Rom. Missalis explanatores.

44 ¶ *Dicat adiutorium nostrum in nomine Domini*:* sicquè breuitate, quæ & mysterio sat est, & in toto Diuino officio Ordini nostro indulgetur, generalem Confessionem persoluimus, omnia de cætero præsumentes de eo, vt aiebat Apostolus, qui nos confortat, dicendo, *adiutorium nostrum in nomine Domini*. *Nec enim*(vt dicitur act.4.) *aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat* (necessitas quædam indicatur) *nos saluos fieri*. Cui consonat illud Psalmi 24. *propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo; multum est enim*: nec non Psalmi 22. *deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum*. Accedit, quod No-

 mini

mini Dei ſpeciali nos titulo addicimur ; nàm Sacer noſter Ordo Nominis Dei , ſeù IESV Societatem inſtituit, ac fundauit ; ipſamquè à Sede Apoſtolica confirmatam, Iudulgentijs ditatam , per totum penè Orbem propagatam eſſe noſtræ Regilionis patrimonium conteſtantur plurima Summorum Pontificum diplomata . Quidni ergò in eo lætetur cor noſtrum,& in Nomine Sancto eius ſperemus ?

DE

De Introitu.

TITVLVS VII.

RVBRICA.

Sicquè ad Altare a *procedat. Inclinans* b *profundè, iunctis manibus,* c *dicat:* aufer à nobis Domine &c. *Ad* per d Christum, *signum Crucis super Altare formans, illud exosculetur, extensis* e *hinc, & indè manibus, ac super Altare positis. Dein erectus ante Altaris medium, & signans se à fronte ad pectus, dicat* f *tali voce, vt à circumstantibus audiri possit;* in nomine Patris &c. *Postmodum,* g *iunctis manibus, ad librum in cornu Epistolæ accedat,* h *Introitum incipiat eadem voce. Ad* i Gloria Patri &c. *aliquantulum capite versus medium Altaris inclinato, reuerentiam exhibeat. Deindè* l *repetat introitũ vsquè ad vers. exclusiuè.*

NO-

NOTÆ.

45 *a* SIcquè ad Altare procedat, * Cęremoniale Ciantes hoc loco sic habet: *pergat ad Altare dicendo orationem; aufer à nobis &c.* Et quidem hoc videntur insinuare verba, quibus petimus, vt ad Sancta Sanctorum mereamur introire. Ritus ideò Rom. in progrediendo ad Altare huiusmodi orationem iubet dici, eam ità disponendo, vt compleatur, cùm ad medium Altaris Sacerdos peruenit, vbi alteram incipit, quam nos caremus: Carmelitæ complent antequam ascendant Altare. Nihilominus ex rubrica nostri Missalis nouiss. expendendum propono, primò dici *sicque ad Altare procedat*, & puncto interposito, subdi *aufer à nobis inclinans profundè dicat;* quam disiunctionem accessus ad Altare ab inclinatione profunda, & recitatione orationis, facit etiam rubrica Missalis Xauierre per duo verba, *procedat, & dicat;* nisi ergo dicere velimus, esse simul ambulandum, ac profundè inclinandum, quod ridiculum saperet, videtur manifestè rubrica velle, hanc dici orationem, cùm iam ventum est ad Altare. Sed à Fonte genuinú Rubricæ sensum hauriamus, idest ab antiquo Ordinario, vbi *de ingressu Ministrorum ad Altare,* sic dicitur: *Confessione facta, & absolutione, se erigant, & dicat Sacerdos,* adiutorium nostrum. *Et appropians ad Altare inclinatus non ex transuerso, sed in directum versus medium Altaris dicat orationem,* aufer. *Qua dicta accedens ad Altare osculetur illud.* Nota vltima verba, *qua dicta accedens,* quę supponunt, non omninò accessisse. Dicerem itaquè (legiti-

gitimo semper saluo iudicio,) hanc orationem ritu nostro incipiendam, ac perficiendam quidem esse, postquam Sacerdos iàm ascendit supremum gradum Altaris, sed in aliqua distantia ab Altari ipso, nempè circa medium supremi gradus, ita vt profundè inclinatus paululum accedens Altari osculum queat imprimere: Sicquè litteralitèr etiam verificantur verba, *vt ad Sancta Sanctorum mereamur introire*; cùm tamèn appositè referri & possint ad sensum Introitus, de quo infrà.

46 Rubricæ verbis *sicquè ad Altare procedat*, se magis conformare existimant, errant tamen, nonnulli, qui in dicendo, *adiutorium nostrum*, ad Altare procedunt. Errant, inquam, ob verba rubricæ etiam Ordinarij *loco mox citato*, quæ, puncto interposito, antecedunt, *se erigat, & dicat* adiutorium nostrum. *Et appropians ad Altare &c.*

47 b *Inclinans profundè*, pedibus firmis, & in situ æquali, altero pede minimè retrocedente, vt exponit, post Ruiz, & Bonamicum, Quartus *p.1.tit.27. dub.6.* Totum autèm fere corpus inclinetur, seù curuetur vsquè ad cincturam, reliqua parte immota permanente, ex Quarto *ibidem*. * His consonare videntur etiam Missalia nostra præsertim antiqua, atquè Ordinarium ipsum, quæ profundis inclinationibus Altaris regularitèr addunt, *genibus non flexis*, vel *genibus non curuatis*. Recole dicta *tit. antec.* & hinc magis intelligas, quod, quicquid sit de glossa ibi ex Ciantes allegata Constitutionum, (non enim illa habentur in textu,) & quicquid sit de inclinationibus profundis extrà Altare, illæ quæ Sacerdoti sactum facienti proponuntur, ità fieri debent, vt genua non curuentur; si

autem

autem flent, non flexis vllo modo poplitibus, sed rectis existentibus, erit quidem inclinatio paululum demissior, quàm vt caput sit per directum ad genua oppositum, sed non profunda, quantum cubitus genibus inhæreat; quæ citrà indecentiam vix posse præstari videtur; cùm & oblata omninò tunc populo paterent, ac celebrantis intuitu in totum destituerentur.

48 c *Dicat, aufer à nobis Domine cunctas &c.** Ly *cunctas*, deletum in recognitis, in antiquis aderat Missalibus Rom. teste Castaldo *loc. cit. c. 3. nu. 1.* Eadem de cætero extat in Missali Romano, & non solum in Ord. Rom vt inquit Gauantus *hic*, sed & in vetustissimis Missalibus, ex Bona *l. 2. c. 2.* Extat etiam paulò diuersa apud Micrologum *c. 23.* dicenda, quando se Sacerdos parat ad Missam.

49 * Habetur etiam huiusmodi oratio in Missa, quæ Gregorianæ sibi nomen adsciscit, vnica post *adiutorium nostrum*, & inmediatè ante Introitum dicenda, vti ritu nostro fit, sicut patet ex deductis *tit. anteced. litt. I. nu.* 1130.

50 d *Ad* per Christum, *signum Crucis super Altare formans illud exosculetur.** Ciantes hic, *finita*, ait, *oratione aufer, exosculetur altare*. Sic & legitur in Ordinario, *qua dicta, accedens ad Altare osculetur illud*. In rubrica verò Missalis etiam Xauierre nota extans ante ly *per Christum* insinuare, atquè explicare videtur, tunc, & non postmodum Crucem, & osculum formanda esse.

51 Quod si ex mysterio hoc euenit, fortasse esse potest, vt actio verbis respondeat: cùm, sicut per Altare Christus Sponsus, ità per osculum desiderium, atquè

atquè amor præcedens Ecclesiæ Sponsæ expletus significetur, secundum illud cant. 1. *osculetur me osculo oris sui*. Ad hoc enim exprimendum Sacerdotem ad Altare accedentem illud osculari docet post Innocentium Sotus *hic*.

52 Hinc consequentèr deducitur osculum figēdum esse super lapidem consecratum, qui altare portatile, seù viaticum appellatur, quando tota Mensa consecratione insignita non est, ex Cærem. Carmel. quod in reliquis Altaris osculis seruandum est.

83 Caueat itèm, ne osculetur à latere Altaris, ferè similis Iudæ, vt inquit Gauantus *hic*, sed in medio insinuans, quod Christus Dei mediator, & hominum, vnam sibi, ex Iudeis, & Gentilibus per Altaris latera significatis, congregauit Ecclesiam. Merito ergò in Missali nouissimo pro Defunctis edito sub Generali de Roccaberti expressum est: *osculetur Altare signando illud pollice in medio*; Pollice scilicèt dexteræ extēsæ, & protensæ in parte anteriori Altaris, sinistra manu paritèr extensa, Altari extrà Corporale innixa, vt habetur in simili apud Romani Missalis commentatores:

54 * Crucis signum osculo præponendum ex rubrica Missalis etiam Xauierre, non memorat antiquum Ordinarium. In altera emendatione Missalis Rom. generalitèr vetitum est, vt refert Castaldus *c.* 5. *nu.* 12. Illius vsum retinuit etiam Ritus Ambrosianus, atquè eiusdem meminit Durandus *Rat. lib.* 4. *cap.* 39. & non superfluere ait, *tùm quia non ratione ipsius loci, sed ratione operis in loco ipso faciendi, fit. tùm quia, quantumcumque Altaris Mensa fuerit consecrata, nescitur tamen, quid in loco ipso maligno spiritui permittatur*

tatur à Deo. Prima quidem congruentiæ ratio valdè placet, cùm signo illo Crucis veluti indicet Sacerdos, per Crucem executione vltimam, sed intentione primam, Christi, & Ecclesiæ connubium perficiendum; vt indè etiam intelligas, quod *fasciculus myrræ* nunquàm defuit sponsæ, *neque inuenitur Nazarenus* per osculum, *sine Crucifixo* per Crucem designatus, vt appositè noster Hugo *in c. 16. Marci*.

55 * Ter verò dumtaxat nos, ac Carmelitæ Altare exosculamur, quia generalitèr, vt ait Durandus *loc. cit.* omnia in Fide Trinitatis agenda sunt, in cuius honorem peculiari ratione sacrificium hoc tèdit. Est enim osculum signum etiam reuerentiæ, vndè Esther apicem virgæ Regis osculabatur. Cùr verò ritu nostro Crux non præmittatur secundo, & tertio osculo, vti primo; & cur secundum imprimatur ad dexteram partem Altaris, non in medio, vti primum, & tertium, dicetur suo loco.

56 *e Manibus hinc indè extensis, ac super Altare positis*. Huiusmodi manuum extensio, ac positio per totius Missæ decursum, etiam in genuflexionibus, debet fieri in æquali hinc indè distantia, extrà Corporale ante consecrationē (si commodè fieri potest,) intrà Corporale post consecrationem; ità cùm alijs in simili Ritus Rom. Castaldus *c. 5. n. 9.*

57 Indicatur per hac pax à Christo vtriquè populo in vtroquè Altaris latere significato, nunciata, ex Eduens. *cap. 12.* per quam fecit vtraquè vnum, ex Scortia *l. 3. c. 12.* Vicarium ideò amorem in osculo docemur rependere, sed & operibus per manus significatis comprobare; nam, vt Gregorius monet; *probatio dilectionis exhibitio est operis*, & Augustinus, *si renuit*

nuit operari, amor non est.

58 f *Dicat tali voce, vt à circumstantibus audiri possit.* * Confessio, ex dictis, tali voce peragi debet, vt à propè circumstantibus possit audiri, sed ad Introitum rubrica nouissimi Missalis explicat, vocem ità eleuandam esse, vt à circumstantibus absolutè audiatur. In Capitulo verò generali Salmanticæ 1551. iussi sumus, tali voce, & hic distincta vti, quòd nedùm audiri, sed etiam intelligi possimus à Populo circumstante. Insuper in Capitulo Valentię anno 1596. cautum nobis est, vt Missam recitemus non celeritèr valdè, aut morosè nimis, sicut nec altè nimis, nec nimis submissè, sed voce mediocri, & deuota, quæ scilicèt ne dum audiri possit, atquè intelligi, sed etiam, quæ deuotionem conciliet & sibi, & Populo, nec non ad meditanda, quę insunt mysteria, alliciat vtrumquè.

59 Non itaquè nimis submisse, sed nec toto vocis conatu Missa recitanda est, cùm hoc sit à deuotione alienum, nec Deus vocis clamore flectatur, in mẽtis potiùs intentione efficacia consistente orationis, iuxtà illud psalmi: *exaudiuit Dominus vocem fletus mei.*

60 Huiusmodi vocis mediocritas regularitèr, quoad magis, & minus, ex Populo circumstante pensanda est. Humilior verò vox adhibenda, quando, Sacerdotibus alijs in eadem Ecclesia sacrum facientibus, periculum adest (quod sanè adest, si Ecclesia angusta sit, aut si in loco proximo fiat Missa,) ne tùm celebrantis Sacerdotis, tùm circumstantis populi distrahatur attentio, vt aduertit antiquum Ordinarium *lib. 2. tit. de Missis priuatis.* Quo casu minùs dignus Sacerdos humiliori tono verba proferre debet, si alter eo superior Missam aggreditur, ex Castaldo *lib. 2. c. 2. n. 4.*

2.*nu.*4.Cui ſubſcribentes Gau.Bauld.& Tonell. *in banc.rub.* addunt, quod,quando ſunt æquales,cedat qui in minori Altari, ei qui in maiori ſacrum facit.

61 Inſuper moroſitas quidem indiſcreta,quæ tędium potiùs aliquibus rationabiliter creat, fugienda eſt,ex Cap.mox cit. Valentię,quantum per grauitatē rei,quæ agitur,licet; ſed nimia celeritas omnino eliminanda,breuē morulā in legendo,præcipuè ad puncta,& commata interponendo. Affectationem de cætero,ac leuitatem euitet, in inceſſu, ſtatu,& in omnibus motibus nil penitus admittens,quod cuiuſquàm offendat aſpectum, ſed quod Diuiniſſimi operis deceat Sanctitatem.

62 Hæc ſane precepta aut negligunt,aut neſciūt quidam Diuini cultus abbreuiatores, (ſic eos appellat Sperellus *in ſua Liturgia*) *verius* dicam,& cùm Auguſtino dicam,*leues mimi,& histriones,quàm graues, & compoſiti Sacerdotes*. Illos alloquitur Auguſt. apud Quartum, & Sperellum *hic*,qui nulla habita ratione temporis, quo eſſent Cæremoniæ faciendę, & quo enunciandæ voces, in omnibus pręcipites ruunt, & habitum acquirentes in malum, ac de malo progredientes in peius,linguæ non caſtigatę defectu non rarò coadiuuante, Miſſam tandem, quoad ea præcipuè,quæ memoriter,aut regulariter dicuntur,ſeù fiūt, iàm amplius non peragunt, ſed confundunt. Siccine ſummum hoc totius Eccleſiaſticę Reipublicę operaris negotium, qui pro Chriſto legatione ad Deum fungeris? Siccine tremendum myſterium, quo ſanctius,aut diuinius tractari non poſſe neceſſariò fateris cùm Trid. *ſeſſ.*22. compoſitione, ac grauitate,in actionibus,in verbis defraudas, quam & rebus ſcenicis

cis exhiberes? Deum te illudere non aduertis, illudis tamen; nec audis clamantem Apostolum *ad Gal. 6. nolite errare: Deus non irridetur.* Breuitatem vsque ad vitium affectas, vt hominibus placeas, nec audis protestãté Apost. ad Gal. 1. *si adhùc hominibus placerẽ, seruus Dei non essem.* Fastidit animalis homo, quæ sũt spiritus Dei, tu autem faues, & foues? Vituperas, cõtra Apostoli monitum, ministerium tuum, fodis in terram, & talentum abscondis (ne dicam prostituis) concrediti tibi Euãgelici Sacerdotij. Sed væ, supremo tandem Domino, ac Iudici strictissimam redditurо rationem, quando insonabitur: *congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.*

63 Sed rem hanc cum Casistis conferamus. Quęrunt qualem culpam contineat nimia celeritas in celebratione Missæ? Resoluunt (omitto strictiores opiniones,) quod si celeritas tanta sit, vt omittantur, vel absorbeantur integra verba vsquè ad corruptionem sensus, seù verborum significationis, vel indè resultet grauis irreuerentia in sacrificium, & dedecus tanti ministerij, vel notabilis omissio, aut confusio sacrorũ Rituum, vel tandem graue scandalum Populi, lęthale peccatum committitur. Ecquis tàm breui temporis spatio Missam persoluens, vt vix horæ quadrantem consumat, hæc singula poterit euitare? Hoc sanè moralitèr impossibile existimo.

64 Cautum ergò nobis sit, & breuitate, quam ritus noster super alios retinet, contenti, de cætero exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros; cùm maximè arctiùs ad ea, quæ voce Religionis (cuius sacrificium est opus maximum) denotantur, nos adstringamur, qui peculiari religiosorũ nomine insignimur.

65 Prælati verò siuè sæculares, siue regulares, ad quos spectat, abusibus, qui in Missarum celebratione eueniunt, occurrere, ex Trid. *f. ss. 22.* se sciant peccare mortalitèr, ex communi Doctorum sententia, etiam in his, in quibus priuati Sacerdotes ratione paruitatis materiæ venialitèr tantum aliquando peccant, si corrigere negligant, quando periculum est (vt sanè non raròadest) ne praua consuetudo ponat radices, & paulatim vergat in detrimentum Diuini cultus. Facit ad hoc à fortiori, quod docent Theologi communitèr, quod licèt Religiosi, vel alij venialitèr peccent in frequenti transgressione suarum regularum, nihilominus Prælati, qui vident, & tolerant, seù transgressores non puniunt, mortalitèr peccant, quia id vergit in graue damnum communitatis, & totius Religionis. Ità Sotus, Bannes, Suarez, & alij communitèr, quos sequitur Quartus *p. 1. tit. 16. dub. 6.* Ex quo etiam *qq. proem. sect. 2. punct. 2.* insinuare non omitto; omnes rubricas Missalis pro ipso actu celebrationis Missæ esse præceptiuas, ideòquè obligare sub mortali ex genere suo, ratione autem paruitatis materiæ posse transgressionem esse peccatum veniale; cùm quo tamen stat, vt ipse cum communi affirmat *ibidem sect. 3. p. 1.* mortale incurri, si Sacerdos in eadem Missa sæpiùs quid leue omitteret, quia plures transgressiones leues complent materiam grauem, hoc est grauem Missæ mutilationem contrà præceptum integrè recitandi Missam, & consequenter grauem deformitatem, tunc ex vltima omissione pensandam.* Nequè quis objiciat, præceptum B. Pij V. Missali Rom. vtentibus impositum non nos obstringere, recolens consimile præceptum Clementis Papæ VIII. nostro Missali

sali non deesse allegatum *tit.2.prælim.n.49.*

66 g *Iunctis manibus.* Sotu *in 4.dist.13.q.2.ar.5, circà medium*, dolet varios irrepsisse abusus in manibus iungendis, & aperiendis in missa; ponens proindè regulam generalem ait, communem modum orandi esse clausis manibus, in humilitatis, atquè filialis timoris argumentum; apertis verò manibus orari, vbi peculiaritèr eleuatio mentis est significanda, quod fit in Missa, quotiescunquè Sacerdos proprio fungens munere Collectas, atquè alias orationes ad Deum dirigit. Regulam hanc ab eodem fusim dilucidatam *vide loco citato.* * Verùm Capitulum generale nouem, post Soti obitum, annis, hoc est anno 1569. Romæ celebratum, absurdum, de quo ille doluerat, sustulit è medio, per extensum in indiuiduo præscribẽs, quæ ego breuitati indulgens vnica propositione cõprehendam; quòd nempè manus iunctæ perpetuò teneantur in Missa, nisi aliud expressè rubrica præcipiat. En clausa aberrandi via, vt effugium iàm non habeant, qui manus inconsultò vagantes aliquando tenent. Ad rẽ animaduertere nõ prætereo ritus huiusmodi, qui consistunt in actionibus, ęquè cadere sub præcepto, ac qui consistunt in verbis, ex communi DD. sententia; sicquè nullius quantumuis minimi omissio est immunis à peccato veniali, & plures omissiones leues vsquè ad quantitatem notabilem mortale constituunt, iuxtà mox dicta.

67 h *Introitum incipiat.* * Quæcumquè Missa in nostro Missali prætitulatur *officium.* Sic introitum olim dictum patet ex *Amalario lib.3.de off.cap.5.* ex Durando hic, & Durando antiquiore Ioanne Beleth, qui *diuina officia* circà medietatem sæculi 12.

eruditissimè explicauit. Officium quidem appellatur totum id, quod à principio vsquè ad finem Missę fit, vel quia in Missa, si vnquàm, summoperè ergà Deum officiosè gerimus nos; vel ex D. Ambrosio, quia efficimus opus sanctum, ac diuinum antonomastice ob excellentiam nuncupatum, & sic officium, quasi efficium; seù tandem ex Isidoro, quia nemini officit, omnibus prodest. *Quandoquidem tamèn* (inquit ibi Beleth cap. 34.) *restrictiùs, & quasi specialius pars, quæ prima canitur, nimirum introitus, officium Missæ appellatur quæ sic dicta est, quod istùc mittatur Angelus.*

68 Hæc insuper prima Missæ pars (confessio propriè loquendo non est pars Missæ, vndè nec illius meminit D. Thom. vt notat Sotus hìc) ab introitu Sacerdotis ad Altare nomen introitus meruit habere, ex Micrologo *de obser. Ecclesiast. c. 1.* & alijs apud Menardum *in notis ad librum Sacram. D. Gregorij*; seù etiã moraliter dicitur introitus, quia Sacerdos iàm introit ad sancta, quod mentis puritate mereri mox petijt per orationem *aufer a nobis &c.* Antiphona prætitulatur in libro Sacramentorum, & verè sic est immò antiphonæ etiam nuncupabantur olim quæ hodie gradualia, Alleluia, offertoria, & communiones, etsi specialitèr id nomen sortiretur ipse introitus.

69 Antiphona autèm ex Greco interpretatur, reciproca vox, duobus scilicet choris alternatim cõcinentibus, quasi duo Seraphim, duo quoque testamẽta inuicem sibi conclamantia. Quem ritum in Ecclesia posteà Mediolanen. à D. Ambrosio, ac tandem in cunctis occiduis regionibus constitutum, Sigebertus *in Chron. an.* 388. apud Gręcos primo inductum tradit à S. Ignatio Antiocheno Episc. atquè Apostolo-

rum

rum Discipulo,ex quo per visionem in Cęlum raptus Angelos per antiphonarum reciprocationem hymnos Sanctissimæ Triadi canentes vidit,& audiuit.

70 An verò Missa olim initium duceret ab huiusmodi antiphonis,seù à psalmis,quibus antiphona solet præmitti, adhùc sub iudice lis est. A lectionibus inchoasse,(mos adhùc retentus in vigilijs Paschæ, & Pentecostes,)contendit cùm Alcuino Amalarius *l.3. off. cap.5.* donec Cælestinus I. Papa Psalmos Dauid CL.antiphonatim ante Sacrificium cani instituit, vti refert *in vita Cælestini* auctor libri Pontificalis *c.42.* Huic communi opinioni non acquiescit Thomas Vualden. quem citat,& sequitur Sotus, antiquiorem hunc ritum fuisse in Ecclesia ex eo probans, quod illius meminit Dionysius *cap.3. Eccl. Hier.* citatus à D.Thoma hìc,cui videtur suffragari S. Basilius *lib.de spiritu Sancto ad Amphilochium cap.27.* Hugo Menardus *loc.cit.*plura de hac re eruditissimè congerit,& deniquè conclusionem ponit, qua discordes quicumquè facillimè ad concordiam reuocantur:*quæ*,inquit, *cùm ità sint, dicendum est,priscis illis temporibus non fuisse vnum,eundemquè vsum; sed alios Missæ exordium duxisse à psalmodia,alios verò à lectionibus.*

71 Quod attinet ad Ecclesiam Romanam,Psalmodiæ vsum ad Missæ initium Cælestinum Papam seù transtulisse,seù auxisse, seù tandem firmasse,nemo inficiatur.Diuum paritèr Gregorium de Psalmis,qui prius canebantur,formasse, aut reformasse Introitus regulares,vti & Gradualia, Alleluia, Offertoria,& Communiones, atquè in vnum volumen omnes congessisse, quod aptè Antiphonarium ab antiphonis inscripsit,testatum reddunt tùm Codices M.SS. tùm il-

lum tanquàm germanum D. Gregorij fætum citantes diuinorum Officiorum explicatores Vualfridus Strabo, Berno Augienfis, Micrologus, alijquè communitèr apud Pamelium *in principio tom. 2. Ritualis SS. Patrum.*

72 Ad noſtra en venimus. Ex hoc Antiphonario D. Gregorij regularitèr eſſe Romani, ac noſtri Miſſalis, nec non Carruſiani, ac Carmelitani, Introitus, Reſponſoria, ſeù Gradualia, Alleluia, Offertoria, poſtcommuniones tùm de tempore, tùm de ſanctis, quorum feſtum tempore S. Gregorij Romana celebrabat Eccleſia, nemo inficiabitur, qui eadem cõferat dicto Antiphonario, quem notis hinc inde illuſtratum edidit Pamelius *cit. tom. 2. pag. mihi 54. vſquè ad 176.*

73 Huic ego labori non peperci, & facta in omnibus collatione noſtri Miſſalis, atquè antiquiſſimi Ordinarij tùm cùm Miſſali Rom. reformato, tùm cũ dicto Antiphonario S. Gregorij, plurima ex ſingulis in indiuiduo partibus ad ſcrutinium redactis congeſſeram; ſed opus hoc in molem augeri comperiens, paucis, ac, vt plurimùm, per propoſitiones generales, ſtatui me expedire, hoc vnum patefacere intendens Miſſale noſtrum etiam quoad materiam antiquitatis prærogatiuam, atquè a S. R. E. originem iactare.

74 Conferens in primis moderna, & antiqua Miſſalia Ordinis cùm antiquiſſimo noſtro Ordinario, quicquid quoad materiam in hoc legi, illis non deeſſe comperij, ſi ordinem epiſtolarum, atquè Euangeliorum excipias, ſub Clemente VIII. immutatum, vt ſuo loco dicetur. Hoc ſuppoſito.

75 Quod ad præſens attinet, Introitus de tempore

pore

pore nostri Ordinarij, ac consequenter Missalis, singuli in dicto Gregorij Magni Antiphonario apud Pamelium leguntur, nec ordine, quo inibi extant, prætermisso. Vnicum, quoad ordinem, excipio, Vigiliç Epiphaniç, qui in Antiphonario est, *Dominus dixit ad me*, idem in eo propositus pro prima missa Natiuitatis Domini, in Ordinario autem est *Lux fulgebit*, idem pro Missa in primo mane ipsius Natiuitatis in Antiphonario existens. Introitus etiam de sanctis vix differunt, si quoad ordinem quatuor, aut quinque excipias, & illud attendas, quod de nonnullis Missis, quarum introitus à nostris differunt, notat Pamelius, eas nempe, & si Antiphonario insertas, non esse D. Gregorij, nec extare in vetustissimo M.SS. Codice Blandiniensi. Dixi, *quoad ordinem*, quia licet aliqua varietas in ordine, ex varietate fortasse exemplariũ, inter nostrum Ordinarium, & dictum Antiphonarium intercedat, quç etiam maior, & minor respectiue (de quo suis locis) est in versiculis, in Responsorijs, Alleluia, Tractibus, Offertorijs, & postcommunionibus, in re tamen vix discrimen aliquod inuenies. Dictum hoc valet ne dũm pro nostro Missali, sed & pro Missali Rom. nec non pro Missali Carthusiensium, ac Carmelitarum; quibus à me collatis, & inter se, & cũ dicto Antiphonario in ordine paucissimam, in re nullam, aut penè nullam varietatem inueni, vt tandẽ magis intellexerim omnes huiusmodi ritus quoad materiam D. Gregorium institutorem, seù reformatorem habuisse.

76 Redeamus ad Introitum. Missale Rom. ad vetus SS. Patrum institutum à B. Pio V. reuocatum discordat à nostro, nec non à dicto Antiphonario in

triplici introitu, primus est Dominicę Quartæ Aduētus (quod tamē officium recentius D. Gregorio prodit Amalarius *l.3.cap.*40.) secundus Vigiliæ Epiphaniç (quem tamen pro Dominica in Natali Domini in Antiphonario propositum etiam hac die legi debere docet Micrologus c.37.) & tertius est Vigiliæ Ascensionis (quem item legi debere affirmat idem Micrologus cap.40.& 75.) Et sanè vti nemo ambigit supremum rerum Ecclesiasticarum arbitrum Rom. Pontificem potuisse huiusmodi antiphonarum, nedum ordinem, sed & rem immutare, ità ambigendum non est, eximios viros, Ordinis nostri præclar lumina, quorum opera B.Pius in reformatione Missalis Rom. vsus est, emēdatiores, etiā Gregorianos codices ad manus habuisse; ideoque Missale Rom. cæteris in hac etiam re præstare.

77 In Missis quidem de sanctis, quoad introitus, nostrum Missale magis discrepat à Romano, & vtrūque ab Antiphonario, sed in ordine est discrepantia potiùs, quàm in re. Quæ aliqualis, pauca tamen, varietas maior est in versiculis, quàm in Antiphonis tàm de tempore, quàm de sanctis, ex eo vt plurimum proueniens, quod generalis regula, vt ex psalmo aliquo semper sit versiculus, in Antiphonario, & Romano Missali (in Cartusiano etiam, ac Carmelitano saltèm reformatis) seruata, admisit, etsi rarissimè, in nostro Missali exceptionē, cùm nonnulli ex sacra scriptura antiphonæ conformi continuò desumpti sint.

78 Cum Carmelitano tandem Missali quoad Introitus de tempore omninò nostrum conuenit, vix discrepat à Cartusiano. Paucula quædam diuersitas, quā ferunt Introitus de sanctis, est in ordine, & quæ in ver-

verſiculis, eſt ob rationem attactam.

79 Veniamus ad myſtica. *Introitus dicitur* (inquit B. Albertus Magnus in ſuo tractatu de Miſſa hic) *non tam ab introitu celebrationis, quæ in hoc cantu inchoatur, quàm ab introitu ſalutis æternæ gratiæ, cuius initium clamore SS. Patrum commemoratur, & repræſentatur* (quod litteralitèr etiam fit in Miſſis aduentus, Ad te leuaui &c. Rorate Cęli deſuper &c.) *Vndè ad Hebr.* 10 *habentes itaquè fratres fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, ideſt carnem ſuam; & Sacerdotem Magnum ſuper domum Dei, accedamus cum vero corde, & plenitudine Fidei &c.* Et quidem per antiphonā ad Introitum vaticinia Prophetarum, & SS. Patrum deſideria, cùm præconijs Filij Dei aduentum in carne expectantium, exprimi, liturgici communitèr ſentiunt, ſed in Miſſa potiùs ſolemni, in qua chorus illorum gerens Perſonam Sacerdotem cantu præuenit è Sacriſtia egredientem: in Miſſa ergo priuata exauditas potiùs Patrum preces, votaquè expleta introitus repreſentat. Quomodò verò omnis Miſſæ Introitus, etiam intellectu litteræ, hæc exprimat, habes expoſitum apud Albertum Magnum *loc. cit.* & Turrecrematam *hic*. Cætera, quæ ſcitu digna occurrunt circa quemcumquè introitum, immò & quamcumquè Miſſæ partem & in indiuiduo, eorumquè congruam materialem diſpoſitionem, habes apud Gauantum *theſ. p. 4. per totam*, & fuſiſſimè apud Durandum *rat. lib. 6. per totum*.

80 At verò S. Thomas cit. *p. 3. qu. 83. ar. 4. in 6*, vbi conuenientiam eorum, quę in Miſſa aguntur, ex profeſſo expendit, non tàm ad introitus ſignificatio-

nem

nem respexit, quàm ad vocem laudis, vt aduertit Sotus *hic*. Introitum ideò recenset tanquam primam partem debitæ tanto mysterio præparationis, ad dignè agenda ea, quę sequuntur. *Cuius præparationis*, inquit loc. cit. *prima pars est laus diuina, quæ fit in introitu, secundum illud Psal. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. Et sumitur hic, vt plures, de Psalm. vel saltem cum psalm. cantatur*, (en regulam generalem præmemoratam) *quia vt Dionysius dicit tertio cap. Eccl. hierarch. Psalmi comprehendunt per modum laudis quicquid in sacra Scriptura continetur* Hæc S. Doctor.

81 Nec verò deest nobis exemplum Christi Domini, de quo Apostolus ad Hebreos X. docet, quod *ingrediens Mundum* illud *dicit* Psalmi 39. *Hostias, & oblationes noluisti, corpus autem adaptasti mihi &c.*

82 1 Ad *Gloria Patri &c.* reuerentiam versus medium Altaris, hoc est versus Crucem exhibeat, capite quidem aliquantulum inclinato, sed Persona minimè conuersa, vt aduertit Gau. hic, quod & in sequentibus seruandum.

83 Huiusmodi glorificationis hymnum (sic ab antiquis Patribus dictus est) à Concilio Niceno fuisse institutum nonnulli autumant. In ipsa Apostolorum tempora suam referre originem S. Basilius pluribus docet apud Baronium anno 325. cui subscribit bona *lib de diuina Psalmodia c. 16. §. 6.* Athanasij etiã testimonio innixus. Et sanè Nicena Synodus non illum instituit, sed potius ab Arianismi instauratore Aetio corruptum subdolè canente *Gloria Patri per Filium in spiritu Sancto*, suę restituit sinceritati, ritè dicendo, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Dixi

sub-

subdolè, quia pręfata verba licèt per se nullam hæresim contineant, & illis propterea catholicè vsus sit S. Leo *serm. de Natiu.* ab Arianis tamèn vsurpabantur, vt illorum æquiuocatione suam impietatem celarent. Additamentum *sicut erat in principio &c.* hymno glorificationis factum antiquius Niceno Concilio nonnulli existimant, Tertullianum addentes ad illud alludere *lib. de spectaculis cap.* 25. Baronius verò an. 352 nu. 173. à Concilio Niceno decreto firmatum recenset, vt Filij consubstantialitatem, ac coęternitatem profitendo, detestaretur simùl hæreticalem Arianorũ blasphęmiam dicentium, Filium à Patre in tempore factum, ac fuisse tempus, in quo valeret dicere, nunc non est, nunc gloria non fruitur. Turrecremata etiam ex B. Alberto Magno *hic* euenisse hoc ait, ad detestandam hæresim Nestorij, Euticis, & Pauli Samosetani, qui spiritum Sanctum dicebant Patris, & Filij seruum, & nullam habuisse gloriam in præterito, sed in futuro eam consequutum esse, seruiendo Patri promeritam. Huiusmodi enim hymno *Gloria Patri &c.* nedùm Trinitati damus laudem, ac glorificationem, sed etiam profitemur Patrem, & Filium, & spiritum Sanctum habere ęqualem gloriam, & coęternam maiestatem in principio, & nunc & semper, & in sęcula sæculorum, idest, in pręterito, pręsenti, & futuro tempore, vt explicat Durandus *l. 4. c. 5.*

84 Hunc verò hymnum Introitui accessisse ex institutione Damasi Papę ait Hugo Vict. apud Sotũ *hic*, cùm tamen psalmi introitus Cælestinum, qui sedit multò post, faciat auctorem. Et sanè Hugo non sibi videtur cohærens, vt notat Sotus, nisi dicatur, quod qui Psalmum ad introitum instituit, hymnum ipsum

non

non prætermiserit. Enim verò ante Cœlestinum statutũ est seù à Nicęna Synodo, seù à Damaso Papa, (ad quē de hac re extat D. Hieronymi epistola,) vt hymno illo quicunquè psalmus clauderetur.

85 Et quidem psalmos generalitèr omnes, sed speciali titulo Introitum, *Gloria Patri &c.* concludi par est, in signum, quod operatio omnis, Missæ præcipuè, in gloriam Trinitatis refertur, vt inquit Sotus *hic*. Ad rem Turrecremata, *vt sus, ait, qui interponitur, profectum significat in merito, quia ipse psalmus bonam signifi at operationem, vt dicit Cassiodorus*; gloria *autem* Patri, *quod interponitur, gloriam dandam Deo pro profectibus nostris significat*.

86 Hoc titulo dici potest, hymnum hunc in Missis omitti defunctorum, qui iam amplius in statu meriti non existunt. Prætereà cum Defunctorum Missa mæstitiam redoleat, lętitię potiùs hymnũ prætermittimus: quē & omitti per totũ officium maioris hebdomadę in argumentũ mæstitię, qua Christi IESV passionem Ecclesia prosequitur, statuit Concilium Toletanum 4.

87 Sed ratio altera ob quam Introitui hymnus hìc congruentèr intermittitur, prætereunda non est, quam Durando prior Innocentius recenset *l. 2. c. 18.* illum ad Patres referens, qui, vt, quod expectabant, facilius obtinerent, ad totam Trinitatem, cordis, & vocis glorificatione, clamabant: *ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis: qui sedes super Cherubim manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse*; quorũ tandē vota spiritus Sanctus adimplēs *vnxit eum oleo letitiæ præ consortibus suis*, sicut ipse Dei Filius per Prophetam testatur dicens: *Spiritus* De-

Domini super me propter quod vxit me, euangelizare pauperibus misit me.

88 1 *Repetat introitum;* Nec tunc se iterùm signet, vt ignoranter faciunt nonnulli. Tale enim signum fit ratione principij; Introitus autèm repetitus non est principium; ità cùm alijs Castaldus *loc.cit.c.3.n.2.*

89 *Iteratò repetitur introitus* (prosequitur Sotus hic) *ad significandum frequentiam clamorum, quibus Patres antiqui identidem Diuinam Misericordiam excitabant, vt Christum mitteret, iuxta illud; manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.*

90 Aures tandem Durando demus, stando in explicatione præallata Angelici Magistri, bis dicenti recitari Introitum in laudem Diuinæ, & humanę naturę, quæ in Persona Verbi sunt vnitę. Notatione præcipuè dignum est, quod subdit, introitum scilicet tria continere Antiphonam pro Patriarchis, Versum pro Prophetis, Gloriam pro Apostolis: repetitio verò est prędicationis identitas, & confirmatio: quod namque longè Patriarcha gẽtibus figurauit, Propheta prædixit, Apostolus euangelizauit.

TI-

TITVLVS VIII.

De precatione Kyrie eleison.

RVBRICA.

a *Kyrie eleison dicat* b *alternatim cum ministro. Dicto vltimo Kyrie ad* c *medium Altaris &c. pergat.*

NOTÆ:

91 a KYrie eleison, vox græca est latinè sonans: *Domine miserere*. Congruè procul dubio *post Introitum*, vt inquit Sotus hìc, *quo Christi ingressus in orbem repræsentatur, adijcitur misericordiæ postulatio, quæ ipsum, vt nos redimeret, induxit*; sic exauditas, etiam intellectu litteræ, portendens Patrum preces clamantium Psalm. 91. *tu exurgens misereberis Sion, quia venit tempus miserendi eius*, nec non Isaię 33. *Domine miserere, te enim expectauimus.*

92 Hæc insuper pręparationis *secunda pars* (D. Thomas *hìc* prosequitur) *continet commemorationem præsentis miseriæ, dùm misericordia petitur dicendo, Kyrie eleison, tèr quidem pro Persona Patris, ter autèm pro Persona Filij, cum dicitur, Christe eleison* (hoc est Christe miserere; vtpotè qui fuit geminæ gigas substantię, sed Patrem, & Spiritum Sanctum, qui non assumpserũt humanam, secundum Diuinam Dominos appellamus)

& ter

& ter pro persona spiritus Sancti, cùm subditur Kyrie eleison, contra triplicem miseriam ignorantiæ, culpæ, & pœnæ; vel ad significandum, quod omnes Personæ sunt in se inuicem Tota enim essentia, vt exponit Sotus, ac subindè misericordia, & bonitas, quam imploramus tàm in singulis est Personis, quàm in omnibus simul.

93 Dicitur insuper nouiès ex Turrecrem ata bis, propter nouem Ordines Angelorum, quibus petimus associari beneficio aduentus Christi; seù, vt loquar cùm Innocentio *l.2.cap.19.* ad hoc, vt ordo decimus ex hominibus reparatus, nouem associetur Ordinibus Angelorum.

94 Huiuscè precationis *Kyrie eleison* vsus ex Apostolica traditione ad nos deuenit, vt probat Mag. Grauina *lib.4. cath.præsc. ar.7.* §.9. Reperitur enim in Liturgijs D. Iacobi, & D. Marci, Græcorumque Patrum antiquioribus, ipsamquè vsurpant suo idiomate Syri, Armeni, alijque Christiani Orientales, quorum ritus vetustissimi sunt. In Ecclesia etiam Romana antiqua planè, & ante Gregorium Magnum (quicquid dicant Amalarius, Strabo, & Micrologus, alijquè communitèr) fuit consuetudo canendi *Kyrie eleison* tàm in Missa, quàm in cæteris diuinis officijs, vt probat Bona *l.2.cap.4. num.1.* & Bona antiquior Hugo Menardus *in notis ad librum Sacram. D. Gregory* Planum hoc est ex Concilio Vasensi habito ann. Christi 529. can.3. *Et quia tam in Sede Apostolica, quam etiam per totas Orientales, atquè Italiæ Prouincias dulcis, & nimium salutaris consuetudo est intromissa, vt Kyrieeleison cum grandi affectu, & compunctione dicatur, placuit etiam nobis, vt in omnibus Ecclesijs nostris ista tam sancta consuetudo, & ad matutinos, & ad Missas, &*

ad

ad Vesperam Deo propitio intromittatur. Et S. Syluestrũ circa annum Domini 320. *Kyrie eleison* in Rom. Ecclesiam induxisse affirmat ex Hugone Vict. Sotus *hic* indè colligens, quod si Cælestinus instituit psalmi introitus, à *Kyrie eleison* Missam aliquando inchoasse, vt & modo in Vigilia Paschatis. Quid quod ipse Gregorius *lib. 7. epist. 64. ad Ioannem Syracusanum*, respondens quorumdam murmurationibus, se nunquã asserit ab Ecclesia Constantinopolitana hanc precandi formulam emendicasse, alioquè ritu ab Ecclesia Romana cantari. Apud Grecos enim vniuersus cętus simul concinit *Kyrieeleison*, & *Christe eleison* non dicitur.

95 In libro quidem Sacramentorum D. Gregorij semèl tantum *Kyrieeleison* scribitur, sed hoc breuitatis causa factum existimat meritò Menardus *loc. cit.* & deducitur ex praecit. Epist. D. Gregorij. In hoc quidem mutatio accessisse videtur, quod totidem vicibus etiam *Christe eleison apud nos dictum*, ait ibi Gregorius, cùm tamen modo ex immemorata Ecclesiæ Rom. consuetudine tèr dumtaxat *Christe eleison*, & sexiès *Kyrieeleison* repetatur.

96 Idiomate autem græco dicitur Kyrieeleison, *vt omnis Christianismus*, vt ait hìc Sotus, *in hac misericordia postulatione voce etiam conueniret.* Dulcis enim, & nimis salubris est, vt inquit mox cit. Vasense Concilium, & efficacia ei maior fortasse inest, quàm nos sciamus, vt asserit Durandus *hic*. Legitur namquè, quod dum B. Basilius *Kyrieeleison* clamasset, portæ Ticinę, seù Papien. Ecclesię sunt apertę: & B. Geminiano *Kyrieeleison* clamante, quinque Reges conuersi dicuntur in fugam: & B. Dunstanus semèl soporatus

Ange-

Angelos audiuit cùm suaui nota *Kyrieeleison* psallentes, vt legitur in Chronico Angliæ Brontoni.

97 Quatuor alias causas, in gratiam eruditionis, hic placet exscribere, ob quas Ecclesia Græcũ idioma in hac supplicatione retinuit, ex Turrecremata *in citato can. Iacobus de cons. dist.* 1 nec non ex B. Alberto Magno *in suo tract.* 1. *de sacrif. Miss. cap.* 7. primò, quia „ summa sapientia Mundi primùm in Græcia floruit „ 1. Cor. 2. *Iudæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt:* vt ergo ostendatur, quod ista inuocatio à sũma sapientia procedat, in Græco clamatur. Secundò, quia iustitia apud Grecos primò viguit. Tertiò, quia Grçcus primò ab Apostolis accepit hanc Fidei inuocationem, sicut patet in Epistolis Pauli, quæ, excepta prima, & vltima, omnes Grçcè sũt scriptæ. Similitèr omnia Euangelia, excepto Euãgelio Matthæi. Similitèr omnes actus Apostolorũ, & Apocalypsis. Septem enim illa Ecclesiæ, quibus scripsit B. Ioannes, quæ vniuersitatem Ecclesiæ significant fundatæ sunt in Asia, quæ Grçcia vocatur. Quartò quia à Grçcis Fides deriuata est latinis; quia Petrus, & Paulus à Grçcis ad latinos venerunt, & ità ipsi fuerunt nobis fons, & origo salutis. Vt ergò reuerentiam exhibeamus Sapientiæ, & vt honorem demus cultui iustitiæ à Græcis exortis, in eisdem syllabis, & vocibus, quibus à Populo primò inuocata est misericordia, conseruamus adhùc verba moris illius. Hæc enim reuerentia Patribus debetur, quod traditiones eorum, sicut ipsi instituerunt, obseruentur. In huius rei signum adhùc in Ecclesijs solemnibus leguntur in Grçco Prophetiæ, & Euangelia in quibusdam

„ festis; sicut omni anno in die Natiuitatis Domini „ fieri videmus in Curia Romana. Huius etiam si„ gnum est; quod solemnia Concilia Constantino„ politanum, Nicęnum, Antiochænum, & Ephesi„ num celebrata sunt in Gręcia, in quibus ea, quæ „ sunt de Missa maximè primitus sunt instituta, quã„ uis à B. Gregorio, resecatis quibusdam superfluis, „ posteà sint ordinata &c.

98 * Huic proindè precationi, totius mundi reuerentia consecratæ, nihil addi in cit. Capitulo Generali Salmantino nobis meritò cautum est, occasione nacta quorundam, qui *Kyrieeleison* interponebant in Sabbatis versus, tunc nouitèr à Clericis inducti, (vt notat Palencia *in notis ad Ord.*) scilicèt *cuncti potens &c.* Quæ additiones, nunc vetitæ, olim in Ecclesia Rom. alicubi fiebant, vt patet ex Missali Pauli III. & ex *l.4. Elucidatorij Ecclesiast.* Iodoci Clictouei.

99 b *Dicat alternatim cùm ministro.* * Hæc verba addita sunt in nouissimis Missal. iuxtà animaduersionem cit. Capituli Generalis Valentię: fortasse absurdum aliquod alicubi apud nostros inepserat; seù potiùs ad explicationem Ordinarij, ac Missalis Xauierre, vbi huius alternationis mentio nulla est, vtpotè de re fortè notiore credita, quàm indigeret expressione. Alternatim enim in Ecclesia latina ad Grȩcæ differentiam semper *Kyrie eleison* fuisse dictũ, patefaciunt *litt. anteced.* ex D. Gregorio deducta.

100 Cantum verò alternum à S. Ignatio Episcopo Antiocheno Apostolorum discipulo introductum fuisse, ostensa ei cælitus Angelorum, alibi à me adducta, visione, hymnos alterius ad alterum Sanctissimæ Trinitati concinentium, scribit etiam Socrates

l.6.

l.6.cap.8. Quem ritum quoad psalmos ad Ægyptios dimanasse, vtramque Lybiam, Thebeos, Palestinos, Arabes, Phęnices, Syros, & qui ad Euphratem incolatum ducebant, testatur Basilius Magnus *epist.63. ad Clericos Neocæsarienses*. Eundem Chrysostomus in suam Ecclesiam inuexisse affirmat cùm Socrate Sozomenus *l.8.c.8.* In Monasterijs tamen serius receptum deducitur ex Cassiano *lib.2. institut.cap.5. 8. & 10.* qui suo tempore scribit, vnum in medio, cęteris audientibus, & tacentibus, psalmos modulari. In Ecclesia verò occidentali Ambrosio institutore primò Mediolani cæpisse, testis est Augustinus in *Confessionibus l.9.c.6.& 7.* quem tandem primus omnium auctoritate Apostolica Damasus Papa confirmasse dicitur, & vbiquè seruari præcepisse ex Bona *hic;* & ex tunc *Kyrieeleison* alternatim dici creditur incepisse; cùm de illo, tanquam de re vsu anteà recepta, loquatur *in præcit.epist.* D.Gregorius; *apud nos à Clericis dicitur, & à Populo respondetur.*

101 c *Dicto vltimo Kyrie, ad medium Altaris pergat.* * Rubrica Missalis Beccariæ iusserat, dicto primo *Kyrie*, si *Gloria* dicendū esset, ad medium Altaris pergere. Sed rubr. canonica Missalis Xauierre, cui nouissima cōformantur, & cui cōsonat Ritus Carthusiensis, præcipit, vt in littera; hoc est *Kyrieeleison* singula dicere in cornu Epistolæ, & nonnisi vltimo dicto, ad medium Altaris pergere, vti & faciunt Carmel.

102 * Congruentiæ ratio fortasse non deest. *Kyrie*, docet D. Thomas hìc, quo ad nos *continet commemorationem præsentis miseriæ, dum misericordia petitur &c.* & quoad Christum expleta Prophetarum vota in eius aduentu in carne insinuantur, vt dictum

eſt *litt.a*. Cùm ergò vita humana,ac præſens miſeria per ſiniſtram deſignentur, vt alibi ex communi Patrum conſenſu dictum eſt,ſecundum illud cant. *Leua eius ſub capite meo &c.* Kyrieeleiſon non incongruè ſecundùm hanc conſiderationem incipimus,ac terminamus in ſiniſtro Altaris latere, quod propriè loquendo ſecundùm Ord. Rom.Bauldr.& Gau.eſt cornu Epiſtolæ.

DE

De hymno Gloria in excelsis.

TITVLVS IX.

RVBRICA.

Ad medium Altaris, si a Gloria in excelsis *dicẽdum est, pergat; sin minùs ibi ante librum consistat; & reliqua iunctis manibus, prosequatur. Manus super Altare deponat, si* Gloria *dicendum est; si non, sed immediatè post dicenda sit oratio, stet vt priùs, iunctis manibus, in cornu Epistolæ. Cùm dicitur* Gloria b *manus super Altare sint deposita, ad* in excelsis *eleuentur, ad* Deo *iungantur, ad* & in terra pax c *reuertatur ad cornu Epistolæ, & ibi prosequatur reliqua legens in libro, iunctis antè pectus manibus.* d *Caput inclinet ad* gratias agimus tibi, *ad* IESV Christe, *ad* suscipe, *ad IESV Christe ante* e cùm sancto Spiritu.

NOTÆ.

103 a Gloria in excelsis Deo. Angelicus Doctor sic suam Missæ expositionem prosequitur: *tertia præparationis pars commemorat cælestem gloriam, ad quam tendimus post præsentem vitam, & miseriam, dicendo. Gloria in excelsis Deo; qui cantus diuinæ gloriæ*, addit Sotus, *finis est, quò nostrum referimus sacrificium, & à nostris miserijs liberati peruenire conamur*.

104 Hymnus hic temporalem Saluatoris nostri IESV Christi Natiuitatem expresse repræsentat, è Cælo ad nos Angelica voce (vndè angelici nomenclaturam obtinuit) tunc deriuatus, quando, vt refertur Lucæ 2. *facta est cùm Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, ac dicentium; Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*.

105 Porrecta verò, qui in Introitu Missæ Præsentationem Christi IESV in templo, & in *Kyrieeleison* Turturem, aut Columbam oblatam asseruit significari, recto ordine subdit, in *Gloria in excelsis* alteram Turturem, aut Columbam, commemorari: quæ duæ Turtures, aut Columbæ cùm Infante offerebantur, hęc vt debitæ Deo gratiæ, quas *Gloria in excelsis* inuoluit, pro nouitèr accepto beneficio referrentur, illa autem pro peccato, cuius venia petitur per *Kyrieeleison*.

106 Huius itaquè hymni caput Angelorum Chorus cęlitus detulit; quo ad reliqua *laudamus te, benedicimus te &c.* ab Apostolis conflatum, & compositum ex eo affirmat Durantus *de ritibus Eccl. l. 2. c. 14.* quod

quod integer ferè extet *lib.7. Constitutionum Apostolicarum cap.47.* quæ qualis auctoritatis sint norunt viri docti. Auctorem faciunt Telesphorum Papam, qui sedit sub annum Domini 140. Sigebertus, atque Innocētius. Symmacho adscribūt alij, qui anno Christi 500. floruit. Assertio autèm Hilario Pictauiensi Episcopo eum attribuentium plures habet fautores, Alcuinum, Beleth, Antissiodorensem, Hugonem, Honorium: sed obstat manifestè, quod Athanasius, qui Synchronus Hilario fuit, hymni ipsius meminit *l. de Virginitate versus finem*, vbi diluculum fuerit, recitandum proponens. Ad concordiam de cętero facilitèr discordantes trahi possunt Concilio Toletano IV. can. 12. dicente *reliqua, quæ sequuntur* post verba Angelorum, *Ecclesiasticos Doctores composuisse*; quisquè forsan ex dictis additamentum fecit. Telesphorus sanè, ex Soto hìc, atquè ex libro Pontificali *in eius vita*, ex Sigeber. atquè Innocentio, huius hymni saltem caput (hoc ter dici præscripserat anteà Liturgia S. Iacobi) cani statuit in nocte Natiuitatis, quà etiam Missas tres cantari instituit, vt inter eius decreta refertur. Symmachus verò præcepit, vt omni die Dominico, & in Natalitijs martyrum totus hìc hymnus (iam enim compositus erat, vt ex Athanasio ostensum est) diceretur. Extensum tandem est ad alias Sanctorum festiuitates, & concessum, vt non à solo Episcopo, vt Missa Gregoriana præscripsisse videtur, sed à quocumquè Presbytero diceretur.

107 * Quando autèm *Gloria in excelsis* dicendū sit, licèt dixisse sufficiat, regularitèr dici in Missa, quando in Matutino dictus est hymnus *Te Deum*, documentis tamen indiuidualibus clarissimis post rubri-

eas communes editis Missalia nouissima non carent. Nihilominus, si dubium suboriatur, consilio vtamur sępiùs à me proposito, Ritum Rom. cùm quo in hoc conuenimus, eiusquè commentatores consulendi.

108 * *Dicitur* itaquè *in Natiuitate Domini, & deinceps quotidiè vsquè ad octauas Epiphaniæ*, quia sub ortum Christi illum Angeli cecinere. Excipitur *Festum Innocentium*, quod non admittit canticum gloriæ, & lętitię, quia descenderunt in limbum, & tunc iuxtà Euang. *vox in Rhama audita est, ploratus &c.* quando tamen extrà Dominicam euenerit; quia si in Dominica eueniat præualet, tùm in hoc, tùm in alijs minoribus festis, solemnitas, ac memoria Resurrectionis, quam Dominica inuoluit. *Dicitur etiam feria 5. in Cæna Domini*, (in qua vti & in Vigilia Paschæ regula generalis mox allata patitur exceptionem) ex institutione Nicolai Papę *can. porro de cons. dist. 1.* quia gaudium, & gloriæ spes maxima ea die est, ob Sacramenti institutionem. *Et in Vigilia Paschæ*, quia pax vera data est renatis fonte Baptismatis; & insuper Missa dicitur Resurrectionis, quę nocte sequenti celebratur. *Dicitur tempore Paschali &c.* quia statum significat æternæ glorię, & pacis. *Dicitur in omnibus Dominicis per totum annum*, quia Dominica regina est dierum ob Domini Resurrectionem; *nisi in Aduētu, & Septuagesima, & deinceps vsquè ad Pascha exclusiuè:* (sic & respectiuè in diebus ieiunij solemnis) quia cum hoc tempore repræsentemus nos, ex Turrecremata *hic*, vt peregrinos, captiuos, exules, atquè respectiuè peccatores, in ore talium non benè sonant pręconia lętitię, & maximè Saluatoris. Pręterquamquod, ex eodem, huiusmodi tempore repręsentatur

status

status Ecclesię non dùm per Christum redemptæ; pertinet autem ad Christum specialitèr illud canticum. *Dicitur etiam in omnibus festis simplicibus*; quia & ipsa plenum habent officium, hoc est nouem lectionum, ideòquè solemnitatem, quæ tamèn minor cùm sit, prę-ualet mæroris consideratio, *in illis, quæ à Septuagesima usquè ad ramos palmarum celebrantur. In Festis* proindè *duplicibus*, vt subdit rubrica, *& totis duplicibus dicatur omni tempore*, ad augmentum diuinę laudis, ac cælestis solemnitatis, quę in illis ostenditur, quorum vita abscondita est cùm Christo in gloria. *Dicitur etiam quotidiè infrà omnes octauas*, quia octauæ induunt rationē Festi, cuius sunt prorogatio. *Dicitur etiam in omnibus Sabbatis, quando de B. Virgine celebratur*, quia solemnitatem ob id redolent, quod dies Sabbati est quasi ianua ad Dominicum diem, quo significatur æterna vita; MARIA verò est Ianua Celi, & Porta lucis fulgida; sicquè etiam coniungitur festiuitas Matris cùm solemnitate Filij, quæ est Dominica, ideòquè illa de hac meritò participat. Præthereà lętitię cantico recoli decet diem, in quo Deus ab omni opere quieuit: requieuit autèm in Maria, vt in tabernaculo suo. Congruentiam alteram addunt alij, quod in Sabbato post mortem Christi tota Fides in Virgine mansit. Hoc etiam festiuo cantico officium prosequimur B. Dominici, de Sacramento, ac de Sanctis Ordinis, quando infrà hebdomadam fit, ob rationes, quę cogitantis mentem statim subeunt. Nolo enim pluribus rem hanc prosequi, delibasse contentus; solummodò addens, quod, cùm hic hymnus solemnitatē redoleat ex D. Th. in 4. in Missis omittitur, quæ carent solemnitate, scilicèt trium lectionum, atquè in diebus pro-

festis,

festis, ideſt procùl à festis;, & à fortiori *intermittitur in luctuosis*, præcipuè defunctorum, *officijs*, vt ait *hic* D. Thomas, *quæ ad commemorationem miseriæ pertinent*.

109 b *Cùm dicitur* Gloria, *manus super Altare sint depositæ, ad* In excelsis *eleuentur, ad* Deo *iungantur*. Sint depositę hinc, & indè extrà Corporale, & eleuentur, ac coniungantur motu graui, qualis hymnum decet, quo nobilior inueniri vix poteſt, ſiue auctorem reſpicias, ſiue antiquitatem, ſiue laudum, quæ in eo continentur, ſublimitatem.

110 Per manuum autèm depositionem Fides, quæ ſine operibus mortua eſt, deſignatur; per earumdem eleuationem Spes, qua cæleſtibus anhelamus; Charitas tandem per manuum coniunctionem: quibus & temporalem Chriſti Domini Natiuitatem officioſe proſequi oſtendimus.

111 * De capitis inclinatione facienda nec nò hoc loco, recole dicta *tit. VI. nu. 13.* quibus ſi adhæſeris, inclines caput cùm ad *Deo* iungis manus: quę tunc inclinatio ſufficit pro acceſſu, ac receſſu.

112 c *Ad* & in terra pax, *reuertatur ad cornu Epiſtolæ.* * Putant nonnulli à rubrica ſupponi tabellam, hymnum *Gloria in excelſis* continentem, in Altari non exiſtere, atquè, ob ſolùm ex Miſſali legendi cōmodum, regreſſum ad cornu Epiſtolę præſcribi: non dubitant ideò, dicta tabella in Altari exiſtente, in medio totum *Gloria* perſoluere; vti iuſſerat rubrica Miſſalis Beccariæ. Sed cùm rubrica Miſſalis etiam Xauierre, qui Beccariæ ſucceſſit, auctoritate Apoſtolica nouiſſimè confirmati, reuerti ad cornu Epiſtolæ iubeat, ſic ſane faciendum eſt; nulli enim priuata interpretatione expreſsè contrà rubricam ſcilicet.

113

113 Neque regressus huiusmodi inconsultò, ac citrà mysterium propositus fortasse credendus est. In medio quidem Sacerdos, qui Angelum Magni Consilij repræsentat incipit *Gloria in excelsis Deo*, qui à Angelus in medio Pastorum, dum medium silentium tenerent omnia, nato Christo Dei mediatore, & hominum, illudmet cecinit; ob quas mysticas considerationes Ritu Rom. totus hymnus in medio Altaris, quod etiam Christum significat, rectiùs persoluitur. * Sed nos, cùm annunciatur tunc orta *in terra pax hominibus*, ad sinistram rectè deflectimus, quæ vitam præsentem designat. Prætereà hymnus hìc super Hebræos decantatus fuit, qui custodiebant vigilias noctis super gregem suum, vti legitur Lucæ 2. Cùm ergò, ex communi Liturgicorum placito, Epistolæ latus Populum Hebræum denotet, non immeritò, saltè cùm de orta in terra pace hominibus est mentio, in cornu Epistolæ hymnum hunc nos persoluimus: cùm tamen Ambrosiani, ac Carthusienses in dicto latere Epistolæ & incipiant, & compleant. Ambrosiani quidem de ritu hoc dimittendo, hoc est de dicendo *Gloria in excelsis* in medio, aliquando cogitarunt, sed ad consilium Sanctissimus Carolus Mediolanen. Archiepiscopus adhibitus, in antiquo eos ritu, mox adducta congruentia, firmauit, quam scripto traditam recenset Septala *in suo libro de misterijs Mis. ca.* 15. *in de Ritu Ambrosiano.* Posset etiã ad rem nostram fortasse piè addi, per hunc regressum denotari discessum Angelorum in Cælum, quem Lucas cap. 2. memorat, seù transitum Pastorum vsquè Bethlem, vbi Deus iacebat factus homo, cui sinistra attribuitur. Porrecta verò consequentèr ad dicta, regressum *hic* recolit Christi

sti ab Egypto, cuius illùc fugam in accessu Sacerdotis ad Altaris medium cognouerat.

114 d *Caput inclinet ad, gratias agimus tibi.* * De inclinatione capitis facienda ad *adoramus &c.* non meminit rubrica, neque Ciantes. Eam tamen ne prætermittas, ex præcepto peculiaris rubricæ existentis inter *Gloria in excelsis*, quod extensum habetur in Missali antè præfationes. Dicitur autem *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*, non impropriè (quicquid blaterent hæretici) si ad illud referatur, quod alibi Ecclesia profert. *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas*.

115 e *Cum sancto Spiritu &c.* * Ad hæc verba Cæremon Ciantes, vtpotè qui rubricas disposuit Missalis impressi sub Generalibus Rodulfio, ac Turco, vult, iuxtà easdem, signo Crucis sese Sacerdotem munire, quod Christi Circumcisionem denotare docent Ritus Rom. expositores. Sed de eo neque in Missali nouissimo, neque in antiquo Ordinario, neque in generalibus Capitulis, neque tandem in Missali Xauierre documentum inueni: cuius omissionis ex nostris quidam congruentiam illi similem comminisci conatus est, ob quam non fit Crux super aquam in Missis Defunctorum; omittitur enim, quia tunc significat aqua Populum Purgatorij, qui iam de gloria securus existit: à simili, cùm (stando in doctrina præallata S. Thomæ) de gloria in termino sermo hic sit, Crux omittitur, per quam ad gloriam viatores tendimus: quam ideò Crucem in fine *Credo ad* verba *vitam venturi sæculi amen*, rubrica Missalis nouiss. merito præscribit. Valeat hęc quantùm valère potest: hoc ego scio, quod *melior est obedientia, quam victima;*

ctima; neque eorum, quæ omittũtur, mystica semper ratio reddenda superstat: litteralis quidem esse potest, quod olim hoc signum Crucis vniuersalitèr saltem infrà vsum esset, cùm illius ex antiquis Scriptoribus vix Beleth c.40: mentionem fecisse reperierim; benè verò de signo Crucis sub finē *credo*, de quo suo loco.

116 Antequàm titulum hunc claudam placet ad vertere, in Capitulo Salmantino cautum nobis fuisse, ne ad *Gloria in excelsis* in Missis de B. Virgine post versum tu *solus Sanctus*, adderetur *MARIAM sanctificans*; ad *tu solus Dominus* MARIAM *gubernans* &c. quos versus Clerici nouitèr interposuerant, vt notat Io. de Palencia *in notis ad Ordinarium*: meritò sanè; quia licèt has, & huiusmodi particulas insertas olim fuisse ex constitutione Ecclesiastica scribat Iodocus Clitouæus *lib. 3. Elucidatorij*; potiùs tamèn priuata quorumdam licentia, & zelo, qui non erat secundum scientiam, id primò capisse probat Bona *l. 2. c. 4. n. 6.* Refert Paris Crassus, *in Cærem. Summi Pontif. cap. 67.* Nicolaum V. inhibuisse, ne in sua Cappella dicerentur.

117 Hoc etiam loco aduertendi occasionem amplexor, Missæ nihil esse intermiscendum, quod in rubrica Missalis Canonici notatum non sit, pluribus generalibus Capitulis, ac deniquè Clemente VIII. *in pluries cit. constitutione*, id prohibentibus Quisecus fecerit se sciat incurrere peccatum mortale, si fiat in magna quantitate, & veniale, si in pauca: ita Nugnus *in D. Th hic ar. 4. concl. 2. dub. 2. ad* 4. non minus, quā sit peccatum ex genere suo omittere aliquid eorum, quæ in Missali habentur, ex eodem *ibidem*.

TI-

TITVLVS X.

De Oratione.

RVBRICA.

a *In eodem loco vertat* ℟ *ad Populum* b *à sinistro latere ad dextrum, id est per eam partem, quæ respicit cornu Epistolæ, & manibus* c *rectis eleuatis, vt humeros non excedant, extensis, vt à retro aspici queant* d *dicat* Dominus, *& coniungens subiungat* vobiscum. *Deinde reuersus ad librum per idem latus dicat* e Oremus, *manibus iunctis, inclinans paululum caput.* f *Aperiantur manus ad* g *Orationem, sicquè cùm* h *aliæ orationes dicendæ fuerint faciat ad* Oremus, *& ad Orationem, vt modò diximus Ad* i per eundem Dominum nostrum IESVM l *coniungat manus, ac reuerentiam Nomini Dei exhibeat,* m *capite versus medium Altaris paululum inclinato. Si in Oratione præmittendum sit post* Oremus, n flectamus genua, *recipiat vtraque manu anteriorem partem Casulæ hinc, & inde, & super Altare aptans* o *flectat genua, mox sine mora surgens prosequatur.*

NO-

NOTÆ:

118 a IN *eodem loco vertat se ad Populum:* * talem fuisse antiquitus praxim innuit *hoc loco* Turrecremata; atquè eam retinuerunt & Carthusienses,eorum Ordinario *cap.16.nu.1*.dicente.*Sacerdos stans in eodem cornu Epistolæ dicit*,Dominus vobiscum.

119 * Nequè hoc fortasse solummodò fit ad euitandum discurrendi incommodum, ne scilicèt Sacerdos stans tunc in cornu Epistolæ progrediatur in medium statim reuersurus ad librum; vt,non omninò extrà rem,dicunt nonnulli.Si enim mysticæ inspiciātur rationes, optimis quidem præstat ritus Rom. sed rectis noster non caret;ad Populum namquè militantis Ecclesiæ per sinistram designatæ dirigenda est salutatio. Prætereà per salutationem *Dominus vobiscum* manibus extensis factam inuitatur, & disponitur Populus ad dignè orādum,Christi IESV exemplo,qui, extensis in Cruce manibus, statim orauit pro crucifixoribus:hi autèm erant Habræi per latus illud Altaris significati:vndè & adderem, quod dixerat Dominus;*salus ex Iudæis est*. Verùm præceteris præstans, atquè ordini vitæ Christi conformis congruentia est, quod per hoc primum *Dominus vobiscum* Christus Dominus,cuius personam gerit Sacerdos,repræsentatur, cùm se primò Magis in sinistra præsentis vitæ manifestauit,ex eruditissimo Abb.Pompeio Sarnellio *in schola animæ pag.65*.quam, post plurima tanto digna viro opera,nouissimè exposuit.

140 b *A sinistro latere ad dextrum:* ità expressè de-

declaratum habuit & rubrica Missalis Rom. emendati, vt refert Castaldus *cap.5. num.10.* hoc subdens semper esse seruandum, siue Populo Eucharistiam ministraturus sit Sacerdos, siue descendat ab altari, siuè aliquid aliud acturus sit. Motus enim magis naturalis se vertentis est, vt & inquit Gauantus *hic*, à sinistro latere ad dextrum.

121 Bonum autem est omen in dextera: *dextera Domini fecit virtutem*: indicatquè tunc Sacerdos se rectam, & obtentam habere intentionem ad cælestem Patriam, quę per dexteram significatur, iuxtà illud cantic. *dextera illius amplexabitur me*: ità post Durandum Gauantus *hic*: quæ cælestis glorię spes Magis facta est, cum se illis Dominus manifestauit.

122 Eodem itaquè modo, (è medio tamèn Altaris, vtpotè quod Christũ, cui medium tribuitur, repræsentat) directò contrà Crucem vertit se Sacerdos Ritu Rom.* Deponant ergò scrupulum, ac rubricam congruentijs non viduam implere non dubitent ex nostris nonnulli, qui motum non versus cornu Epistolę, sed versus cornu Euangelij ob id ducunt, ne Cruci tergum vertere videantur. Scio quidem antiquum Ordinarium iubere dumtaxat; *conuertat se Sacerdos ad Conuentum*, & Carthusienses sese vertere à dextro ad sinistrum; sed rubrica explicans, *idest per eam partem, quæ respicit cornu Epistolæ*, nullum relinquit priuatæ interpretationi locum.

123 Alia vtiquè ratio, reuerentiæ scilicèt, militat, quando celebratur coràm Sanctissimo Sacramento vel occluso Tabernaculo, de quo, quia habemus in nouiss. Missalibus specialem, claramquè rubricam, aduerto dumtaxat, quod tunc adhùc non debemus

persi-

persistentes in cornu Epistolę motum ducere à latere dextro ad sinistrum, vti pręceperat rubrica Missalis de Marinis primùm edita, sed è medio Altaris, à sinistro adhùc latere ad dexterum, paulispèr ad cornu Euangelij secedendo, vt latiùs dicitur in rubrica, Romano Ritui assimilata, Missalis de Marinis vltimò impressi.

124 c *Manibus rectis, eleuatis, & extensis:* ità vt palma vnius manus alteram respiciat, & digiti omnes, ac pollex ità sint inter se ordinati, vt nullum inter eos intercedat spatium, eorumquè extremitates rectà linea sursum ferantur; atquè ad tantam extendantur altitudinem, qua non summitatem, & vix latitudinem humerorum excedant: ità ante Bauld. *in hanc rub.* Castaldus *c.* 5. *nu.* 2. & hoc regularitèr seruandum.

125 Hac manuum eleuatione Christum Dominum mentis intentione adire, vt innuit Sotus, veluti conamur, de quo scriptum est: *omnis, qui venit ad me non eijciam foras.* Manuum verò extensione, quæ statim coniunguntur, Charitas connotatur Sacerdotis viscera sua pandentis populo, ac populum ipsum Pupulum veluti, vt inquit Sotus *hic* §. *hinc ergo*, amplexantis; quo etiam Christus Dominus ob oculos mentis fit, qui in Pręsepio ex Iudęa Pastores, ex Oriente Magos excepit.

126 d *Dicat Dominus vobiscum:* dicat nonnisi postquàm benè, perfectè, ac totalitèr ad Populum conuersus fuerit; & nonnisi postquàm totalitèr finierit, se conuertat ad librum, ex Cærem. Carm. quod semper seruandum est, etiam ad *Orate Fratres*, atquè *ad Ite Missa est.* Grauitate de cętero hi motus non careant, ac modestiam oculi demissi pręseferant, ve

sibi caueat Sacerdos Isaię illud. *cùm extenderitis manus vostras, auertam oculos meos à vobis*.

127 Hanc salutationem Diuinissimam appellat Dionysius *cap.3. Eccl.Hier.*§.8. in sententia Duranti *l.2.cap.*14. Et sanè non ex humano arbitrio, sed ex Diuinę Scripturæ auctoritate ad nos deriuata est, vbi frequentèr, & singularitèr, & pluralitèr legitur. In libro Ruth, Booz (Booz quoquè figuram exprimit Saluatoris ex Innoc. *l.2. cap.*40.) dixit Messoribus suis *Dominus vobiscum*: sic & Paralip.15. Propheta à Deo missus salutauit Aga Regem, & exercitum eius: *quin verò*, inquit Sotus *hic*, *Angelus cælitus missus sic Virginem salutauit* Dominus tecum: sed vim, atquè efficaciam hanc salutationem trahere ab illis Christi IESV verbis Matth. vlt. *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsquè ad consummationem sæculi* sentit post Gauant. *in hanc. rub.* Bona *l.1.c.5.nu.*1.

128 Dicitur ante Orationem, ad captandum Populi attentionem in illam; nec non, ex Soto *hic*, quia, vt ait ad Rom.8. Paulus, *quid oremus nescimus, sed Spiritus nos docet*, adiuuans infirmitatem nostram. Certus itaquè Sacerdos, Domino inhabitante, petitiones dignas fieri effectu, dicit *Dominus vobiscum*, vt sicuti Angelo dicente *Dominus tecum*, in Vterum Virginis Dominus delapsus est, ità in Populo mansionē faciat, ac secum vniat per gratiam.

129 *Dicit Dominus vobiscum magis, quàm Deus, IESVS, vel Christus*, ex B. Alberto Magno, & Turrecremata *hic*, *quia hoc nomen Dominus potestatem significat: vndè omnis potest suppleri defectus Populi &c.* iuxtà illud Gen.27. *si Dominus Deus fuerit mecùm in via &c. erit mihi Dominus in Deum*.

130

130 Salutanti Ecclesiam Ecclesiæ nomine respondet minister, (gerit& ipse Personam publicam; de quo fusissimè Petrus Damiani in libro, cui & argumentum,& titulus, *Dominus vobiscum.*) *& cùm Spiritu tuo*; quæ verba existentia in antiquissimis Liturgijs desumpta videntur ex Apost. 1. Tim 2. *Dominus IESVS Christus cùm Spiritu tuo*: hoc est, exponit *hic* Sotus, *non tantùm Populus respondet sit etiam tecum, sed & cùm Spiritu tuo.* Indiget enim Sacerdos attentiori Spiritu, & tanquàm pro Populo legatione ad Deum fungens debet, secundum B. Albertum Magnũ *Lic*, per Spiritum esse eleuatus, & ab omni terrenitate, vt loquitur Durandus, prorsus abstractus. Totum enim, quod in Altari est, vt idem inquit Albertus, est opus virtutis Spiritus: vndè Io: 6. Dominus de hoc Sacramento loquens ait: *Spiritus est, qui viuificat, caro autem non prodest quidquam.*

131 Huiusmodi inuicem salutandi formula in Liturgia S. Petri existit; eamquè quasi tesseram mutuę communionis (infidelibus ideò, atquè alio titulo à fidelium communione segregatis denegatam) ab Apostolis ad nos deductam fuisse planum fit ex verbis Concilij Braccarensis 1. *can.* 21. *placuit, vt non aliter Episcopus, & aliter Presbyteri Populum, sed vno modo salutent dicentes, Dominus sit vobiscum, sicut in lib. Ruth. legitur, & vt respondeatur a Populo, & cùm Spiritu tuo, sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet oriens*: vbi potiùs legendum *occidens*, vt notat Bona *l.* 2. *cap.* 5. & Bona prior Menardus *in notis ad lib. Sacram. pag. mihi* 67. cùm in Oriente vsum fuisse dicendi *pax vobis*, seù *pax vobiscum*, seù *pax omnibus* ex Patribus exploratum sit, quos idem *ibidem*, ac Du-

L 2 ran-

rantus *lib.* 2. *cap.* 15. fusim referunt.

132 Canoni verò citati Concilij Prouincialis occasionem dedit Priscillianus, qui, vt *in eundem can.* notat Garsias Loaisia, non semel tantum, vt moris est, sed semper ab Episcopis dicendum esse *pax vobis* cōtendebat. *Episcopus* itaque, inquit D.Th. hìc ar. 5. ad 6. *in prima salutatione dicit* pax vobis, *quod post resurrectionem discipulis dixit Dominus; cuius personam repræsentat præcipuè Episcopus.*

133 Idem *ibidem* Angelicus Doctor notatione dignum habet, *quod quinquies se Sacerdos vertit ad Populum ad significandum, quod* Dominus *die Resurrectionis quinquiès se manifestauit. Salutat autem septiès Populum, quinquè vicibus, quibus se conuertit ad Populum, & bis, quando se non conuertit (sc. cùm ante Præfationem dicit* Dominus vobiscum, *& cùm dicit* Pax Domini sit semper vobiscum) *ad designandum septiformem gratiam spiritus Sancti.* Hæc S. Doctor, quem errasse nemo audeat suspicari, quod Sacerdos quatèr tantùm se vertat ad Populum, eumquè nouies salutet. Enim verò ad *Dominus vobiscum* ante Euangelium, etiam in Missis priuatis, ad Populum aliquantulum conuertitur; vt dicetur suo loco; sicque quinquies se vertit 1. ante orationem 2. ante Euangelium 3. ante Offertorium, 4. ante Postcommunionem, 5. ante Benedictionem. *Dominus* autem *vobiscum* post peractam Cōfessionem, & *Dominus vobiscum*, ante vltimum Euāgelium Ritui vniuersali, quem D. Thomas exposuit, deerant suo Tempore, vt de primo dictum est tit. 6. de secundo dicetur suo loco: præterquamquod hæc duo *Dominus vobiscum* extrà Missam quodammodo adhùc censentur, quę in rigorosa quadam acceptione

inci-

incipit ab Introitu, & finit ad benedictionem.

134 e *Oremus*, habetur in Liturgijs SS. Petri, Iacobi, & Marci, atquè ab immemorabili ante orationes publicas vsitatum fuisse constans Patrum traditio est. Hac monitione audita, olim Sacro adstantes sub silentio orabant, tùm peracta breui oratione omnium preces Sacerdos breui item oratione concludens Collectam alta voce recitabat, de quo latiùs Bona *l.2. cap.5. nu.2.* Aliquando etiàm, indicta oratione per verbum *Oremus*, monebat Sacerdos, pro quibus orandum esset ea formula, qua nunc vtitur Ecclesia in Officio feriæ sextæ maioris hebdomadæ, cùm pro omnium statu hominum preces fundit; ad quem morem alludit Augustinus *epist.107. ad Vitalem Carthaginen.*

135 Sacerdos itaquè non satis de se confidens per *Oremus* vniuersalem ad se colligit Ecclesiam, tùm maximè quod Populus per ipsum, ex Soto *hic*, vti ipse, tamquàm mediator inter populum, & Deum, est oraturus.

136 Christus ipse rei huius specimen reliquit, quando Apostolos orare monuit, & posteà ipsemet orauit, vt innuit Stephanus Eduens. *l. de Sacram. altar. cap.12.*

137 f *Aperiantur manus*, & extendantur modo superius exposito. *Sacerdos* (docet D.Th. hic ar. 5. ad 5.) *leuat manus orando ad designandum, quod oratio eius dirigitur pro Populo ad Deum, secundù illud Thren. 3. leuemus corda nostra cùm manibus ad Dominum in Cælos; & Exod. 17. dicitur, quòd cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel.* Salomon paritèr 3. Reg. 8. *stans ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel, orans pro Populo manus expanderat in Cælum.* In nouo verò

Testamento Apostolicæ traditionis hunc ritum esse, probat Baronius *ann.* 58. *num.* 110. ex Apostolo 1. *Tim.* 2.

138 In hoc etiam occurrit de Christi IESV passione vtilissima meditatio, qui, extensis in Cruce brachijs, statim orauit pro Crucifixoribus, vt notat, post Innocentium, Gau *hic.* Hinc in Missa, quæ memoriale est Christi passionis, & in qua Sacerdos publicam Christi gerit Personam, manibus extensis dicuntur orationes, quæ extrà Missam iunctis manibus dicuntur. Appositè D. Maximus Taurinensis Episc. hom. 2. de Cruce, & sepulc. Domini, *ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur: tunc enim citius nostra exauditur oratio, cùm Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.* Huius insuper ritus meminit antiquissimus Tertullianus de orat. cap. 11. 12. *Nos verò non attollimus tantùm, sed etiam expandimus, & Dominica passione modulantes, & orantes confitemur Christo.* Obmutescant ergo Nouatores, huiusmodi appellantes ridiculosas gesticulationes, quos iàm confutarat expresse *loco mox cit.* Angelicus Doctor.

139 g *Ad orationem. Quarta præparationis pars* (prosequitur *hic* D. Thomas) *continet orationem, quam pro Populo facit, vt dignus habeatur tantis mysterijs.*

140 Si verò ordinem vitæ Christi attendas, cõnotatur (prosequitur Porrecta *hic*) per Orationem (vtpotè quæ conuenit inferiori respectu superioris) Christi IESV subiectio, quam Mariæ, & Ioseph exhibuit, vt ait Euang. *subditus illis:* * atquè hinc Christi etiam Circumcisionem, ac Præsentationem in Templo meditandi argumentum præstò [illegible]. Orationem etiam oratio designat, ex Titelmano, & Gau. *hic* quã

IESVS

IESVS ab infantia excoluit vsquè ad prædicationē Ioannis,quæ in Epiſtola, vt dicetur, elucet:quod & deſignatur Apoc. 8. per fumum aromatum aſcendentem de manu Angeli ante conſpectum Domini. Homo namquè vetus paſſioni proptèr nos deſtinatus,ſēper vnitum ſibi Verbum pro nobis orauit,Patremquē & ſpiritum Sanctum:& vt ait Apoſt. Heb.5.*in diebus carnis ſuæ preces,ſupplicationeſquè &c. offerens,exauditus eſt pro ſua reuerentia* .

141 Hic modus orandi *Oratio* antonomaſticē propter excellentiam dicitur, quia in eo præcipuē emicat orandi forma cùm actibus, quos orationi tribuit Apoſtolus 1. *Tim*.2. ex quibus componi orationes ab Eccleſia in Miſſali propoſitas docet D. Th. 2. 2.*q*.83.*ar*.12.vbi tria,quæ in oratione neceſſaria eſſe affirmat, explicat in Oratione de Trinitate: nàm cū dicimus *Omnipotens ſempiterne Deus*, Oratio eſt;cùm addimus, *qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ Fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere*,gratiarum actio eſt;cùm adiungimus, *tribue quæſumus &c.* poſtulatio eſt;cùm concludimus *per Dominum noſtrum &c.* obſecratio eſt.

142 Collectæ nomen deſumptum, inquit Durādus cap.15.ex veteri Teſtamento, & ſignantèr Leu. 23.orationiā priſcisPatribus datū eſt;quia populo in vnum congregato, & mente etiam collecto,per illam Sacerdos compendioſa, ſed ex ſelectis Scripturæ, & Eccleſię verbis conflata,breuitate,omnium vota in vnum collecta communi nomine exponit, de quo fuſim Durantus *l*.2.*c*.15.

143 Collectarum, ſeù Orationum inſtitutionem, in quibus ſcilicèt ſumma petendorum à Deo paucis

 verbis

verbis continetur, ab Apostolis, nunquam interrupta Ecclesiæ praxi, ad nos deuenisse affirmat Genebrardus *lib. de Apostolica Liturgia cap.* 20. & pluribus probat Bona *l.* 2. *c.* 5. *nu.* 4.

144 Illas tamen sub Ecclesiæ primordia vnusquisquè nouas pro sui arbitrio, & deuotione formabat: cui nimię, ac periculis plenæ licentię occurrit Concilium Carthaginense 3. cap. 23. Mileuitanum can. 12. Africanum 6. cap. 70. Gelasium verò Papam plurimas composuisse, atquè, vt addit Durandus, *hic* ab alijs appositas ordinasse, & tandem Gregorium Magnum ex Gelasiano Codice desumptas Orationes, seù collectas, ante Epistolam, super oblata, ac post communioné, seligendo, demendo, superaddendo cópilasse sentiunt Diaconus *in eius vita*, Augiensis, Vualfridus, & alij communitèr apud Menardum *in præfatione ad librum Sacram.* & Menardo antiquioré Pamelium *tom.* 2. *Rit. in prolegomen.* Quod volumen ideò *Sacramentorũ librum* Gregorius inscripsit, quod, vt *ibidem* notat Pamelius, Sacramenta olim nuncupabantur, non modò ipsum Missæ Sacrificium, sed peculiaritèr etiam orationes Missarum. Sic eas appellarat Cælestinus Papa *epist. ad Galliarum Episcopos* cap. 11. *obsecrationum Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto Mundo, atquè in omni Catholica Ecclesia vniformitèr celebrantur, vt legẽ credendi lex statuat supplicandi.*

145 *Ex hoc libro Sacramentorum D. Gregorij esse Orationes, etiam secretas, atquè ad complendum, seù postcommuniones, vti ex Antiphonario eiusdem D. Gregorij sunt Introitus, Responsoria, Alleluia, Tractus, Offertoria, communiones Missalis Romani,

nostri

*nostri, Carthusienf. ac Carmel.palàm fit eadē dicto libro Sacram.conferenti,quem edidit Pamelius *tom.* 2. *Rit.pag.mihi* 183. *& infra* , ità vt (ne eadem repetam)quę ad rem allegaui tit. VII.n.71.&c.pro hoc etiam dicta loco proportionalitèr valeant . * Missale quidem nostrum Romano comparatum diuersas habet primā Orationem,Secretam, ac Postcommunionem in die Circumcisionis, sed tàm nostræ,quàm illæ extant pro hac eadem die in dicto *Sacramētario* propositę apud Pamelium *pag.* 194.quod idem euenit in Secreta Sabbati post Cineres : diuersæ etiam dictæ tres orationes sunt in Vigilia Epiphanię,sed eas,quibus nos vtimur,habet idem *Sacramentarium pag.* 195. & licèt desint in Codice Coloniensi , non tamèn in alijs . De tempore non adest de cętero discrimen, si quoad ordinem eas excipias Sabbati quatuor Tēporum Quadragesimę:de Sanctis autem,comparatione cùm Sacramentario facta, aliqualis in ordine potius intercedit varietas . Alię orationes,quibus caret *Sacramentorum liber*,habentur apud Alcuinum,&Grimoldum Abbatem , quas idem Pamelius collegit *cit. tom.* 2.Sunt & aliæ à recentioribus pro recentioribus festis editæ , quę facilè cùm antiquis,& Gregorianis collatę dignoscuntur . Elucet enim in antiquis veteris Ecclesię spiritus ; elucet in rebus ipsis apostolica quædam,paucis multa continens,grauitas; atque in sensu,& in collocatione verborum mira quędam cōcinnitas . Quæ mihi de huiusmodi re indiuidualitèr supersunt dicēda, etsi adhùc ritui nostro laudis argumentum faciant , promissæ breuitati inseruiens prætereo .

146 h *Cùm aliæ orationes dicendæ fuerint*.In Codice

dice Gregoriano S.Eligij, vt in codicibus Rodradi, & Ratoldi, atquè in editis, & in ordine Romano, vnica habetur Oratio, seù Collecta in prima parte Missæ ante Euangelium, raró duæ: in codice Remensi duas reperire est, raró vnicam. Menardus ideò *in notis pag.* 6. non ijs assentitur, qui praxim Ecclesiæ Rom. tres, extrà festa duplicia, adhibendi, referunt ad Apostolica tempora. Meritò insuper Sotus *hic* obseruatu necessarium minimè esse affirmat, Collectas dicere numero impari; vt voluit Micrologus *de Eccl. obser. c.* 4. & Radulphus *de can. obser. propos.* 23. cùm tamèn congruum esse Liturgici communitèr censeant, quando in solemnibus memoriæ faciendæ hoc fecerint arbitrium. * Vndè etiam nostrum Missale in speciali rubrica, *de ordine, & numero orationum in missa,* vnam in duplicibus, & suprà, tres aliàs regularitèr dicendas proponit. Numero enim impari gaudet Deus: de quo fusim Innocentius *cap.* 27. & Durantus *cap.* 16. *Vna* itaquè dicitur, ex Micrologo, Radulfo, & Duranto *loc. cit.* proptèr Romanam traditionem, *tres,* quia Dominus ante passionem tèr orasse legitur, *quinque* proptèr quinquepartitam eius passionem, in cuius commemorationem hæc eadem celebramus officia, *septem,* quia & Apostoli petitiones Dominicæ Orationis ad consecrationem eorumdem mysteriorum celebrasse leguntur: *septem* autem non prætergredi ideò proponunt, quòd in illis 7. omnia necessaria corpori, & animæ comprehenduntur.

147 i *Ad per eundem Dominum nostrum IESVM Christum &c.* * Regulam terminandi Collectas habes *in speciali rubrica mox cit.* Orationis ad Deum Patrē directæ terminatio per Filium debita sanè est, quia

ex Apoſt.1.Tim.2.IESVS Chriſtus vnus eſt mediator Dei,& hominum,de quo legitur Ioan.14.*nemo venit ad Patrem,niſi per me*. Per ipſum autem quicquid petimus obtenturi ſumus, iuxtà ipſius promiſſum Ioan.16. *quodcunquè petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*. Vndè Mellifluus l. de amore Dei cap.8. *orationes*,inquit,*noſtras,vota, & ſacrificia,& omnia noſtra offerimus tibi Pater aſſiduè per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum Filium tuum,credentes, & intelligentes, ex te,à te,& ad te per ipſum nobis eſſe, quicquid nobis bene eſt,à quo ipſum eſſe habemus*.Ad rem etiam Tertullianus cap.21.Apolog.*dicimus;& palàm dicimus;& vobis torquentibus lacerati,& cruenti vociferamur, Deū colimus per Chriſtum. Per eum, & in eo ſe cognoſci vult Deus, & coli*. Adde Tertulliano Optatum Mileuitanum dicentem lib.3. *Paganum vocas eum, qui Deum Patrem per Filium eius ante aram rogauerit*, & indè huius clauſulę,*per Chriſtum*,infer antiquitatem.

148 Ad Patrem ideò regularitèr dirigitur oratio,iuxtà Carthaginen.Concil.3.cap.23. *cùm ad Altare aſſiſtitur ſemper ad Patrem dirigatur oratio*. Ad Filium tamèn aliqua (competentia ſenſus,vt notat Micrologus,ſic exigente)dirigitur,ſed nulla ad Spiritū ſanctum,vel quia is donum eſt, & à dono donum non petitur, vt cùm Durando *hic* nonnulli philoſophantur, vel quia,vt inquit Bona *nu*.5. Miſſa repræſentatio eſt eius oblationis, qua Chriſtus ſe Patri obtulit. *Nullum* autèm *præiudicium* (ſcribit Fulgentius Ruſpen.Epiſc.lib.2.ad Monimum cap.5.) *Filio, vel ſancto Spiritui comparatur, dum ad Patris Perſonam precatio ab offerente dirigitur, cuius conſummatio,dum Filij, & ſpiritus Sancti complectitur nomen,oſtendit,nullum eſſe*

in

in Trinitate discrimen essentiæ &c. In qualibet enim conclusione, vt ait Micrologus, commemorationem sanctæ Trinitatis obseruamus, iuxtà quod in emendatioribus Sacramentarijs, eodem teste, expressum inuenitur.

149 l *Coniungat manus, ac reuerentiam exhibeat*, tali distributione; ad *per Dominum nostrum* coniungat manus, ad *IESVM*, reuerentiam exhibeat. Quando proindè non nominatur IESVS, sed oratio finit, *qui viuis, & regnas*, vel *qui tecum viuit, & regnat in vnitate &c.* tunc quidem iungat manus in humilitatis, ac filialis obsequij signum, necnon ad fructum, qui in fine orationis colligitur, designandum, sed à reuerentia abstineat: ità post Castaldum cap. 5. nu. 5. Bauld. *in hanc rub.*

170 m *Capite versus medium Altaris inclinato*. Inclinatio capitis in Missa generaliter fit, quoties nomen IESV nominatur, necnon quando B. MARIÆ,* aut, apud nos, S.P. Dominici mentio fit; sed cùm hoc discrimine: quando nominatur nomen IESV (extrà Euangelium) inclinatur caput versus medium Altaris, hoc est versus Crucem, quæ est signum Filij hominis, & *repræsentat nobis*, vt loquitur D.Th. 3.p.q.25.ar.4. in ô, *figuram Christi extensi in ea* (propter quod, subdit, *etiam Crucem alloquimur, & deprecamur, quasi ipsum Crucifixum*;) quando ideò S. MARIA, aut S. Dominicus nominatur, caput versus medium Altaris inclinare nequaquam debemus, sed versus librum, ex quo legitur: ità Castaldus cap. 6. nu. 2. Gau. Quartus, Bauld. *in hanc rubr.* Quam capitis inclinationem eo profundiorem esse par est, quo maior est excellentia eius, quem nominamus, vt aduertit post

Ca-

Castaldum Quartus *hic*.

151 In fine orationis respondet minister nomine populi, de cuius interesse simul agitur, *Amen*, hoc est, *fiat, sicut postulasti*, cùm aliàs quandoque pro *verè*, & *verum* accipiatur. Vndè Augustinus serm. ad populum contra Pelagianos, *Amen vestrum subscriptio vestra est, consensio vestra est, adstipulatio vestra est*. Theodoretus paritèr in epist. 2. ad Cor. cap. 1. *Non solus Sacerdos orans offert hymnum, sed etiam, qui* Amen *adiungit, est oblatæ glorificationis particeps*. De *Amen*, precibus solito subnecti, meminerunt ex antiquis Patribus Iustinus, Tertullianus, Hieronymus, Ambrosius, quos refert Grauina *præscript. lib.* 4. *ar.* 7. immò Apostolici æui esse patet ex Apostolo 1. *ad Cor.* 14.

152 In *Flectamus genua*. Hic ritus, quem etiam ab Apostolis ad nos deuenisse asserit citans D. Basilium Gauantus *hic*, denotat, ex Durando *l.* 4. *cap.* 15. quod oratio, quæ fit cùm ieiunio ad magnum spiritũ eijciendum, tunc demùm valet, si cùm humilitate fiat; statim autem surgimus ad indicandum, quod qui per superbiam cecidimus, pænitentia, ac Dei gratia roborati, erigimur. Memorat hunc ritum & Basilius lib. de Sp. san. cap. 27. *quoties*, inquiens, *genua flectimus, & rursus erigimur, ipso facto ostendimus, quod ob peccatum in terrã delapsi sumus, & per humanitatẽ eius, qui creauit nos, in Cælum reuocati sumus*. Memorat Cæsarius Arelatensis *hom.* 34. plebem suam admonens, corpora, & corda tunc fidelitèr inclinanda.

153 Interuallum olim erat populi precibus inter *flectamus genua*, & *leuate*, quas tandem veluti colligens Sacerdos per Collectam ad Deum fundebat. Vndè in Codice Remensi apud Menardum *in notis*

pag.

pag. mihi 61. sic legitur: *nuntiat Diaconus flectamus genua, & populus silet*, id est, vt ille explicat, sub silentio preces effundit. Iesse item Ambianensis in Epist. de Baptismo: *postmodum admoneantur a Diacono, orate electi, flectite genua, & postquam orauerint, dicat leuate*: quæ oratio à Populo diutiùs fiebat feria 6. maioris hebdomadæ, vt patet ex Codice Tilliano apud Menardum *ibidem*. * Quibus de cætero præcisè diebus vniuersalitèr diceretur *flectamus genua*, expressum documentum apud Liturgicos non inueni. Qui in Missali Rom. præfixi sunt optimis gaudent congruentijs, quas allegant illius expositores. * Quod Missale nostrum, vti & Cartusianum, nonnisi in Quadragesima, ac in Quadragesima (diebus Dominicis in memoriá Resurrectionis exceptis) per totam, (in quo & cùm Carmel. conuenimus) orationi præmitti iubeat *flectamus genua*, congruentiæ ratio fortasse esse potest, quod illud sit solemnius pœnitentię, ac ieiunij tempus; nec non quòd Christus IESVS specialitèr per Quadragesimam passioni proximus, ac respectiuè deditus memoretur: *tempore* autèm *passionis*, ait de hoc ritu Durandus *hic*, *Christus in oratione genua flexit*.

154 o *Genua flectat*. Genuflexiones in missa an vtroquè, an altero dumtaxat genu faciendæ sint, lis est non adhuc plenè decisa, nec apud Rom. Missalis expositores. Enim verò ly *genuflectat*, quod ponitur in Missali Rom. in rigore vocis significat signum reuerentię, siuè vnico, siuè vtroquè genu fiat. * Rubrica quidem nostra dicens tùm hìc, tum alibi *genua flectat* vtrumquè genu videtur includere, sed cùm in rubricis specialibus, puta ad *Verbum caro* in Credo, ad *procidentes adorauerunt*, ac in *nomine IESV omne genuflecta-*

flectatur in Euangelijs notetur in margine, *genuflectat*, res ad dubium redit. In antiquo autèm Ordinario nihil ad rem nostram habetur *in de Missis priuatis*; in solemnibus dumtaxat *hoc loco* (ab alijs genuflexionibus olim abstinebamus, vt alibi dicetur) dicitur *Sacerdos, & ministri, & Conuentus flectant genua*, quod potest non referri ad vtraquè genua singulorum.

155 Vtrumquè genu flectendum esse ex eo suadent nonnulli, quod vt docet D.Th. *p.2.qu.84.ar.2. in c.* huiusmodi genuflexiones fiunt, *vt per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus* (siuè actum obsequij, siuè orationis simùl, aut pœnitentiæ significent) *excitetur noster affectus ad subijciendum se Deo;* subiectio autem hæc internam, seù spiritualem, vt loquitur D.Th. *ibidem*, adorationem Latriç importat, cui, cùm summa sit, adoratio externa, seù corporalis respondere debet, quæ summa sit, maximis scilicèt humilitatis, ac reuerentię signis expressa, cuiusmodi est genuflexio vtroquè genu: ideò Mardochæus negauit eá in obsequium Aman, vt explicat *ibi* Caiet. Sic olim Regem Salomonem ædificato Templo orasse nos docet Scriptura 3.Reg.8.& 2.Paral.6. & verus Salomon Christus flexis genibus orasse fertur Luc.22. Sic *flecto*, inquit & Apost. *genua mea ad Patrem Domini nostri IESV Christi*. Plura de hac re Castaldus *in praxi Cærem. l.2.sect.1. c.4.* & Quartus *in Commentarijs p.1. tit.17. dub.2.* vbi monet ex Concilio Aurelianensi, ne quisquam vno genu flexo orare præsumat, sicut fecisse leguntur Iudęi irridentes Christum, sed vtrumquè genu terræ figat, vt docet etiam Nauarrus *de orat.c.4.n.15*

156 Alij è contrà alterum tantum genu in Missa priuata à Sacerdote semper flectendum esse existimant,

mant, allegatis rationibus rectè respondentes, signa externa genuflexionum, inclinationum &c. esse indifferentia ad Latriam, vel alium cultum, inferiorem, etiam ciuilem ; determinari verò ab intentione adorantis. Nequè enim Deus, vt docet August. *de cura pro mort. c.* 5. indiget his indicijs, vt humanus ei pandatur animus, sed his magis seipsum excitat homo : aliàs autèm genuflexio vtroquè genu esset sacris operanti incommoda: ità cum alijs Gauantus *p.* 1. *tit.* 17. plura de hac re Sarnellius in Commentarijs Romani Ritus pro Missa priuata parte 1. §. XVI.

157 * Huic secundæ sententiæ praxis iàm iàm communis etiam Carmel. adhæret, ideòquè vsitandã, (vsquequò alitèr ab ijs declaretur, ad quos spectat de iure) propono. Cùm enim genuflexionum vsus in Missa à Missali Rom. reformato ad nostrum deuenerit, vt dicetur, in accessorijs etiam eidem conformari par est. Non displicet tamèn, quod ait *loc. cit.* cùm Castaldo Quartus, vbi cùm docuerit vtrumquè genu flectendũ, quando aliqua morula intercedit, vnicum, quando nulla, concludit, *ostentatio ex vna parte, & singularitas fugienda est, ex altera torpor, & negligentia, & tandem quilibet sequi debet probatam consuetudinem suæ Ecclesiæ.*

TI-

TITVLVS XI.

De Epistola.

RVBRICA.

a *Cancellatis manibus super librum, aut super Altare firmatis, legat* b *Epistolam*.

NOTÆ.

158 *a* C*Ancellatis manibus super librum:** sic & iussit Capitulum generale Romæ 1565. & Valentiæ 1596. Peculiares in hoc sumus, & fortasse præsignamus studium ex proposito, quo Prædicatorũ Ordo sanctæ prędicationis gratia (quam Epistola, vt mox dicemus, significat) Prophetarum, atquè Apostolorum doctrinæ maturo scrutinio debet insistere,

158 * Prætereà Epistola, vt infrà videbimus, idẽ est ac *supermissio*, vel *supererogatio*: benè ergo illius lectioni congruit manuum supermissio; quia etiam mysticè exprimitur operum supermissio, ac supererogatio, (opera enim, ex D.Th. *hic ar*. 5. *ad* 1. manibus attribuuntur) quę prædicationis officio deditos maximè decet. Ordo namquè Prædicatorum, vt notat noster Maluenda *in annalibus*, per illum Stabularium intelligi potest, cui Samaritanus, hoc est Christus, cõmisit hominem, hoc est genus humanum, à Latronibus, hoc est Mundo, Dęmonio, & Carne, spoliatum, vul-

neratum, ac semiuiuum, à peccato, relictum, & cui *protulit*, Lucæ 10. *duos denarios*, hoc est talenta prędicationis in spiritu duplici, *& ait; curam illius habe*, frangendo ei panem vitæ, *& quodcumquè supererogaueris*, per opera, *ego cùm rediero* rationem ponere, *reddã tibi*, supra multa te constituens, in gaudio Domini tui: *qui* enim *fecerit, & docuerit* (Matth. 5.) *hic magnus vocabitur in regno Cælorum*.

159 b *Legat Epistolam*. Quàm merito orationẽ, seù Collectam Epistola sequatur ex illo Lucę 10. arguere est: *rogate Dominum messis, vt mittat operarios* (hoc est Prędicatores) *in messem suam*: pręponitur autèm Euangelio Epistola, etsi inferior dignitate, quia antiquior est, atquè, vt obseruat Sotus *hìc*, & Christus Dominus Apostolos binos ante faciem suam misit, vt per Epistolas eos præpararent, quibus annunciaturi erant Euangelium. Aliàs etiam rectus procedendi ordo exposcit, vt ex minoribus animus audientium ad maiora sentienda proficiat, & gradatim ab imis ad summa conscendat.

160 Proptereà D. Thomas hìc *secundo*, prosequitur, *præmittitur instructio fidelis Populi; quia hoc Sacramentum est mysterium Fidei* (vt in forma consecrationis Calicis habetur,) *quæ quidem instructio dispositiuè fit per doctrinam Prophetarum, & Apostolorum, quæ in Ecclesia legitur per Lectores, & subdiaconos*. Idem insinuat Apostolus 1. Cor. 14. *Cùm conuenitis vnusquisquè vestrum psalmum habet, doctrinam habet*; ideòquè Tertullianus lib. 2. ad vxorem cap. 6. *fomenta Fidei* hanc scripturarum interiectionem, siuè, vt Pamelius legit, interlectionem, appellat.

161 Huiusmodi doctrina *Epistola* greeè, latinè

super-

supermissio, vel *supererogatio* dicitur, ab *Epi*, quod est suprà, & *stolon*, quod est missio, vt aduertunt Durandus, & Turrecremata *hic*. Est enim Epistola missa suprà, siuè vltrà Testamentum vetus, & Euangelium, vt explicant Alcuinus, Hugo, & Gauantus p. 1. hic. *Epistola dicitur*, inquit Turrecremata, *supermissio, quia, sicut Prophetiæ super legem, sic super Euangelium sunt Epistolæ missæ: vndè non solum Epistolæ, sed & loco earum Prophetiæ leguntur, ambæ sunt legum supermissiones, sed illæ veteris legis, hæ noua &c.*

162 Sotus *hic*, vbi Epistolæ nomenclaturam lectioni, quæ Euangelio præmittitur, indè tributam asseruit, quod frequentiùs ex Paulo, atquè alijs Apostolis sumitur (cui subscribit Bona l. 2. c. 6.) *lectio autem hæc*, subdit, *quasi Præcursoris officium est*, Ioannis nempè præuia prędicatio, qua Euangelio Christi auditores præparauit, secundùm quod legitur; *fuit homo missus a Deo &c.* & de se ipso ille testatur, *ego vox clamantis in deserto: parate viam Domini.* Subdiaconus ideò, vno tantùm comite Accolyto, Epistolam legit, quia, vt exponit Durandus *hic*, prædicationem Ioannis pauci secuti sunt; tuncquè Subdiaconus faciem vertit ad Altare, per quod Christus denotatur, quia Ioannis pradicatio se, & alios dirigebat in Christum. Sed hęc in Missa solemni, de qua specialem fortasse tractatum aliàs exponam. Ea nunc prosequamur, quę sunt huius loci. Ex veteri etiam Testamento Epistolæ desumptæ pradicationem Ioannis adhùc exprimunt, cùm ad vtrumquè ille spectaret, medius inter Prophetas, & Apostolos, atque, vt inquit Innocentius *limes præcedentium, & subsequentium*: prętereaquamquod, vt inquit Iustinus Martyr. q. 101. *quid est lex? Euan-*

gelium, quod prædictum est. Quid Euangelium? Lex, quæ completa est.

163 Epistolæ lectione in missa vsos fuisse primos Apostolorum successores patet ex Dionysio initio cap. 3. Eccl. Hier. vbi ordinem Liturgiæ describens, *consequenter*, ait, *sacrarum Scripturarum lectio recitatur*; quæ & præcipitur in Iacobi, Basilij, Chrysostomi, aliorumquè peruetustis Liturgijs, & eandem memorant Tertullianus *loc. cit.* atquè *in Apol. c. 39.* Iustinus Martyr. Apol. 2. & cùm alijs Augustinus lib. 3. de Ciu. Dei, & alibi pluriès. Habetur insuper in Apostolicis constitutionibus *l. 2. c. 57. & cap. omnes fideles de consc. dist.* 1. vt contrà Hugonem Anacleto eam attribuentem, notat Sotus *hic*. Vndè infertur Apostolicæ traditionis esse; quod non obscurè deducitur ex mox cit. textu Apostoli 1. Cor. 14. *cùm conuenitis vnusquisquè vestrum psalmum habet, doctrinam habet*, quem de psalmis, & lectionibus antè Sacrificium quidam interpretantur; & expressius adhùc colligitur ex illo Coloss. 4. *Cùm lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite, vt in Laodicensium Ecclesia legatur, & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis*; nec non 1. Thessal. in fine, *adiuro vos per Dominum, vt legatur Epistola hæc omnibus sanctis Fratribus*: quam lectionē Missæ reseruatam fuisse ex eo maximè verisimile fit, quod periculosis illis temporibus extrà missarum solemnia publicos Conuentus in Ecclesia factos nusquam legimus.

164 Hæc quidem de Scripturarum lectione, quæcunquè illa fuerit. Sed distinctionem, ac certam distributionem singulis diebus per annum huiusmodi lectionum, vti & Euangeliorum, S. Hieronymum Missæ Rom. assignasse, Damasi Papæ auctoritate statim com-

comprobatam,constat ex libro eiusdem D.Hieronymi,qui inscribitur *comes,seù Lectionarius*, edito apud Pamelium *tom.2.Ritualis SS.Patrum pag. mihi 1.vsquè ad 59.* quem tanquam germanum D. Hieronymi fętum agnoscunt rerum Liturgicarum maioris notæ scriptores Alcuinus, Amalarius, Berno Augiensis, Radulfus, Hugo à S. Victore, alijque communitèr apud eundem Pamelium in præfatione *tom.1. Ritualis, nec non tomo 2.in prolegomen.*

165 *Ex hoc D.Hieronymi Comite,siuè lectionario(prout extat in codice Donatianico) haud dubie huiusmodi lectionum, atquè Euangeliorum ordo cõmunitèr exceptus fuit;sedprę ceteris exactè nostro Ordinario insertus postmodum retentus est vsque ad annum 1682. quod palam fit Ordinarium ipsum dicto lectionario conferenti. Dixi,*prout extat in Codice Donatianico*, quia nonnullæ quidem lectiones, atquè Euangelia Ordinarij discrepant à dicto lectionario apud Pameliũ, sed illa non discrepant à Codice Donatianico, & aliquando nec à Coloniensi,vt notat *in margine* idem Pamelius,quem vide pag. mihi 5.8.15.17. 19.35. Nolo enim pluribus rem prosequi,quæ iàm transijt in iudicatam, ex quo Patres in capitulo generali Romę 1601. congregati optimam partem eligentes Missale nostrum, quoad ordinem Epistolarum,atquè Euangeliorum Romano Missali reformato totalitèr in Missis de tempore, & in Missis de sanctis, quantùm diuersa maior, aut minor,pro affectionum diuersitate, celebritas concessit, conformarunt. Sicquè Clementis VIII. cuius memoria in benedictione est,mentem paternam filij obsequentissimi impleuerunt, & simul consultum fece-

M 3 runt,

runt, vt sanctæ prędicationi operam ex instituto nauantibus Epistolæ, atque Euangelia argumentum suppeterent, quæ iàm in Ecclesijs vniuersalitèr legebantur.

165 Si nihilominus Epistolæ nomen latè sumamus, hoc est quatenus lectionem etiam Propheticam vltrà Epistolam amplectitur, non ità Missale nostrum Romano conformatum est, vt aliqualitèr adhùc non differat, ideòquè cum antiquo Ordinario conueniat. In nostro enim Prophetica lectio aliquando præponitur Epistolæ, cuiusmodi est in Vigilia Natàlis Domini *lectio Isaiæ 62. Propter Sion non tacebo &c.* in Natiuitate Domini ad Missam in nocte *lectio Isaiæ 9 Populus, qui ambulabat in tenebris &c.* & ad Missam in Aurora *lectio Isaiæ 61. Spiritus Domini super me &c.* quibus caret Missale Rom. extant autem pro his diebus præscriptæ in dicto Lectionario D. Hieronymi apud Pamelium: atquè easdem habet etiam Missale Carmelitanum, necnon Cartusianum, quod nec de cętero ità exactè Romano conformatum est, vti nostrũ. Easdem insuper lectiones tũ in Vigilia Natiuitatis Domini, tùm in duabus Missis primis eiusdem festiuitatis, tùm in Missa maiori (quam & habent nostrum, Cartus. ac Carmel. Missale) habebat olim Missale Romanum teste Radulpho *prop 23. antequam scilicet Fratres minores Rom. ritum immutarent*, vt addit Bona *l. 2. c. 6. n. 3.* Lectioni vero Epistolę Propheticã lectionem præmittendi peruetusta fuit multàrum Ecclesiarum consuetudo, vt asseuerat Menardus in *notis pag. mihi* 368. testimonio innixus S. Gregorij Turonensis *lib. 1. Miraculorum S. Martini cap. 5.* nec non Georgij Pachymeris *in paraphrasi ad S. Dionysij caput*

3. *Eccl.*

3.*Eccl.hier.* qui adhùc mos ab Ecclesia Mediolanen. quotidiè seruatur, itemquè à Mozarabica:

167 In Sabbato quidem sancto nostrum, ac Cartusianum Missale discordant à Romano, atquè à Lectionario, cùm in his duodecim lectiones, in nostro, atquè Cartusiano nonnisi quatuor præscribantur; sed Pamelius pag. 23. sic notat. *Etsi Micrologus c.53. duodecim lectiones hoc Sabbato legendas dicat, iuxta veterē tamen Ordinem Romanum nonnisi quatuor lectiones legi solere patet l. Sacrament. 1. Quare rectè Donatianici Codices 4. dumtaxat lectiones habent, nempè*. In principio &c. Factum est in Vigilia matutina &c. Apprehendet septem Mulieres &c. & Hæc est hæreditas: quales habentur in Missali nostro, ac Cartusiano, quibus accedit & Carmelitanum. Idē habetur in tribus his Missalibus Sabbato in Vigilia Pentecostes, & idem notat Pamelius: *etiam hic solum 4. habent lectiones Codices Donat. nempe, Tentauit Deus; scripsit Moyses canticum; Apprehendent septem; & Audi Israel mandata vitæ*. Hæc libasse sufficiat. Missale verò Rom. reformatū in hac etiam re cæteris præstare minime dubitemus, recolentes, quę tit. 7. litt. H. nu. I. diximus. Repetere tamē cùm Ambrosio liceat, quod *alibi rectius seruatur, & nos recte custodimus*.

TI-

TITVLVS XII.

De Responsorio, seù Graduali Alleluia, Tractu, & Sequentia.

RVBRICA.

a *In fine Epistolæ eleuet manus, & coniunctas teneat vsquè ad Euangelij prolationem, ad* b *Responsorium,* c *Alleluia, vel* d *Tractum, &* e *Sequentiam, si dicitur.*

NOTÆ.

168 a IN *fine Epistolæ,* ritu Romano respondet minister *Deo gratias* (vox à priscis etiã fidelibus, præcipuè à Monachis passim vbiquè vsurpata, vt patet ex August. *in psal.* 132. & ex S. Benedicto *cap. 66. suæ regulæ*) optimè quidem, vt gratiæ Deo de doctrinę suę pabulo præstito agantur; sed olim vniuersali ritu in Missa vsitatum hoc loco fuisse, expressum documentum apud antiquos Liturgicos non legi. * Nil ergo mirum sit, nostro, ac Cartusiensi ritu omitti; nec fortasse irrationabiliter fit, si Responsorium, quod Epistolæ immediate subnectitur, consideretur tanquàm responsio ad ea, quæ in Epistola dicta sunt; de quo mox.

169 b *Responsorium.* * Sic titulatur etiam in Antipho-

tiphonario Gregoriano id,quod Epistolam regularitèr sequitur;quia,vt ait Turrecremata *ad reg.S.Benedicti tract.66.* & Durandus *hic*,se habet vti responsio ad ea,quæ in Epistola lecta sunt ; ideòquè,prout in Epistola agitur de gaudio,vel mestitia , ità & in Responsorio,ne possit nobis improperari,*cantauimus vobis.& non saltastis,lamentauimus,& non plorastis* . Expressius Hugo de S. Victore in speculo Ecclesiæ c.7. *Responsorium* indè,ait,*nominatur , quod assensum significat auditorum &c.*

170 Responsorium à Missali Rom. Graduale sinonimè vocatur pro distinctione aliorum extrà missam,quia hæc vbicumquè , illud verò cantabatur olim simùl ac Diaconus ascendebat gradus pulpiti , vndè enunciaturus erat Euangelium , vt placet nonnullis,seù quia verè canebatur in gradibus siuè Altaris,vti non pauci affirmant cùm Soto *hic*,siuè pulpiti, vti ex Ordinario Rom.probat Bona *l.2. cap.6.nu.4*, quod fiebat,vt gradus propriæ professionis designaretur,dicente psalm.*distribuite gradus eius,vt enarretis in progenie altera* .

171 Ad gradus non ampliùs Responsorium dicitur , è voce nihilominus morale excipere documētum ne desinas.*Post quam lectionem* , (prosequitur D. Thomas hic,)*cantatur à Choro Graduale , quod significat profectum vitæ.*Ruminantes enim (vt exponit Sotus)quod lectum est,recordamur,& recordando dulcitèr correspondemus, quasi lectione proficientes,visuri in doctrina Euangelij Deum Deorum in Sion juxtà illud Psalmi 83. *ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum &c. dabit benedictionem legislator &c.* Ad rem Rabanus l.1. de instit. Cleric.c. 33.

TITVLVS XII.

De Responsorio, seù Graduali Alleluia, Tractu, & Sequentia.

RVBRICA.

a *In fine Epistolæ eleuet manus, & coniunctas teneat vsquè ad Euangelij prolationem, ad* b *Responsorium,* c *Alleluia, vel* d *Tractum, &* e *Sequentiam, si dicitur.*

NOTÆ.

168 a IN *fine Epistolæ*, ritu Romano respondet minister *Deo gratias* (vox à priscis etiã fidelibus, præcipuè à Monachis passim vbiquè vsurpata, vt patet ex August. *in psal.* 132. & ex S. Benedicto *cap.* 66. *suæ regulæ*) optimè quidem, vt gratiæ Deo de doctrinę suę pabulo præstito agantur; sed olim vniuersali ritu in Missa vsitatum hoc loco fuisse, expressum documentum apud antiquos Liturgicos non legi. * Nil ergo mirum sit, nostro, ac Cartusiensi ritu omitti; nec fortasse irrationabiliter sit, si Responsorium, quod Epistolæ immediate subnectitur, consideretur tanquàm responsio ad ea, quæ in Epistola dicta sunt; de quo mox.

169 b *Responsorium.** Sic titulatur etiam in Antipho-

tiphonario Gregoriano id,quod Epistolam regularitèr sequitur;quia,vt ait Turrecremata *ad reg.S.Benedicti tract.66.* & Durandus *hic*,se habet vti responsio ad ea,quæ in Epistola lecta sunt; ideòquè,prout in Epistola agitur de gaudio,vel mestitia,ità & in Responsorio,ne possit nobis improperari,*cantauimus vobis:& non saltastis,lamentauimus,& non plorastis*. Expressius Hugo de S. Victore in speculo Ecclesiæ c.7. *Responsorium* indè,ait,*nominatur, quod assensum significat auditorum &c.*

170 Responsorium à Missali Rom. Graduale sinonimè vocatur pro distinctione aliorum extrà missam,quia hæc vbicumquè, illud verò cantabatur olim simùl ac Diaconus ascendebat gradus pulpiti, vndè enunciaturus erat Euangelium, vt placet nonnullis,seù quia verè canebatur in gradibus siuè Altaris,vti non pauci affirmant cùm Soto *hic*,siuè pulpiti, vti ex Ordinario Rom.probat Bona *l.2. cap.6.nu.4*, quod fiebat,vt gradus propriæ professionis designaretur,dicente psalm.*distribuite gradus eius,vt enarretis in progenie altera*.

171 Ad gradus non ampliùs Responsorium dicitur, è voce nihilominus morale excipere documētum ne desinas.*Post quam lectionem*, (prosequitur D. Thomas hic,)*cantatur à Choro Graduale, quod significat profectum vitæ*.Ruminantes enim (vt exponit Sotus)quod lectum est,recordamur,& recordando dulcitèr correspondemus, quasi lectione proficientes,visuri in doctrina Euangelij Deum Deorum in Sion juxtà illud Psalmi 83. *ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum &c. dabit benedictionem legislator &c.* Ad rem Rabanus l.1. de instit. Cleric.c. 33.

33. Graduale mysticè dicitur à gradibus humilitatis, vtpotè illi conueniens, qui nec dum ascendit de virtute in virtutem, sed adhùc in valle lachrymarum positus, iàm tamen ascensiones in corde suo disposuit.

172 Propterea per Graduale, seù Responsoriũ Præcursoris humilitas denotatur, vt placet Porrectę, seù pænitentia, cui se Populus dedit post Ioannis prædicationẽ, *parate vi i Domini*: Ma. 3. *facite fructũ dignum pænitentiæ*, ex Rup. l. 1. cap. 32. ac Titelmano *hic*. Proptèr quod addit Titelmanus, diebus Paschalibus vsquè ad Pentecostem de officio tolli, & *Alleluia* subrogari, quia tempus illud remunerationis statum designat, iuxtà illud psalmi *lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti &c.* Mystice tandem Responsorium, seù Graduale ad Apostolorum responsionem referri potest, ex Sarnellio *in Schola Animæ pag. 72.* quos post Ioannis prædicationem Christus Dominus vnum post alterum vocauit; ipsi autem statim secuti sunt eum.

173 Responsoria ab Italis inuenta esse refert Isidorus *lib. 1. off. cap. 8.* sed à quo præcisè, & quo tempore, nec ille dicit, nec aliundè satis constat. Illa S. Ambrosium in Ecclesiam Mediolanensem induxisse, & inde in Romanam, aliasque dimanasse contendit Septala *lib. cit. ca. 20.* neque obstat illorum meminisse Augustinum *serm. 8. &* 10. *de verbis Domini*, quia ab Ambrosio genitus per Euangelium, ab eodem ritus etiam exceptos in Ecclesiam transtulit Hipponen. Eorundem tamen primum institutorem Gelasium alij faciunt, Cælestinum alij. Hoc certum est Gregorium Magnum de anteà congestis Responsoria, nec non Alleluia cum versiculo, & Tractus per ordinem

nem in suo Antiphonario digessisse, quæ in singulis Missis dici per annum solent, vt patet ex deductis *tit. 7. litt. H. nu.* 71. * Et sane ex dicto Antiphonario excepta fuisse Responsoria, vti & Alleluia, ac Tractus Missalis nedum Romani, sed & nostri, Cartusiani, ac Carmelitani, facta à me collatione, manifeste intellexi, licet in ordine aliquando diuersitas non desit, ex diuersitate exemplarium fortasse dimanata; paucissima tamen est quoad Responsoria (in Alleluia maior quædam reperitur, pauca in Tractibus) aliquando dictorum Missalium inter se, aliquando eorundem à dicto Antiphonario. Plura, quæ de hac re in fauorem etiam nostri Missalis, ex Pamelio præcipuè, collegeram, breuitati indulgens omissa facio. Vt demus de cætero iuxtà Apostoli monitum *cui bonorem bonorem*, recole dicta tit. 7 litt. H. n. 76.

174 c *Alleluja*. Successiue *cantatur* (prosequitur hic D. Thomas) *Alleluja, quod significat spiritualem exultationem*, habitam de spe ęternorum, inquit Durandus cap. 21. Ex duabus namque Hebraicis vocibus conflatum *Allelu, ja*, quod in sententia magis accepta latine sonat, *laudate Deum*, laudem propriam Dei continet, non vtcunque, sed cum plenitudine gaudij, & exultationis, qualis est in Patria, ex eodem D. Th. *in c.* 19. *Apocal*.

165 Et quia in Patria duplex nos glorificatio expectat, animæ scilicet, & corporis bis (* in minoribus festis, vt in rubrica speciali post communes, semel nos dicimus ante versum, ac post repetimus) dicitur *Alleluja*, vti & supernarũ Virtutum chori Apoc. 19. *iterùm dixerunt Alleluja*. Immò tertiò, post versũ, *Alleluja* repetitur, vt laus exprimatur Deitatis in tribus

bus Personis, nec non vt in trino perfectio designetur, qua exultando in Patria fruuntur Beati. In Missis ideò solemnibus notis prolixis, quas Neumas, siuè neumata Patres vocant, *Alleluja* prosequimur, de quibus Rupertus l.1.off. c.25. *vnam breuem dignis sermonis syllabam in plures neumas protrahimus, vt iucundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur illùc, vbi sancti exultabunt in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis:* & signanter *solemus* (inquit D. Bonauentura l.de exp.Mis.c.2.) *longam notam post Alleluia super hãc litteram A prolixiùs decantare, quia gaudium Sanctorum in Cælis interminabile, & ineffabile est.*

176 Hinc facile agnosces meritò, post enunciatum in Diuinarum Scripturarum lectione Regnum Cælorum, Responsorio, seù Graduali, per quod cum D.Th. *profectum vitæ*, per pęnitentiam in spem futuri comparandum, diximus significari, subnecti *Alleluja*; scriptum namquè est: *facite fructus dignos pænitentiæ appropinquabit enim Regnum Cælorum.* Porrecta verò, qui in Graduali Pręcursoris humilitatem in prædicatione ostensam recoluit secundum illud, Io.3. *illũ oportet crescere, me autẽ minui*, & alibi, *cuius nõ sũ dignus &c.* in Alleluja eiusdẽ charitatẽ agnoscit, de ijs iubilantis, quę de Christo mirabilia audiebat, vt ipse testatus est *Amicus sponsi gaudet propter vocem Sponsi.*

177 Dixi cęlestis Beatitudinis spem per Alleluja pręsignari, addo hanc in Discipulis conceptam, ex quo in Fide Resurrectionis roborati, ac diuina informati Charitate illius sese sequelæ manciparunt, secundum quod psallebat Dauid: *inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.*

178 Nobilissimi huius cantici auctorem facit David Regem Cassianus in Psal. 164 *hoc verbi decus,* inquit, *à præsenti psalmo fecit initium. Hoc Ecclesijs vetiuum, hoc sanctis festiuitatibus accomodatum &c.* Extat etiam in libro Tobiæ *cap.* 13. At in Ecclesiam sub ipsius initia è Cęlis descendisse ex cap. 19. Apocalypsis colligitur. *Est Alleluja,* (inquit Augustinus in psalm. 106. apud Durantum hic) *& bis Alleluja, quod nobis cantare certo tempore solemniter moris est, secundũ Ecclesiæ antiquem traditionem.* Et antiquitus, teste Hieronymo Epist. 27. ad Eust. ità vsuale erat, vt Monachis ad diuina congregandis, ante Nolarum vsum, in officium Nolę assumeretur: plura de hoc Card. Bona *de diu. Psal. cap.* 16. §. 7. *&* Macrus *in Hierol. V. Alleluja.*

179 In Missa etiam ab Ecclesiæ primordijs hoc canticum fuisse adhibitum ex eo deducitur, quod extat in Liturgia S. Petri; sed Damasum à Hierosolymis in Rom. Ecclesiam transtulisse colligit Sotus *hic* ex D. Gregorij verbis l. 7. Epist. 63. *vt Alleluja hic diceretur, de Hierosolimorum Ecclesia, ex B. Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum;* quod tamen ità alij intelligunt, vt anteà Dominicis tantum, ac 50. post Domini Resurrectionem diebus (quo adhùc tempore *Alleluja,* & Responsorijs omissis, plena sunt omnia) hoc canticum diceretur, ex Augustino *in Epistolis* 86. *&* 119. tunc autem sancitũ fit, vt etiam extrà id temporis frequentaretur.

180 A D. Gregorio *All.* cũ suis versiculis in Antiphonario toties citato, seù apposita, seù disposita per annum fuisse, atquè ex eodem desumpta in Ecclesia Rom. perseuerasse dictum est *litt. B. nu.* 173. nec

non

non *in .7. num.71. & infra.*

181 In latinam verò linguam translatum minimè fuit, ob sanctiorem auctoritatem, vt inquit post Augustinum Isidorus l. 1. *off. cap.* 13. quasi verbum, addo ex Innocentio *bic*, è Cęlo per Spiritum Sanctũ delapsum. Congruit aliàs, vt peregrinum ab hac vita gaudium peregrinum vocabulum designaret potiùs, quàm exprimeret, ex Titelmano *cap.* 22. post Rupertum l. 1. cap. 35. Pręterea sicut titulus Crucis terna lingua scriptus fuit, vt notat *hoc loco* Sotus, ità decet in Missa, quę idem Crucis Sacrificium repræsentat, præter Latina, Gręca non deesse, nempè *Kyrieeleison*, non deesse Hebraica, nempè *Alleluja, Sabaoth, Osanna, & Amen:* sicquè simùl *omnis lingua cõnfiteatur, quia IESVS Christus in gloria est Dei Patris*. Quæ tres linguæ, vt notat *hic* Turrecremata, omnes alias pręcellunt, Hebraica proptèr Legem, Græca propter sapientiam, Latina propter Regnum.

182 Silentio præterire hìc nolo, quod docet B. Albertus Magnus *de Sacrif. Missæ cap.* 5. In diebus quatuor temporum per annum meritò omittitur *Alleluja*, quia instituti à primitiua Ecclesia sunt, vt sicut quatuor sunt anni partes, ità in eisdem fiat per ieiunium purgatio, Hyeme, Vere, Estate, Autumno; & sicut tribus mensibus quæquè anni pars constat, ità tres dies ieiunij sint ad ratam trium mensium; & bene feria 4. qua factum est Concilium contrà Christum, seù qua Christus traditus est; feria 6. quia crucifixus; Sabbato propter tristitiam Apostolorum mortuo Christo. Quæ omnia mærore plena cantico *Alleluja* non consonant. In 4. tamen temporibus Pentecostes, ait B. Albertus *ibi*, Alleluja cùm gaudio dicitur; quia

quia tunc ieiunium est exultationis, non afflictionis; quia sicut dicit Gregorius, causatur ex hoc, quod Spiritum tunc ad ebrietatem, & repletionem acceperunt Sancti, ex quo de cibo corporali venerunt in tædium, meliùs interiùs saturati de Sancti Spiritus dulcedine &c.

183 *e Vel Tractum*. D.Thomas ità prosequitur: *vel cantatur Tractus in Officijs luctuosis, qui significat spiritualem gemitum. In Septuagesima* enim vsquè ad Pascha, explicat Sotus, *quo tempore exilium Adæ e Paradiso, & Babylonicam captiuitatem commemoramus* (peregrinationis correlatiuam, ac captiuitatis, in qua præsens nos vita miserabilitèr detinet, ex Titelmano *hic*) Alleluja *non canitur, sed vt est in psalmo* 136. suspendimus organa nostra; *vt captiui illi dicebant*, quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? *Sed loco* Alleluja *canitur* Tractus, *sicut & in missis defunctorum, quasi alta, prolixaquè suspiria, & lamenta trahendo, iuxtà illud psalmi* 119. *heù mihi, quia incolatus meus prolongatus est*.

184 Dicitur namquè Tractus à verbo latino traho, cùm protrahere vocem sit dare signum lamentationis, ex Macro *in Hierolexico V. Tractus*; licèt aliàs Tractus dicatur, quod tractìm, grauitèr, notatumque prolixo decursu cantetur, ex Duranto *lib. 2. cap. 21.* Quod si ex verbis, quibus Tractus concipitur, argumentum lætitię potiùs, quàm mœroris aliquãdo exhibetur, hoc est, ex Durando, quia quandoque lachrymæ intercedunt, ratione supremi gaudij, ex irriguo superiori: de quo irriguo superiori, & inferiori plura S. Gregorius *l. 3. dial. c. 34.*

185 Mysticè per Tractum designatur, ex Durando

do *hic*, quod gaudium sanctorum in via plenum, & cōtinuum non est, sed sepè interrumpitur; quod in Apostolis Christi sequelæ iam deditis euenit, secundum quod scriptum est, *transiuimus per ignem, & aquam*; & alibi, *ecce dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum*; hoc est, explicat noster Oleaster, *per Calicem passionis*.

186 Quæres, cur à Septuagesima vsquè ad Pascha, cùm non omittatur *Gloria in excelsis*, quod etiam Dei laudem continet, ac spiritualem exultationem redolet, prętermittatur tamèn *Alleluja*, Tractu subrogato? Respondet Hugo, & Turrecremata *hic*, maiorē lætitiam, & laudem Dei designare *Alleluja*, quam *Gloria in excelsis*, vt patet ex mox deductis. Sic & in Missa Innocentum, atquè dicto tempore in Horis Canonicis, loco *Alleluja*, dicitur *laus tibi Domine &c.* quę voces ęquiualentes licet videantur, non sunt; quia in illa laus est superna, seù qualis in Patria, in hac nonnisi humana.

187 Tractus verò auctorem Cælestinum credidit Berno *de off. Missæ cap.* 25. Gelasium Rupertus l. 2. *off. cap.* 21. Telesphorum Durandus *hic*. Ex regula quidem S. Benedicti cap. 15. habetur, antę S. Gregorium nonnisi in Quadragesima Alleluja dimitti solere; sed ex Antiphonario S. Gregorij totiès allegato statutum sanè constat, *Alleluja* omittendum esse Dominica Septuagesimæ; cùm ibi pro *Alleluja* tunc ponatur Tractus aliquot versibus, & interdum integro psalmo constans. Cuius psalmi meminit Augustinus *serm. 7. de verb. Apost. Apostolum* (idest Epistolam) *audiuimus, Euangelium audiuimus: consonant omnes diuinæ lectiones:* & latiùs *serm.* 10. *nec non de verbis Domini*

mini ser. 33. & 49. Psalmi ante Euangelium meminit.
188 * In Tractibus, vt alibi dictum est, nostrum Missale concordat cùm Romano, vix vtrumquè discrepat ab Antiphonario D. Gregorij. * Dubium superstat, an ad Tractum *adiuua nos Deus &c.* in Quadragesima genuflectere Ritu nostro, vti in Rom. Miss. reformato dicitur, debeamus. Ciantes *in Caerem. l. 3. p. 2. cap. 3.* affirmat, conformitati cùm Ritu Rom. de more inhærens. Sed cùm in Missalibus nouissimis, vbi ex professo de genuflexionibus in Missa à celebrante faciendis agitur, de hac mentio nulla sit, in hoc crediderim Ritum nostrum quoad Celebrantem in antiqua simplicitate relictum fuisse.
189 *Et Sequentiam.* Notę, quę post Alleluja in Missis solemnibus sine verbis cantantur, quibus iubili, seù iubilationis nomen antiqui tribuerunt, Sequētia ab alijs ob id dictæ sunt, quod sunt quædam veluti sequela, & appendix cantici *Alleluja*, vt patet ex Ordine Rom. atquè ex Amalario *l. 3. cap. 16.* Ex quo ideò Prosæ, seù Rythmicæ modulationes post Alleluja loco dictæ sequelæ psalli cæperunt, modulationes ipsæ Sequentiæ dictę sunt. *Iubili, seù neumata,* ait Radulfus Tungrensis prop. 23. *de Alleluia resecandi non sunt, nisi cùm illorum loco Sequentiæ decantarentur.* Hugo paritèr Victorinus de myst. Eccl. cap. 7. *quando sequentia dicitur posterius Alleluja non habet pneuma, sed chorus loco eius Sequentiam concinit:* eadem habet Guibertus Tornarensis *l. de off. Episc. c. 23.* apud Bonam *hic.* Hac ratione, vt notat Durandus c. 22. quando omittitur *Alleluja*, prætermittitur etiam *Sequentia.*
188 * Hac eadem fortasse ratione antiquum Ordinarium lib. 2. *in de Missis priuatis*, in Missis quæ

 cùm

cùm cantu non celebrantur, hoc est in Missis priuatis Sequentiam omitti iusserat; cui tamèn per rationabilem praxi vniuersali iàm conformem cõsuetudinem, lege tandem firmatam (in Missali enim Xauierre Sequentia dici iubetur) derogatum in hoc est.

190 Est enim Sequentia canticum & ipsa spiritualis exultationis, per quod, verbis saltèm, mirabilis Deus præcipuè in Sanctis suis, seù etiam nunquàm satis effabile Paradisi bonum præparatum iustis exprimitur. Neuma quidem vox non significatiua cantici Alleluja *statum illum*, vt loquitur loc. cit. Amalarius, *ad mentem nostram reducit, quando non erit necessaria locutio verborum; sed sola cogitatione mens menti monstrabit, quod retinet in se*. Sed in Festis solemnioribus Sequentia vocis significatiuæ non expers meritò subrogatur, *ad notandum*, inquit Durandus hìc, *quod in illa magna festiuitate vitæ æternæ iubilus scietur*. Solent tamèn in Sequentijs, præcipuè antiquis, verba incognita, & inusitata intercedere, tùm quia modò *Cæli gaudium secretum, atque incognitum mortalibus est, tùm quia nobis incognitus est modus laudandi Deum in Patria*, ex Durando. Mystica, quæ de cætero Sequentia inuoluit, deducta habes litt. C. nu. 165.

191 Sequentias primò composuisse Abbatem S. Galli in Theutonia Notgerum nomine censet cũ Radulfo prop. 23. Durando, & alijs communitèr Sotus *hic*, addens cum eisdem, earumdem vsum à Nicolao Papa Missæ concessum fuisse. Verumtamèn Sequentias etiam cõposuisse, atque adhibuisse Gelasiũ, Gregorium, aliosquè Patres, qui longo interuallo Nõtgerum præcesserunt censet Durantus *de rit. Eccl. li. 2. cap. 22.* nec non Cornelius Schultingus *tom. 1. p. 2*

cap. 6.

cap.6.& 7.*Bibliothecæ Ecclesiasticæ*,vbi de Sequentiarum auctoribus iudicium suum fusim profert.

192 A Romano Missali reformato quatuor dũtaxat proponuntur,quæ in nostro etiam extant,nempè Paschalis,quæ incipit,*Victimæ Paschali*,quæ Notgero attribuitur;altera solemnitatis Pentecostes,*Veni Sancte Spiritus*, quæ Roberto Galliarum Regi adscribi solet.Tertia pro festo Corporis Christi, *lauda Sion Saluatorem*,(*hanc per totam octauãm Corporis Christi in missis etiam priuatis recitare & nos teneri ne obliuiscamur ex nouo Patrum statuto) cuius haud dubiè auctor fuit S.Thomas, quicquid somniarit quidã Io.Rioche.Quarta deniquè pro Missis Defunctorum, *Dies iræ dies illa*, quam composuit beatę memoriæ Latinus Cardinalis Vrsinus (vnus ex tribus, B.scil.Matthæo,ac superstite Vincentio Maria, qui ex conspicua Vrsinorum familia Prædicatorum Ordinem Purpura perfectè condecorarunt) ex Bzouio in annalibus an.1294. ex Leandro Alberto , atquè ex nostris vbiquè Chronicis; quicquid alij comminiscantur D.Gregorio Magno , D.Bernardo,cuidam AugustinoBurgellensi,aut etiam nostro B.Humberto inconsultò tribuentes.

193 Notat Petrus Ciruelus *in expositione Missalis l.2.cap.*115.impropriè dici Sequentiam, quæ est canticum lętitię, in luctuosis Defunctorum officijs, à quibus & proscribitur Alleluia , cuius neumati Sequentiam suffectam diximus. *Indè deducitur*, scribit Bona l.2.cap.6.num.6. *hanc nulli antiquorum tribuendam esse,sed alicui recentiori , cùm Ritus Ecclesiastici immutari caperunt*. * Et sanè antiquis libris , quos Processionales vocamus, à B.Húberto ordinatis Se-

quentia hęc deerat, & in nostra Missalia Venetijs excusa primò irrepsisse scribit P.Io: de Palentia *in notis ad Ordinarium*. Ex his colligitur, nec B.Humbertum, nec alios Latino Cardinali Vrsino antiquiores eam composuisse. Rationabilitèr de cætero inducta, ac recenta est; nam in defunctis quidem spes, quæ differtur, affligit animam, iuxtà illud psalmi; *heu mihi quia incolatus meus prolongatus est*; vndè cantico Alleluia Tractus sufficitur; sed tamèn de æterna, Purgatorij pęnam secutura, beatitudine iàm securos alterum saltem exultationis canticum non dedecet. Quò forsè titulo antiquitùs in Defunctorum officijs *Alleluia* inteimiscebant, dicente Hieronymo epist. 50. ad Ocean. de exequiis Fabiolę, *sonabant Psalmi, & aurata tecta Templorum in sublimi quatiebat Alleluia*: quę lætitiæ vox adhùc à Græcis *in Liturgia de bis, qui dormierunt*; finita Epistolæ lectione, canitur: qui ritus & habetur in officio Gothico, seù Mozarabico. Plura de hac re Macrus *in Hierolexico V. Alleluia*.

194 * Plures alias sequentias habent noster, & nonnullas cæteri Mendicantium Ordines, eruditionem ęquè ac pietatem redolentes, pro iis festis, quibus quisquè respectiuè speciali aliquo titulo afficitur, quarum aliquas memorat, ac valdè (pracipuè nostras) commendat Septala *de mysterijs Missæ cap. 23.* illam, subdens, quæ pro festo S. Augustini ab Augustinianis, atquè à nobis dicitur, *De profundis tenebrarum*, à D. Thoma compositam. Nolo singularum scrutinio immorari. Hunc titulum euentus claudat, qui Sequentię vsum cælitus comprobatum ostendit. B. Albertus Magnus (vti legitur ex chronicis Generalium Ordinis nostri in eius vita) dùm componeret

Se-

Sequentiam de Assumptione gloriosissimæ MARIÆ Virginis,quæ incipit *Salue Mater Saluatoris*, & venisset ad versum *salue Mater pietatis*, parum substitit & deliberans,quid subderet,subito scripsit, *& totius Trinitatis nobile triclinium.* Et ecce Beatissima Virgo ei apparens dixit: *Gratias tibi ago,bone Alberte,quia me salutasti tali salutatione, quali ab alio nunquàm priùs salutata fui.*

TITVLVS XIII.

De Euangelio.

RVBRICA.

Finito Alleluja, *vel* Tractu a *accipiat cùm puluinari Missale, & ad cornu Euangelij progrediatur, reuerentiam exhibens in medio Altaris, &* b *dicens secretò,* Dominus sit in corde meo &c. *Missale autèm* c *ità collocet, vt caput ipsius ad cornu Euangelij respiciat. Ad* d Dominus vobiscum, *manus iunctas Missali decentèr imponat Ad* e Sequentia Sancti Euangelij *Euangelio* f *signum Crucis pollice dexteræ manus imprimat; successiue dum dicitur* g Gloria tibi Dñe, *paruis signis Crucis pollice frontem, os, & pectus signet. Deindè* h *maiori signo Crucis se totum muniat à fronte ad pectus. Cùm incipit* i *Euangelium,* l *manus iunctas iterùm Missali imponat, & sic totum Euangeliũ prosequatur.* m *Ad finem Euangelij* n *maiori Crucis signo se iterũ signet; deindè Euangelium* o *signans dicat secretò,* per Euangelica dicta deleantur nostra delicta p *exosculando, præterquàm* q *in Missis defunctorum, & cum Passiones dicuntur.*

NO-

NOTÆ:

195 a ACcipiat cùm puluinari Miſſale &c. * Ciantes addit, *vel deferendum à ſeruiente relinquat:* nequè arbitraria eſt hæc additio. Licèt enim rubrica hìc determinatè dicat, *accipiat* Sacerdos; rubrica tamèn ſpecialis, quæ inſcribitur, *de ſeruitoribus Miſſarum priuatarum*, Miſſalis Xauierre, cui nouiſſima conſonant, ſic habet: *Librum accipiat* (qui Miſſæ inſeruit) *& ad cornu Euangelij portet, niſi Sacerdos id facere maluerit*. In hoc ergo à Ritu Romano nequaquàm differimus, illius rubrica dicente. *Celebrans, ſi priuatim celebret, ipſemet, ſeù Miniſter portat librum Miſſalis ad alteram partem.*

196 * Conſuetudo nihilominùs apud noſtros ferè communis obtinuit, vt ipſemet Celebrans Miſſale transferat; nec diſplicet, primò ex generali ratione, quod Sacerdos in Miſſa priuata munera in alijs etiã exequitur, quæ in ſolemni Diaconus, ac Subdiaconus implent: Carthuſienſes ideò ex ritu transferunt Miſſale per ſe ipſos. Altera congruentiæ ratio Ordini noſtro peculiaris eſſe poteſt, quę ſubditur.

197 Omnes ferè, qui de Sacris Miſſæ cæremonijs myſticè tractant, per huiusmodi translationem Miſſalis repræſentari aiunt prędicationem verbi Dei Iudęis, ac Gentilibus factam communem, ſeù à Iudeis per latus Epiſtolæ deſignatis reiectam, & conuerſam ad Gentiles, quibus Euangelij alterum communitèr tribuitur, iuxtà illud act. 13. *vobis oportebat priùs loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, &*

& indignos vos iudicatis, ecce conuertimur ad gentes. Quò spectat, ex Porrecta *hic*, Ioannis prophetia Matth. & Lucę 3. *genimina viperarum, potens est Deus de lapidibus istis* (hoc est gentilibus) *suscitare Filios Abrahæ*. * Nos ergò, quibus ex instituto professionis cõpetit Apostolicum munus portandi in gentibus Euãgelium, congruè Euangelij librum per nos ipsos ab vno ad alterum cornu transferimus, vt sic illud insinuemus, quod in persona Patriarchæ Dominici à Petro baculum, à Paulo librum porrigente Ordini Prędicatorum indictum est: *vade, prædica, quia ad hoc ministerium es electus*.

198 *Transitur* aliàs, inquit Sotus, *à sinistro Altaris cornu, quo legis veteris imperfectio designatur, quæ animam non iustificabat, ad dextrum, vbi est perfectio Fidei; quare ibi Missale sistitur per totam oblationem. Præterquamquod Sacerdos à sinistro latere aptius legit*, atquè, vt ait Micrologus c. 9. expeditior fit ad sacrum faciendum.

199 b *Dicens Dominus sit in corde meo, & in labijs meis &c.* precatur Dominum per gratiam Spiritus Sancti inesse cordi, inesse labijs, vt puteus aquarum viuentium, idest Euangelij promulgatio, fluat impetu, idest irrumpens iniquitates, de Libano, idest de corde casto, & ore candido, ad communicandum populis Aquam vitæ, hoc est ęternę salutis documẽta. Et sanè quis euangelizandi verbum Dei insignitus officio Deum non timeat per Prophetam exprobrantem: *quare tu enarras iustitias meas, & assumis Testamentum meum per os tuum?*

200 Vulgata hæc benedictio, *Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis*, extat in tertia Missæ descri-

prio-

ptione Ordinis Romani. * Altera, *Munda cor meum* qua *bodie*, vt loquitur Bona c.7. *num.6.* vtitur Ritus vniuersalis,& quæ similibus ferè verbis concepta habetur in Liturgia S.Iacobi ante thurificationem, nos caremus, ob pluries allegatam rationem.

201 In Missis solemnibus more Ecclesiæ antiquissimo hanc benedictionē in omni ritu petens à celebrante Diaconus dicit·*iube domne benedicere*,quia, vt ait Rupertus Abbas l.1.c.12. *nemo nisi missus, aut permissus, officium prædicandi vsurpare debet.* Scriptum enim est, *quomodo prædicabunt nisi mittantur*? Cuius rei specimen, ex Titelmano *hic*, Christus Dominus exhibuit nedùm prædicans, sed & suos Apostolos ad prędicandum mittens Matth. 18 *ecce ego mitto vos &c.* In Missis verò priuatis celebrans Ritu Rom. rectè, adhùc præmittit;*iube Domine benedicere*, ad quod referri fortasse potest, quod de ęterni Patris Filio dixit Propheta:*ad Euangelizandum pauperibus misit me.*

202 * Quod autèm ritu nostro *iube Domine benedicere* in Missis priuatis omittatur quemdam ex nostris sic philosophantem audiui. Fratres Ordinis Prædicatorum ex instituto iam sunt missi ad omnem terram, totumquè mundum,quibus cælesti oraculo Apostolicum prædicandi munus concreditum est,*vade,prædica; ad hoc enim ministerium es electus*: non incongruè ergo,hac facta consideratione, illa nos verba omittimus,per quæ venia euangelizandi verbum Dei,ex communi Liturgicorum sensu,petitur. Facit ad rem quod refert Thomas Cantipratanus apud Maluendā in Annalibus Ordinis anno Christi 1216. *Prædicans,ait, nunquam rem suam,nisi per modum actus, Prædicator verò significat rem suam per modum habitus,*

licèt

licet non sit semper in actu &c. Quod itaquè negotium, ac nominis titulus nonnisi Episcopis (& his in Episcopali consecratione dicitur:*accipe Euangelium,vade, prædica populo tibi commisso*)*ac similibus dabatur,Ordini nostro fuit concessum*;quod pluribus firmat Maluenda ex Flaminio *ibidem*,addens, ideò sanctæ prædicationis munus , inconsultis Episcopis, nostros exercuisse(quod modo ab Ecclesia vetitum habemus) ac tandem admonens clarissimę suæ appellationis Religiosos Ordinis non Prædicantium, sed Prædicatorū, vt studeant tanto sibi imposito & nomini, & muneri iusta persoluere .

203 Violenta aliquibus hæc fortè videbitur expositio,cùm maximè Carthusienses etiam , vitæ contemplatiuæ emancipati , eadem verba omittant, atquè eadem adhibeant & Episcopi,quorum proprium esse prędicandi officium omnia iura clamant.Sed adducta ratione, qualiscumquè ea sit,contenti,meminerint de cætero Theologiam symbolicam , teste Dionysio,non esse argumentatiuam. Nequè enim ego ex illorum catalogo esse intendo , qui ingenij sui adinuentiones,vt scitè Hieronymus de Origene dixit,faciunt Ecclesię sacramenta. Quod itaquè hic, & alibi in similibus protulero,nonnisi eam habere vim volo, quam in litteralibus,seù historicis probabilis coniectura , atquè in mysticis pię pascendæ meditationis argumentum,prudentum iudicio,concedit .

204 C *Missale ità collocet, vt caput ipsius ad cornu Euangelij respiciat* : Sacerdos consequentèr sit ità ex trânsuerso dispositus,vt eius dexter humerus ferè Altare respiciat : decet enim ad populum aliqualitèr esse conuersum,ei annunciantem Euangelium , quod

non

non velata, vt vetus Testamentum, sed manifesta cõmunis salutis exhibet nuncia: vndè & recoli mysticè datur, quod de Christo Domino legitur Ioan. 18. *Ego palam locutus sum mundo*.

205 Sacerdos consequentèr opponit tunc faciẽ suam Aquiloni, vt aiunt Liturgici communitèr cùm Micrologo c. 9. (loquuntur attenta maioris Aræ dispositione Orientem versùs, quæ nunc alicubi minùs seruata, quanta olim religione custodita fuerit norũt viri docti;) quia cùm scriptum sit, *ab Aquilone pandetur omne malum*, contrà Aquilonem Sacerdos insinuat, omne se bonum opponere, quod Euangelium audientibus, atquè implentibus promittitur; quo & ostendit prædicationem Christi dirigi ad gentiles vocandos, nec non à peccatis reuocandos eius sequaces, qui ait *sedebo &c. in lateribus Aquilonis*, ex Iuone *serm. de cenu. veteris, & noui Sacrif.* Eduensi *cap.* 12. Innocentio, Durando, & Duranto *hic*. His si conferas dicta *titulo de Introitu Missæ*, magis intelliges congruè ipsum, * atquè ritu nostro etiam *Kyrie eleison* in altero cornu Altaris dici, si illud attendas, quod prophetauerat Abacuc 3. *Deus ab Austro veniet*; cui, ex Durando, illud consonat Exodi 30. *deprecabitur Aaron super cornu* Altaris, *&c. & placabit in generationibus &c.*

206 d *Dominus vobiscum* dicitur hoc loco ex præscripto Ordinis Rom. *tùm quia*, inquit Sotus, *discipuli* delegati ad promulgandum Euangelium *illa salutatione*, pax vobis, *domos salutare iussi sunt, tùm vt Spiritus sanctus se pectoribus populi insinuet ad percipiẽdam fidem*. Hoc idem respectiuè Sacerdoti populus auguratur subdens, *& cùm spiritu tuo*, supple, vt dignè, & ad commune meritum valeas euangelizare.

207 e *Sequentia sancti Euangelij*, hoc est ea, quæ sequuntur in textu Euangelistæ; & quando incipit textus dicitur, *Initium*. Quibus veluti præfationibus ab Ord. Romano propositis rhetorum more ex Soto, ad captandam beneuolentiam mysterij altitudo proponitur. Ad eundem finem Euangelijs subijcitur *in illo tempore*, hoc est gratiæ, de quo Apost. 2. Cor. 6. *ecce nunc tempus acceptabile*; quando tamen ex Euangelij verbis certum tempus non determinatur, vt notat Durandus, & Durantus *hic*.

208 Est autem Euangelium ex Isidoro l. 1. c. 11. vox græca deriuata ab *eu*, quod est bonum, & *angelo*, quod est nuncium, latinè ideò sonans *bonum nuncium*. Euangelium ergò in tota sua latitudine sumptum amplectitur omnem bonum sermonem præsertim de spectantibus ad Legem diuinam, quibus vita post mortem, requies post laborem, regnum promittitur post seruitutem. Apostolus ideò ad Gal. 2. *contuli*, inquit, *cùm illis Euangelium, quod prædico*. Verùm strictè sumptum Euangelium stat nonnisi pro verbis Euangelistarum gesta Christi Domini describētium, atquè pro doctrina, quæ ab ore proprio Christi IESV immediatè emanauit, vt firmat Turrecremata *hic*; quę pleno iure Euangelium antonomasticè appellatur, quia bona, quibus maiora dare non est, nobis annunciat; sicquè habet eminentiam super omnem aliam scripturam in sex, quę egregiè deducit B. Albertus Magnus *in suo tract. de Sacrif. Missæ hic*.

209 Propterea omnes meritò assurgunt, & stāt, dum legitur Euangelium, tanquàm milites, ait Sotus, ad illud propugnandum attenti, seù, tanquàm serui ante Dominum ad eius mandata excipienda, atquè exe-

exequenda prompti,& parati, vt inquit Bona *cap.7. nu.3.* vbi ritum hunc antiquissimum, & ab Anastasio Papa non institutum, vt communitèr fertur, sed praxi destitutum restitutum probat. Vetustissimus paritèr mos fuit caput tunc retegendi, ob id mysticè conueniens, quod *Euangelica prædicatio*, vt ait Beleth c.39. *omnia legis velamina demouit, atquè homines, qui Dominum in ænigmate quodammodò, & quasi per transennam videbant, modo ipsam veritatem aperta legis cognitione videre, atquè intelligere fecit.*

210 f *Euangelio signum Crucis pollice dextræ manus imprimat*, non quasi benedicens librum, sed veluti indigitans, *Hic est liber Crucifixi*, ex Beleth cap.39. atquè Innocentio cap.43. simulquè denotans, vt notat Titelmanus c.28. non humanum se aliquid proponere, nequè sapientiæ secularis, sed crucis Christi, ac redemptionis humanæ mysterium, ad quod pertinere dignoscitur, quicquid ex noui Testamenti pagina recitatur.

211 Crux hæc facienda est super Euangelij principium, vt expresse dicitur, tùm in Missali Rom. tùm in antiquo nostro Ordinario l.2. p.4. Fieri insuper debet tanquàm si pingeretur, non quidem vngue, sed pulpa pollicis, manu extensa ad librum conuersa, sinistra interim super librum posita: ita Titel. Quart. & Bauld. *in hanc rub.*

212 g *Gloria tibi Domine*, subdit minister nomine publico: responsio Græcis, ac Latinis communis; cuius origo ad gentes refertur, quæ verbum salutis à Deo sibi destinatum *audientes*, vt in act. Apost. c.13. habetur, *gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini. Respondemus*, inquit Rupertus l.1. off. c.36. Gloria tibi

tibi Domine, *glorificantes Dominum, quia misit nobis verbum salutis*; seù, vt ait Sotus, *gratias de tanto nuncio agentes*.

213 h *Paruis signis Crucis pollice frontem, os, & pectus signet*, & adhùc, reuerentiæ causa, non vnguem pollicis, sed pulpam adhibeat, manu verò ad se conuersa, & sinistra posita infrà pectus, ex Castaldo, & Quarto *hic*.

214 *Impressa in libro Cruce*, prosequitur Sotus, *eadem se fronte munit, quæ est verecundiæ sedes, protestans, iuxtà verbum Pauli, se non erubescere Euangelium. Vsque adeò* (inquit Augustinus in Psal. 141.) *de cruce non erubesco, vt non in occulto loco habeam Crucem Christi, sed in fronte portem*. Consignat successiuè os, & pectus, vt rectè, & ad salutis efficientiam Euangelium pronunciet, atquè suscipiat, quasi dicens cùm Dan. cap. 3. fateor Domine *non est confusio confidentibus in te*: te ore prædico, te corde confiteor, & virtute Crucis fiat quęso, ne per erubescentiam verbum de ore, vel deuotio tollatur de corde. Ad rem Apostolus Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, & ad frontem referri potest, quod subdit, *omnis, qui credit in illum non confundetur*.

215 h *Deindè maiori Crucis signo se totum muniat à fronte ad pectus*. * Tribus paruis maius signum Crucis Missalia nostra adiecerunt, ad magis fortasse exprimendum, quod mente, ore, & corde prosequimur, seù, vt cùm Apost. 1. Cor. 1. loquar, *prædicamus* IESVM *Christum*, & hunc *CRVCIFIXVM* &c. seù etiã veluti cũ Apost. ad Gal. 6. addimus: *mihi autẽ absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi*. Prætereà, qui Crucifixum intuetur per Euangelium, cùm

cũ ſit ille Serpens in Palo, ſanatur à morſu ſerpentis antiqui, vt inquit Durandus; quod maximè locum habet, ſi hanc Miſſæ priuatæ Crucem eius vice conſideremus, quæ ritu noſtro in Miſſa ſolemni ante librum Euangeliorum defertur, cuius meminit Bona *hic* ex Durando l.4.c.24. vbi congruentiam alteram, vltrà mox adductam, profert.

216 i *Cùm incipit Euangelium*. D.Thomas *hic*, cum docuerit, per Apoſtolorum, & prophetarum doctrinam diſpoſitiuè populum inſtrui, & per ſubſequētia denotari profectum vitæ, ac ſpiritualem exultationem, quæ, vt ipſe loquitur, *conſequi debent in populo ex prædicta doctrina*, recto ordine ſubdit: *perfectè autem populus inſtruitur per doctrinam Chriſti in Euangelio contentam. Nihil* enim *eſt*, inquit S. Cyprianus epiſt.24. *in quo magis Confeſſor fratribus proſit, quam dum Euangelica lectio de ore eius auditur*. Eſt namquè Euangelium, ex Innocentio *hic*, verbum Verbi, ſermo ſermonis, ſapientia Sapientię.

217 Myſticè per Euangelium Chriſti Domini, atquè diſcipulorum prædicationem ſignificari ex dictis deduxeris. Poſtquàm enim Ioannes in Epiſtola denotatus per prædicationem, & baptiſmum ſuum populo præparato in aduentum Chriſti in carcerem coniectus ab Herode ſiluit, tunc venit IESVS apertè prædicans, vti legitur Marc.c.1. *poſtquàm autem Ioannes traditus eſt, venit IESVS in Galilæam prædicans Euangelium Regni Dei &c.* atque ad prædicandum Apoſtolos delegauit Matt.10. *ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum*, & paulo ante: *euntes autem prædicate &c.*

218 Æui autem Apoſtolici eſſe ritum legendi Euan-

Euangelium in Ecclesia, & consequentèr intra Missam (ob hanc enim tunc factos fidelium conuentus legimus) ex ijs patet, quæ *titulo de Epistola* deducta sunt. Ex eo insuper Sotus conatur deducere, quod iã tunc erant, vt in actibus Apostolorum legitur, Diaconi, quorum est Euangelium canere; quod tamen munus tunc ordini Lectorum, & nonnisi successu téporum Diaconis tributum censent alij apud Bonam *c.7. nu.1.* Exceptionem non patitur testimonium, quod de Lucæ Euangelio perhibet Apost. 2. Cor. 8. *cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias*. Item S. Clemens, & Papias Episcopus Hieropolitanus Apostolorum sæculo proximi apud Eusebium *l.2. hist. Eccl. cap.* 15. referunt Euangelium Marci à D. Petro approbatum publicè in Ecclesia lectum fuisse: quod de Euangelijs quoquè Matthęi, & Ioannis, statim ac scripta fuerunt euenisse, suspicari non licet; cùm & synogogæ exemplum ob oculos esset, vbi populo congregato ritum legendi, quę tunc ad legem spectabant, à Moyse inductum *Exod.* 24. atquè præceptum *Deut.* 31. à Leuitis executioni demandatum *Esdræ* 8. Christus ipse impleuerat *Lucæ* 4.

219 Certã verò distinctionem, ac distributioné Euãgeliorũ per annũ in Missis à D. Hieronymo primò confectam, Damasum Papã approbasse, atque Ecclesiæ Romanę proposuisse patet ex Comite, siue Lectionario, quem D. Hieronymo adscribit communis Liturgicorum sententia. Habemus hunc Comitem editum apud Pamelium *tomo 2. Rit. SS. Patrum:* altero M.S. quem multo ampliorem se habuisse asserit Cornelius Schultingus *initio suæ Bibliothecæ Ecclesiast.* caremus, quia defuerunt illi sumptus ad editionem necessarij. Plura

220 * Plura ad rem noſtram, quæ huius etiam loci ſunt, habes deducta *in titulo de Epiſtola litt.B. nu.*165. Et ſanè conferens antiquum noſtrum Ordinarium cùm dicto Lectionario apud Pamelium, vix vnum, aut alterum diſcrepare comperiet. Eſt quidem diſcrimen in die 8. Epiphaniæ, feria 2. & 5. Dominicæ 2. & feria 5. Dominicæ 4. Quadrageſimæ, ſed legens Pamelium pag. 8. 15. 17. 19. 35. cùm Donatianico codice intelliget conuenire. Sapientèr de cætero Patres in Capitulo generali Romæ 1601. congregati noſtrum in hoc Romano Miſſali conformari ſtatuerunt, vt conſtat ex dictis *loc. cit.*

221 * Non itaquè mirum Concionibus, quas ante annũ 1600. Auctores noſtri Ordinis ediderũt, alia ab hodierno vſu Euangelia thema præbuiſſe. * Hinc etiam factum ſuſpicor, vt aliqua Gradualia, Alleluia, vel Tractus Epiſtolæ, atquè Offertoria, & reliqua omnia Euangelijs exactè aliquando reſpondere deſierint. Mutatis enim Epiſtolis, & Euangelijs, in ſuo eſſe cætera permanſerunt. Quod generalitèr contigiſſe inſinuat Bona *l.*2.*c.*7.*n.*5. cùm namquè ex Ruberto, atquè Ciruelo retuliſſet, Euangelium eſſe principale omnium, quæ leguntur in Miſſa, atquè ad illud cęteras partes Miſſæ officij referri, talemquè habere analogiam, qualem ſubiectum ad totam ſcientiam, & centrum ad lineas habet, ſubdit: *difficile tamèn eſt hanc conuenientiam in ſingulis reperire, niſi violentæ quædam, & myſticæ explicationes adhibeantur &c. Accedit quod, firmo manente reliquo officio, ſæpè in aliquot Miſſis Euangelia mutata ſunt.*

222 Nequè verò, vt ille addit, vna eſt cauſa, proptèr quam hoc potiùs Euangelium (idem reſpe-

ctiuè dic de Epistola) quàm illud in tali Missa recitatur: circà quod placet subijcere doctrinam Beleth *in explicatione Diu. off. c. 39.* Euangelium aliquando dicitur secundum historiam, vt illud: *Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi, & Salomæ &c.* Aliquando secundum allegoriã, vt in assumptione Virginis MARIÆ, *intrauit IESVS in quoddam Castellum &c.* quia cùm per Mariam Magdalenam vita significetur contemplatiua, per Martam verò, quę ministrabat, vita actiua, hoc Euangelio docetur, in B. MARIA Virgine vtriusquè vitæ fuisse consummationem, contemplatiuæ sc. & actiuę. Aliquando secundùm personam, vt in festo S. Thomæ Apostoli, vbi dicitur; *Thomas vnus de duodecim &c.* Aliquãdo secũdũ partẽ, quemadmodũ in festo Sanctæ Crucis; *exaltari oportet Filiũ hominis:* quo verbo suam Christus indicauit passionem, ac sui corporis in Cruce exaltationem. Secundùm totum deniquè, vt in Circumcisione Domini: *postquam consummati sunt &c.* Fusius Durãdus *l. 4. c. 24.* hoc argumentum prosequitur. Ex paucis dictis eruditus quisquè facilè vnicuiquè Euangelio causam assignabit.

223 I *Manus iunctas Missali imponat.* Cùm sit manus organum organorum, vt dicitur *3. de anima* omnia opera manibus attribuuntur, ex D. Th *hic ar. 5. ad 1.* Per hoc ergo, quod manus iunctas Missali nunc imponit Sacerdos, insinuat, quod Fidei in Euangelio contentę bona opera debent coniungi, dicente Apostolo: *Fides sine operibus mortua est.* Vndè & mysticè denotatur, quod Christus *IESVS cæpit facere, & docere.*

224 Cùm insuper per manuum iunctionem Filia-

lialis deuictio,atquè obsequium, vt alibi dictum est , exprimatur,benè illa congruit tùm lectioni Euangelij,tùm libro Euangelium continenti. Euangelium enim typum gerit Christi in eo loquentis, vt inquit, post S.Cyrillum Baronius *anno* 325. Vndè in octaua Synodo *cap.*3. decretum fuerat,librum Euangeliorũ, & sacram imaginem Domini nostri IESV Christi ęquo honore adorari . Hinc pretiosissimis illum thecis inuolui;in processionibus super dorsum Diaconorum, & alicubi à prima post Episcopalem Dignitate deferri;in Concilijs in sublimi throno in editiori loco in medio Confessus poni , illo tacto iurare,ac si Deus pręsens agnoscatur ; cartulas tandem Euangelium continentes collo appendi , antiquissimus mos fuit : & Durantus *hic* miracula prodit,quæ per codicem ipsum Euangeliorũ facta feruntur . Meritò ergò Chrysostomus hom.7. ad Pop. *Euangelium cùm multa reuerentia timens,ac tremens sumit.*

225 Quia itaquè Euangelium typum gerit Christi in eo loquentis,ideò capitis inclinatio ad nomen IESVS, quæ extrà Euangelium fit versùs crucẽ,dum legitur Euãg.fieri debet versus librum ipsum , vt habent Cęrem Carm.Castaldus , Gauantus,& Quartus *in hanc rub.* Quod idem ex rubrica noui Missalis Rom.docent seruandum esse , quotiès inter Euangelium genuflectendum est, puta ad *procidentes adorauerunt eum*,ad *Verbum caro factum est* . Quod totum rubricis nostris esse conforme , eas diligentèr perscrutans intelliget.

226 Ex dictis etiam edoceatur lecturus Euangelium Sacerdos,ad maiorem externam,internę protestatiuam,deuotionem se se componere , & maiori

pausa, ac distinctione Euangelij verba proferre.

227 m *Ad finem Euangelij*, olim, vt refert Durandus, & Durando antiquior Beleth *cap.39.* in quibusdam Ecclesijs dicebatur *Amen*, in alijs *Deo gratias*: nunc Ritu Rom. *laus tibi Christe* meritò dicitur, ad glorificādum Christum proptèr cælestem doctrinam, qua nos imbuere dignatus est: quæ verba hic Burchardo, qui scripsit anno 1490. antiquiora non esse ex eo infert Gauantus *p.p.tit.10. num.6.litt.F.* quòd nemo ante ipsum de illis mentionem facit. * Noster vero Ritus Carthusiensi conformis nihil dicendum proponit, quia fortasse existimarunt Patres gratijs, ac laudi Christo Domino ob id debitis fieri satis per verba præmissa, *Gloria tibi Domine*; nisi mauis asserere, nos etiam laudem Domino per illud dare, quod D. Hieronymus explicans Psalm. *te decet hymnus Deus in Syon*, dicit, *tibi silentium laus*.

228 n *Maiori Crucis signo se iterum signet* * quasi, Christo vocante iàm audito, sibi indicens, *qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suā, & sequatur me.* Fit insuper, ex Turrecremata, hoc signum Crucis contrà Diabolum, ne rapiat verbum Domini de cordibus nostris, iuxtà illud Lucæ 8. *venit Diabolus, & tollit verbum de cordibus eorum, ne credentes salui fiant*. Hoc signum Crucis, lecto Euangelio, faciendum memorat etiam Alcuinus ex Ordine Romano apud Bonam l.2.ca.7.nu.4. vt quod, inquit iste, ex diuinis eloquijs ad salutem percepit, signatum sigillo Crucis, atquè munitum permaneat. Illudmet insupèr memorant Beleth. *cap.39.* ac Titelmanus c. 29. & causam produnt mox, ex Turrecremata, adductæ consimilem.

228 *De-*

228 o *Deindè Euangelium signans dicat secretò; per Euangelica dicta &c.* Et vt vocantem Christum sequi possimus dicentes, *per Euangelica dicta deleantur nostra delicta*, peccatorum ligamen tolli precamur, * in vim Crucis viuificę, de qua scriptum est: *delens, quod aduersum nos erat chirographum*.

229 p *Exosculando*. Tunc parumpèr librum eleuans exosculatur Euangelium, hoc est principium Euangelij, vti in nouissimis Rom. Missalibus explicatum refert Castaldus *cap.4.nu.4.** Nos consequentèr ibidem crucem debemus præfigere.

230 * Per Crucem, & osculum, quæ hoc loco fiunt, indicari ait Turrecremata, quod *liber est Crucifixi*, per quem accepimus reconciliationem, & pacem: ipse enim est pax nostra, qui, Ephes.2.*fecit vtraque vnum*. Addi etiam piè posset per Crucé, & osculum denotar., per Euangelium non proponi Crucifixum sine Nazareno, hoc est Euangelicæ legis iugum suaue esse, & onus leue.

231 Per hoc osculum aliàs denotat Sacerdos, ex Durando, se ex motiuo charitatis euangelizasse, quam *si non habuero*, aiebat Apostolus, *nihil sum*: Fidē namquè comitatur, & verè Christi sequaces, immò & amicos constituit. Sincerius etiam dici potest, animi affectum exprimi in legem Christi, quasi dicatur: *quam dulcia faucibus meis eloquia tua:* cui illud consonat psal.96.*audiuit, & lætata est sion*, & ait can.5.*anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est*.

232 q *Præterquàm in Missis defunctorum, & cùm Passiones dicuntur.* Cùm enim defuncti iàm sint in termino, adductæ rationes cessant, ex Durando. Cùm præctereà hæ Missæ luctum redoleant, mox dictam

lætantis animi affectionem meritò coercemus. Insupèr per Cæremonias, quæ fiunt in Missis defunctorũ, atquè dum Passiones leguntur, modo quodam speciali Christi mors, ac respectiuè eiusdem Passio repræsentatur, quando Euangelium sequaces, atquè amatores vix habuit, dum *relicto eo omnes fugerunt*: qua ratione & omittitur tunc benedictio, *Dominus sit in corde* &c.

233 De consuetudine in Synagoga primùm, ac deindè cùm ipsa Ecclesia exorta, atque interrupta serie ad nos deducta, immediatè post Euangelium habendi sermonem, siue homiliam ad Populum, tractãt hoc loco Liturgici; sed quia spectat res hæc ad Missam solemnem, dixisse sufficiat, ad hoc pertinere, quod ait Apostolus 1. Cor. 14. *cùm conueniti vnusquisquè vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet*: quæ verba licèt ad Horas canonicas referat Baronius *anno* 57. *nu.* 159. Suarez tamèn *in 3. p. de Sacram. q. 83. ar. 4. sect.* 1. pro hac prima Missæ parte dicta censet.

TI-

TITVLVS XIV.

De Symbolo Fidei.

RVBRICA.

Ad medium Altaris, positis manibus super Altare, a *dicat* Credo, *ad* b in vnum *eleuet manus, ad* Deum *coniungat, &* c *statim reuertatur ad cornu Euangelij, & ibi in libro* d *reliqua prosequatur, manibus ante pectus iunctis. Ad* e natus ex MARIA *veniat ad medium Altaris, flectat genua, & dicto* Homo factus est, *surgat, & manus, vt prius iungat, & reuertatur statim ad librum reliqua perlecturus. Ad* f adoratur, & conglorificatur, *caput flectat,* ad vitam venturi sæculi g *signet se signo Crucis.*

NOTÆ.

234 D*Icat Credo.* Quam Fidem, ex Soto, in Euangelio implicitè audiuimus (nã *Fides*, docet Apoſt. Rom. 10. *ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*) explicitè confitemur, dicendo *Credo* &c. *Corde* enim *creditur ad iuſtitiam*, ait ibidem Apoſtolus, *ore autèm confeſſio fit ad ſalutem*. *Hic* ideò proſequitur D. Thomas, *& nos quia Chriſto credimus tanquàm Diuinæ veritati* (*ſecundum illud Ioannis 8. ſi veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*) *lecto Euãgelio ſymbolum Fidei cantatur, in quo populus oſtendit, ſe per Fidem Chriſti doctrinæ aſſentire*.

235 Symbolum conſequentèr fructum myſticè manifeſtat, qui ex Chriſti, prædicatione (ac reſpectiuè Apoſtolorum) eſt in Eccleſia conſecutus, ſecundùm quod dicitur in Euangeliſtis: Eo loquente multi crediderunt in eum.

236 *Symbolum* græcè *indicium* latinè, vel ſignum eſt, ex S. Clemente *epiſt. 1. ad Iacobum Fratrem Domini*; vel collatio, ex Iſidoro *l. 2. off. c. 22.* & Innocentio *l. 2. cap. 49.* Rectè ideò hoc nomine appellatur doctrina hæc; *indicium, quia per id indicatur Fidei integritas: ſignum, quod ab eo benè retento, & intellecto, fideles ab infidelibus diſcernuntur; conlatio, quia in eo Apoſtoli omnem Fidei integritatem contulerunt*: ità Theodulphus Epiſcopus Aurelianeñ *de Ord. Baptiſ.* iuxtà doctrinam Rufini *l. de exp. ſymboli*, S. Auguſtini *de tẽpore ſerm. 2. Dom. in ramis Palmar.* Caſſiani, Iſidori &c.

237 Apoſtoli itaquè poſtquàm S. Paracletum acce-

cepe-

ceperunt, de vniuerso terrarum orbe sub IESV Vexillo redigendo inito Cõcilio, *quod omnes* (prosequitur ibi Theodulphus apud Menardum *in notis*) *pari fidei sinceritate corde retinebant, ore confessi sunt, & singuli proprias sententias conferentes Symbolum, idest totius fidei conlationem ediderunt. Discessuri enim ab inuicem normam futuræ prædicationis in commune statuerunt: ne localiter ab inuicem discedentes diuersum aliquid, vel dissonum prædicarent. Decentissimum namquè, & vtile erat, vt quibus erat vna anima, & cor vnum in Domino, & quos Sancti Spiritus afflatus vegetabat, vnius etiam Fidei confessio exornaret. Nec enim dirimi in aliquo vel poterant, vel debebant, qui vnius Fidei vinculo nectebantur.*

„ 238 Plerique interea (addit ille) verbum ad„ breuiatum per Esaiam prophetatum in Symbolo, „ & Oratione Dominica intelligi volunt. In altero „ enim fidei, in altero precum continetur integritas, „ vt & in duodecim verbis duodecim Apostolorum „ doctrina, & in septem petitionibus omne conti„ neatur, quicquid ad pręsentis, & futurę vitæ per„ tinet dispensationem &c.

239 De hoc symbolo ab Apostolis composito loquitur Tertullianus in præscriptionibus cap. 37. *in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit.* Per ly *tradidit*, insinuatur, quod docet Rufinus *loc. cit.* Symbolum non fuisse ab Apostolis scripto creditum, sed sola voce traditum, atquè, vt loquitur D. Hieronymus Epist. 61. ad Pammachium cap. 9. *non in charta, & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus*, vt tutò possent illi dumtaxat ad communionem admitti, qui hoc signaculum

culum christianæ professionis tanquam arcanam, solisquè fidelibus notam tesseram memoritèr proferrét.

240 Trecentis, & amplius annis hoc dumtaxat Apostolico Symbolo vsa est Ecclesia, etiam in Missarum solemnijs: habetur enim in Liturgia S. Petro adscripta, illiusquè meminit Dionysius *c. 3. Eccl. Hier.* illud appellans *Hierarchicam Eucharistiam.* Nouum deinde Symbolum vniuersæ Ecclesiæ auctoritate confectum fuit, hoc est Symbolo Apostolorum additiones factæ sunt, non quidem contrariè (regula enim fidei immobilis, & irreformabilis est) sed per expositionem, & maiorem explicationem, vt insurgentes de nouo hæreses tollerentur è medio, atquè vt noua huiusmodi Fidei tessera Orthodoxi ab hæreticis discernerentur.

241 Propterea Nicæna prima Synodus Æcumenica Symbolo Apostolorum non pauca addidit, vt videre est apud Baronium anno 325. ad hoc præcipuè, vt Arij pestiferam hęresim IESVM Christum creaturam Patris suo Progenitore longe inferiorem cōstituentem, profligaret. Et hinc Symbolum, Nicęnū communitèr nuncupatum, traxit originem, quod in Missa iussit cantari S. Marcus S. Syluestri successor, si credimus Radulfo *prop. 23.* atquè Bernoni *de off. Miss. cap. 25.*

242 Symbolo postmodum Nicæno nonnulla addidit Constantinopolitana Æcumenica Synodus ann. 381. per verba, quę Spiritus Sancti Diuinitatem, atquè ipsius à Patre processionem exprimerent, nacta occasione, quod Macedonius, & Eunomius blasphemabant dicentes, Spiritum Sanctum non à Patre, sed à Filio procedere, esse huius creaturam, longequè inferio-

ferioris ab hoc dignitatis. Hoc est Symbolum Constantinopolitanum, quod ex præscripto Damasi Papæ (si Gauanto, p.p. atquè Ruberto *l.2. off. cap.21.* testibus credimus) adhùc dicitur in Missa cùm additione *Filioquè procedit*, contrà hæreticos asserentes, Spiritum sanctum à Patre quidem, sed non à Filio procedere.

243. Additio hęc, *Filioquè procedit*, facta refertur in Concilio Romano sub eodem Damaso congregato, & habetur in Concilijs Toletanis IV. VI. & VIII. nec non in Concilio Forojuliensi, atquè his omnibus antiquiore Braccarensi 1. De hac re disertè Cabassutius *in sua notitia Conciliorum*. Græci tamèn processionem Spiritus sancti à Filio adhùc negantes canonicę huic additioni minimè acquieuerunt, donec congregato generali Concilio Ferrariæ ann. 1438, completo postmodum Florentiæ, vnanimi Latinæ, Gręcæquè Ecclesiæ sensu firmata fuit, Apostolici viri partes strenuè implente omni encomio superior Mag. Fr. Ioannes de Monte Nigro Ordinis nostri, meęquè Prouinciæ vtriusque Lombardiæ Prouincialis, vti ibidem refert Cabassutius.

244 Ex dictis edifcas, cur Symbolum, quod in Missa dicitur, non contineat illa verba, quę in Apostolico reperiuntur, *Descendit ad inferos*; desunt enim, quia hunc articulum nemo vnquàm hæreticorum vocauit in dubium, ideòquè opus non fuit alia confirmatione, aut declaratione.

245 Et quoniam in Oriente huiusmodi hęreses insurrexerunt, ac viguerunt potissimum, aduersus illas in omnibus Ecclesijs Orientalibus Symbolum publicè cantari nunquàm desijt, vt testatum reddunt

om-

omnes Liturgiæ Grecorum, Maronitarum, & cæterarum gentium, quæ in Oriente sunt; à quibus posteà ad occidentales Ecclesias, Hispanicam primùm, dein Gallicanam, & Germanicam mos ipse transfusus, atquè ad nos deductus est, *quo & fides vera* (sic loquitur Concil. Toletanum 3. can. 2.) *manifestum testimonium habeat, & ad Christi corpus, & sanguinem prælibãdum, pectora populorum fide purificata accedant*.

246 Ecclesiæ verò Vrbis Romę, vtpotè quæ nulli hæresi obnoxia fuit, Symboli recitationem in Missa prætermiserunt vsquè ad annum 1014. teste Bernone Augiensi *cap. 2. de quibusdam rebus ad Missam spe-*
„ *ctant.* Symbolum Romani, ait ille, vsquè ad hæc tẽ-
„ pora diuę memoriæ Henrici Imperatoris nullo
„ modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati, cur
„ ità agerent, me coram assistente, audiui eos huius-
„ modi responsum reddere, videlicèt, quod Romana
„ Ecclesia non fuisset aliquando vlla hæreseos fęce
„ infecta: &c. At Dominus Imperator non antea de-
„ sijt, quàm omnium consensu id Domino Benedicto
„ Apostolico persuasit, vt ad publicam Missam illud decantarent. De his Baronius d. anno *placent, ait, sed nobis gratius, si veneranda antiquitati annorum mille magis delatum fuisset, quàm nouitati*. Ceterum testimonium Bernonis à quibusdam infirmare conantibus defendit Menardus *in notis pag. 369. & 370.* Hinc est, quod in libro Sacramentorum D. Gregorij *tit. 2. prælim.* exposito, nulla symboli fit mentio, quæ & deest in alijs Sacramentarijs tàm editis, quàm M. SS. atquè in Ordine Tiliano; quemadmodum nec Symboli meminerunt Alcuinus, Amalarius, Rabanus, alijquè, qui enucleatè de ordine Missæ ante dictum annum scripserunt.

Can-

247 *Cantatur autem hoc symbolum* (prosequitur D. Thomas hic) *in festis, de quibus fit aliqua mentio in symbolo, sicut in festis Christi, & Beatæ Virginis, & Apostolorum (quia hanc fidem fundauerunt,) & alijs huiusmodi*; quod quomodo verificetur in singulis festis, in quibus Ritu tùm Romano, tùm nostro (iuxtà specialem nostram Missalis rubricam, post communem) dicitur Symbolum, Innocentius *l.2. myst. Missæ cap.52.* Durandus, ac Gauantus *hic*, Alex. de Alef. *4. p. de off. Missæ §. 9.* atquè Macrus *in Hierolex. V. Symbolum* fusim explicant. Expositionem verò Symboli angelico planè acumine exaratam habes in D. Thoma *opusc. 6. per totum*.

248 b *Ad* in vnum *eleuet manus &c.* Quas, *Credo* incipiens, manus super Altare posuerat, nunc ad *in vnum* eleuat, atquè, *Deum* subdens, coniungit, ad insinuandum quod docet Augustinus citatus, atquè explicatus à D. Thoma 2.2. q.2. ar.2. Tria hæc, *Credo Deo, credo Deum, credo in Deum* differunt valdè: credere Deo est credere vera esse, quę loquitur, quod etiā mali præstant: credere Deum, est credere, ipsum esse Deum, quod & Dæmones faciunt: credere in Deum, est credendo amare, credendo in Deum ire, credendo Deo coniungi. Profitentibus ergo, *Credo in vnum Deum*, benè congruit depositio manuum super Altare, illarum eleuatio, earumdem coniunctio; vt sic positioni manuum opera, sine quibus Fides mortua est, designantium respondeat *credendo amare*; manuum eleuationi *credendo in Deum ire*, manuum coniunctioni *credendo Deo coniungi*: in primo gestu inhærenter indicat Fidem, in secundo eleuatio Spem, in tertio coniunctio Charitatem.

c *Et*

249 c *Et statim reuertatur ad cornu Euangelij, & ibi in libro &c.* * Sunt ex nostris, qui huiusmodi regressum ad librum tàm hìc, quàm ad *Gloria in excelsis*, pręscribi arbitrentur ob commodum dumtaxat legendi, quòd supponat rubrica, tabellam in medio Altaris illa continentem desiderari; qua proinde ibi existente haud dubitant, in medio Altaris persistentes, totum Symbolum persoluere, vti præceperat rubrica Missalis Beccariæ. Sed Patres nostros latuisse non puto, præfatas tabellas iàm in nostris vbiquè ferè Altaribus exponi: cum ergo, alijs innouatis, rubricam tamē hanc in sua simplicitate reliquerint, aut consultò factum existimari par est, aut certè non licet, priuata cuiusuis auctoritate, interpretationes, litterali rubricæ sensui expresſè contrarias, ad praxim reducere.

250 * Congruentia verò eadem assignari fortasse potest, quæ *tit. anteced. nu.* 197. de Euangelio tradita est; cùm rationes eædem militare videantur de Fide, quam Euangelium, ac de Fidei professione, quā Symbolum continet. In medio itaquè Altaris, quę de necessitate æternæ salutis credenda sunt, Ecclesiæ nomine proponit, personarum minimè acceptator, Christi vices gerens Sacerdos incipiens, *Credo in vnum Deum*; sed quia ea respuerunt Iudæi, acceptarunt Gētiles, dum ideohorū nomine subdit, *Patrē omnipotentē &c.* iuxtà illud Apostoli. *ecce conuertimur ad gentes*, ad illud Altaris cornu regreditur, per quod Gentiles significari pluries dictum est.

251 * De inclinatione capitis versus Crucem facienda, antequàm reuertatur ad cornu Euangelij, & signanter ad ly *Deum*, iuxtà emendatum Missale Rom. recole deducta tit. 9. num. 111. quæ tunc incli-

clinatio vnica sufficiat pro accessu, & recessu, iuxtà dicta *tit.6.n.13.*

252 d *Reliqua prosequatur:* *Nec prætereat ad IESVM caput Cruci inclinare, de quo non meminit rubrica, quia magis notum fortasse supponit, quàm nouo præcepto indigeat; cùm esse inclinationem capitalem faciendam, quoties dulcissimum nomen IESV, & B.M.Virginis profertur, siue in Choro, siue extrà, ordinatum extet in Capitulo Generali Friburgi 1419 Metis 1421. Papiæ 1423. Valētiæ 1596. Adsunt præterea Indulgentiæ à Summis Pontificibus concessæ.

253 e Ad *natus ex Maria Virgine, & Homo factus est, flectat genua, & dicto Homo factus est &c.* * In Capitulo generali Romæ 1569. ordinatum fuerat, vt ad *ex Maria Virgine, & Homo factus est &c.* Sacerdos inclinaret vsque ad genua, & Ministri in solemnibus, ac Chorus genua flecterent: sed postmodum Valentiæ 1596. iussi sunt Sacerdotes omnes sacrum facientes flectere genua ad illa verba, & *Homo factus est*. Et hoc, vt maiori, qua possunt etiam externa humilitate, Deo, pro ineffabili Incarnationis beneficio, gratias referant, ac humanitatem adorent Diuinitati in Persona Verbi coniunctam.

254 * Et tunc venitur ad medium Altaris, quia Christus homo factus est, vt, tanquam mediator Dei, & hominum, communem omnium salutem operaretur.

255 * Num verò vtrisque genibus, an vnico, genuflexio facienda sit, recole, quę dicta sunt tit.XI.litt. N. Et hic namquè hęsitandi argumentum non deest. In rubrica enim, nec non in Capitulis generalibus dici-

dicitur, *genua flectat*: sed in Missali etiam nostro inter Symbolum ante Prçfationẽ notatur: *genuflectat*. Prçterea Sacerdos thurificaturus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum expositum, aut illud excepturus de manu Diaconi, aut in missa solemni dicturus, & *homo factus est*, vtrumque genu iubetur flectere, nonnisi infra supremum Altaris gradum descendens; incommoda ergo ex rubrica reputanda est in Missa priuata super suppedaneum vtriusque genu inclinatio. Et quiquid dubietatis fortasse remaneat, consuetudo rationabilis, & praxi Ritus Romani conformis è medio sustulit, dum obtinuit, in toto missæ priuatæ progressu, vnicum dumtaxat genu flectere.

256 Huiusmodi genuflexionem faciendam esse, manibus super Altare hinc inde de more extensis, sinè strepitu pedum, necnon cum aliqua morula, in signum maioris reuerentiæ, ac humilitatis, immo & cum aliquali capitis inclinatione (à qua in aliis genuflexionibus regularitèr abstinẽdum est) docent in simili de rubrica Missalis Romanj Bauld. & Tonelius *in hanc rub*. Generalitèr verò genuflexio, quç est reuerentia omnium maxima, fieri debet, genu ad terram vsquè curuato. Vndè graui reprehensione digni sunt, & saltim venialiter peccant, qui genu terræ non figunt, & more saltantium leue signum exhibent inchoatç genuflexionis: ità Castaldus, & Quartus *hic*.

257 *Ad adoratur, & conglorificatur, caput flectat.* * Ciantes sentire videtur, inclinandum esse caput ad *adoratur*, non ad, *conglorificatur*; sed nostra rubrica, tùm hic, tùm inter *Credo* ante Præfationes, etiam *conglorificatur* includit. Concordat Capitulum generale

rale Romę 1580.1583.1589.quæ ad vtrumque verbum capitis inclinationem pręcipiunt, *vt corporis gestu interiorem animi fidem de diuinitate Spiritus Sancti adhuc protestemur*. Ad rem, mentem subeunt verba, quæ Baronius *anno Christi* 325.*nu.*25.habet, satis expressam esse Spiritus Sancti diuinitatem in Nicæno Symbolo (quam postmodum in dubium reuocare conati sunt Arij sectatores Macedoniani) dum vna eũ cum Patre,& filio *glorificarunt*,&in eum credere professi sunt.

258 g *Ad vitam venturi sæculi, signet se*. Hoc signum Crucis,de quo mentio est nulla in Missali Xauierre,fit tum ob rationẽ in tit.9.n.115.allatam,tùm ex Gauanto,& Quarto, vt quasi sigillo Crucis Fidei totius professio firmetur,ne Diabolus, vt inquit Durandus,susceptum semen Fidei de vase signato surripiat. Et sanè ad vltima Symboli verba se signandi primis Christianis fuisse morem Ruffinus *in expositione Symboli enarrat*.Io: Beleth cap. 40. ait: *Pronunciato symbolo, sub finem ipsius debet fieri signum Crucis. quoniam verbum est Euangelicum, non secus atque ipsum Euangelium, nisi quod sit verbum abbreuiatum, Vndè dictum est de eo: Verbum abbreuiatum faciet Dominus super terram.*

TITVLVS XV.

De Offertorio.

RVBRICA.

Ad a Dominus vobiſcum, b *ad medium Altaris veniens, & ad Populum verſus aperiat, & coniungat manus, vt ad aliud* Dominus vobiſcum *dictum eſt.* Oremus c *apertis brachijs incipiat, & ad vltimam ſyllabam coniungat manus ante pectus, vt ſupra. Dicturus* d Offertorium *manibus iunctis,* e *vadat ad librum. Offertorio dicto ad medium Altaris progrediatur, manuque læua, & dextera* f *velum à Calice leuet, & poſtea manus in Altari demittat,* g *& dicat* quid retribuam &c. *eleuando ipſas, & ad* Domino *coniungendo.* Ad Calicē ſalutaris accipiam, *Calicē accipiat ambabus manibus, dextera per pomum, ſiniſtra per pedem tenens, ipſumque* h *eleuatum ſuper Corporale vſque ad pectus, manu dextera medium Calicis, læua autem pedem tenens, ſecreto dicat,* i ſuſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem &c. *intentis ſurſum ad Deum oculis.* l *Ad* & meam &c. *deponat ſuper Corporale Calicem dextera, & mox ſiniſtra Patenam è Calice eleuet, & dextera etiam Patenæ adhibita, Hoſtiam* m *ante Calicis pedem dimittat, taliter quod ipſum non tangat.* n

Pute-

Patenam ad dexteram Corporalis super medietate Purificatorij, & sub Corporali reponat. Deindè o parte Corporalis, vel Palla Calicem operiat.

NOTÆ.

1 a Dominus vobiscum. D. Thomas *sic igitur*, suam Missæ expositionem prosequitur, *populo præparato, & instructo acceditur ad celebrationem mysterij*; hoc est, ex eodem *in* 4. finita prima Missæ parte, quæ illuminatio, & instructio, seù Missa Cathecumenorum dicitur, ab Offertorio secundam, & principalem partem, quę, vt ait Gonet *in D. Th. hic*, Missa Sacrificij appellabatur, congruè auspicamur, dicendo *Dominus vobiscum, & Oremus*, quasi demonstrã tes (inquit Amalarius *l.* 3. *cap.* 19.) Introitum ad aliud officium, & simul necessitatem eò maiorem, quò propinquior ad sancta accessus, Diuinam assistentiam implorandi; Christi Domini exemplo, qui appropinquante iàm passione, Discipulis dixit Lucæ 22. *orate, ne intretis in tentationem. Et ipse &c. orabat.*

2 Antiquitus proindè, vt habetur ex D. Thoma *hic ad* 4. Cathecumenis, qui instruebantur in Fide, Iudęis paritèr, Gentilibus, ac hæreticis, vt pellicerentur ad Fidem, sacro quidem interesse licebat vsquè ad sermonem post Euangelium reddi consuetum, iuxtà Augustinum *de Ciu. Dei l.* 22. *cap.* 8. sed post sermonem, ex eodem August. *serm.* 217. *de temp.* omnes dimittebantur à Diacono clamante, *Ite Missa*

est,hoc est(vt appositè exponit Sotus) recedite,quia Missa,ideſt oblatio,seù,vt inquit Innocentius, Missa Fidelium incipit ; quæ tunc clausis ianuis agebatur. easquè custodiebant ministri, ne quis indignus intraret.

3 Huius rei specimen IESVS ipse tradidit, de quo legitur Io:2.*non credebat se illis:* de quibusdam est sermo, qui Cathecumenorum, & nondùm renatorum typum gerebant.

4 b *Ad medium Altaris veniens*, quia, vt mox innui,iàm indè Sacerdos vsquè ad Sacrificij consumptionem Christum passioni deditum strictè repræsentat, cui locus medius ex hoc debetur, quod facturus vtraquè vnum, Dei mediator, & hominum in medio annorum,in medio Orbis passionis suę spectaculum exhibuit.

5 c Oremus *apertis brachijs incipiat &c.* * sic & antiquum Ordinarium *l.2.p.*4. Iunctis manibus *Oremus* aliàs dicimus, sed hìc apertis brachijs incipimus,& ad vltimam syllabam manus iungimus,fortassè non citrà mysterium,si Offertorij significatio, siuè historica,siuè mystica infrà deducenda,attendatur.

6 d *Offertorium.* Post enunciatam in Euangelio Fidem,post Fidei emissam in Symbolo professionem, consultò ad Offertorium est transitus. Nemo enim, nisi rectè credens munus Deo acceptabile offert, dicente Apost.ad Hebr. 11.*sine Fide impossibile est placerę Deo.*

7 Offertorium namquè ex S.Isidoro *off.cap.*19 cui consonat Innocentius *l.2.cap.*53.& Rabanus *l.1.cap.*33.dicitur quasi obfertum,ab oblationibus, quæ hoc loco olim fiebant à Populo iuxtà *c.p.omnis Christia-*

*stianus de cons.dist.*1.vbi dicitur:*omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: non apparebis in conspectu meo vacuus*, Huiusmodi oblationum meminit Augustinus *epist.*122. & de ipsis, nec non de modo, quo fieri consueuerant, fusim tractant Baronius *an.*57.*nu.*72. Durantus,*l.*2.*cap* 26.*& Bona l.*2.*cap.*8.*&* 9 *per tota.* Prohibet can.3. Apostolorum, nonnisi ea super Altari offerri, quæ sacrificio vsui erant, panem scilicèt, & vinum, ex quo pane tum sacra Eucharistia, tum Eulogiæ conficiebantur. Eulogiæ erant ex panibus excisæ particulæ, quæ precibus solemnibus benedictæ inter Fideles Eucharistię exortes postmodum partiebantur (qui & nunc est mos Gręcis) in signum catholicæ in Fide, & Charitate communionis; à quibus ideò exclusit hæreticos Laodicen.Conc.*ca.*33. De his fusim Cabassutius *in Notitia Conciliorum.*

8 Itaquè quia simul ac pręfatę oblationes fiebant à Populo, Ministri Ecclesię seruitio mancipati in laudis preces, ritu è veteri Testamento 1. *Paralip.* 15. ad nouum transfuso, effundebantur, scientes quod *hilarem donatorem diligit Deus*, ideò Antiphona, quæ, ex precibus olim adhibitis, reliqua fuit, Offertorij nomen sortita est; licèt aliàs in latiori acceptione Offertorii, seù Offerendæ nomine (sic Amalarius, Remigius, & alij veteres loquebantur) ea omnia comprehendantur, quæ à Sacerdote fiunt vsquè ad secretæ Orationis conclusionem, vt refert Bona.

9 His præmissis innititur doctrina D. Thomæ hic: vbi cum docuerit mysterium Missæ & offerri vt sacrificium, & consecrari, & sumi vt Sacramentum,

ideòquè primò peragi oblationem, secundo consecrationem materię oblatæ, tertiò eiusdem perceptionem, subdit: *Circa oblationem verò duo aguntur, scilicet laus populi in cantu Offertorij (per quod significatur lætitia offerentium) & oratio Sacerdotis* (nempè suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero &c. cùm alijs vsquè ad prefationem) *qui petit, vt oblatio populi sit Deo accepta: vndè & 1. Paral. 29. dixit Dauid, ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc, & populum istum, qui hìc repertus est, vidi cùm ingenti gaudio tibi offerre donaria; & posteà orat dicens, Domine Deus custodi hanc voluntatem*, vt habetur Paral. ibidem.

10 Quis vero Offertorium in Missa dici instituerit non satis liquet. *Offertorium*, inquit Vualfridus de reb. Eccl. cap. 21. *quod inter offerendum cantatur, quamuis à prioris populi consuetudine in vsum Christianorum venisse dicatur, tamèn quis specialitèr addiderit officijs nostris, apertè non legimus.* Cælestino adscribunt nonnulli, Gregorio alij; sed iam vigebat illius vsus in Africa, vt scribit Augustinus *l. 2. retract. cap.* 11. Infrà dubium hoc est, Offertoria, quibus vtitur Romana Ecclesia, *nec nō qui illius ritibus adhærent, Carthusiani scilicèt, nos, ac Carmelitæ, à D. Gregorio Magno proposita fuisse, siuè transtulerit, siue formauerit, siuè denique reformauerit*: extant enim in Antiphonario, cuius auctorem ipsumGregorium communitèr faciunt Rituum candidati.

11 In dicto tamen Antiphonario singula Offertoria plures versus habent adiunctos; & quandoque integer Psalmus, repetita post singulos versus Antiphona, proponitur, vt toti tempori, quo populus offere-

ferebat,psallentium voces applauderent. Ex quo verò desierunt populi oblationes, ab Offertorio, versu, vno retento,reliqui sublati sunt; excepto Offertorio Missæ pro defunctis.

12 * Hinc conciliatur vnica discrepantia, quæ quoad Offertoria in Missis de tempore nostrum interest, & Missale Romanum, feria IV.quatuor Temporum Aduentus ; in hoc enim legitur *Confortamini &c.*in nostro *Aue Maria &c.*sed vterquè versus reperitur pro eadē Missa in dicto Antiphonario:quod idē euenit in die Ascensionis;nam tàm *Viri galilæi*, quod est in nostro Missali,quàm *Ascendit Deus*,quod in Romano,leguntur in Antiphonario.Remanet discrimen in Offertorio Dominicæ quartæ Aduentus; sed notat Amalarius *l.3. cap.*40. titulum huius Dominicæ esse *Dominica vacat*,ideòquè recentius esse D.Gregorio. In Offertorijs quidem de Sanctis aliqualis differentia extat nostri à Missali Romano, & aliqualis vtriusquè ab Antiphonario Gregoriano, quę tamèn ex diuerso celebritatum modo, vt plurimùm, prouenit. Quod attinet ad nostrum Missale,antiquo Ordinario in hoc conforme , ab Antiphonario minus differre comperies,si attendas , quod notat Pamelius *tom* 2. *Ritualis in margine pag.mihi* 140.142 319.148. 150. 151.152.154 155. nonnulla scilicèt Sanctorum officia,etsi Antiphonario inserta, non esse D.Gregorij, ac deesse in Codice Blandiniensi.

13 Mystica ne omittamus. Oblatio externa in omnibus latinis Ecclesijs, si paucas excipias,iam desijt, non tamen desijt signatum, oblatio nempè interior,qua se ipsum populus Deo offerat; secundum quod dicitur, Eccli.25.*oblatio iusti impinguat altare*

tare, & odor suauitatis est ad Dominum.

14 Rectè etiam totum, quod exindè vsque ad Pręfationem agitur, Offertorium, seù offerenda ex eo dicitur, quod tunc pręparatur, atquè offerri incipit sancta Hostia; per quam præparationem, ac veluti præuiam oblationem significatur, quemadmodum Christus Dominus, post suam prædicationem, cæpit se ipsum in sacrificium sanctum, & viuentem, atquè placentem Hostiam præparare, dequè morte pro suorum salute obeunda meditari, immò & eam concupiscere, iuxtà quod ipse de se in Euangelio loquitur Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor vsquè dum perficiam illud?* ex Titelmano *expos. myst. Missæ cap. 32.*

16 e *Vadat ad librum.* * Clarior est rubrica, quàm indigeant acumine ad discernendum, se contrà illam agere, qui è medio Altaris, libro se versus tracto, Offertorium legunt. Nec fortasse vacat illa mysterio, si cùm Innocentio, atque Durando *hic* in Offertorio votum Fidei recolamus à Gentilibus, per latus Euangelij designatis, oblatum Christo inter prædicationem, & Passionem, quod ipsemet Christus IESVS admiratus est in Centurione, & Cananęa.

17 f *Velum à Calice leuet*; nonnisi post Communionem reponendum; quia iam incipiente Missa fidelium, reuelantur peragéda propria passionis Christi mysteria; quæ meritò olim ijs velabantur, qui Christi capitis membra per Baptismum nondum effecti fuerant: de hac re fusius alibi sermo fuit:

18 Velum autem à Calice leuans super Corporale post Calicem deiectum iacere minimè permittat, cùm hoc sit à reuerentia ministerij alie-

num,

num,& nonnumquam eidem operanti incommodum. Illud ergo plicet à parte posteriori Calicis, vtraque manu dextera extrahat à Corporali, & propè tabellam Secretarum in cornu Epistolæ seponat: ità Gauantus, & Bauld. *in hanc rub.* Satiùs tamen esset, secundum eosdem, Velum ipsum ministro plicandum, ac ibidem collocandum porrigere; ne ab ijs, quæ tūc acturus est, altioris indaginis, distrahatur.

19 g *Dicat quid retribuam &c.* subintellige *secreto.* In Missa enim *quædam,* vt docet D.Th. hìc ad 6. *pertinent ad solum Sacerdotem, sicut oblatio, & consecratio, & ideò quæ circà hæc sunt dicenda, occultè à Sacerdote dicuntur.* Mysticè verò fit hoc in memoriam appropinquantis Passionis Christi, quandò *iam,* vt legitur Io:20. *non palam ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxtà desertum;* vel ex D.Thoma loc. mox citato, *in signum, quod circà Christi Passionem Discipuli nonnisi occultè confitebantur Christum:* vel tandem, quēadmodum ait cùm Vualdensi Sotus, *hoc est primum silentium, quo Christus in horto ab Apostolis semotus secrete orauit dicens: Mi Pater, si possibile est &c. Quid retribuam,* prout oblationem concernit, infrà expendetur.

20 h Eleuatum supra Corporale vsque ad pectus, ità vt Cuppa Calicis non sit suprà oculos, nec infrà os: ità Castaldus, & Gauantus *in hanc rub.*

21 Debetur actio hæc Oblationi quæ fit, vti & de veteris Testamenti Sacrificijs Leu. 8. & 28. legitur *leuauerunt coram Domino panem &c. eò quod consecrationis esset oblatio in odorem suauitatis Sacrificij Domino.*

22 i *Dicat, suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem*

nem &c. * Iam hic ratio reddenda est notabilis discriminis, quod in huiusmodi oblatione inter nostrũ adest, & Ritum Rom. Nos enim post verba *quid retribuam &c. Et Calicem &c.* vnicam cùm Carmelitis orationem dicimus; *Suscipe Sancta Trinitas &c.* & vnicam panis simul, ac vini facimus oblationem: Ritus verò Rom. separatam vini oblationem, congruentijs sanè, & mysterijs plenam, panis oblationi addit, & plures his consonas Orationes proponit.

22 Prænoto, Oblationem, quę hoc loco fit, non esse de Sacrificij essentia, vti communitèr docent Theologi: nàm nec legimus in Scripturis, nec ex vlla traditione habemus, quod aliquā huiusmodi oblationem consecrationi Christus præmiserit; neque illam fieri perpetuum fuit Ecclesiæ statutum, vti probat Mag. Gonet *in D Thomam* hic, & Bona *l. 2. c. 9.* Pura ergo Cæremonia, *simplex, ac merè accidentalis*, vt ibi loquitur Bona, hac oblatio cùm sit, *mox futuri sacrificij præparatoria*, potuit & omitti, & variè pro varietate personarum, locorum, ac temporum persolui.

23 Carthusienses itaque, qui ritus à Gallicanis Ecclesijs acceperunt, Calicem paulò eleuatum tenẽtes ambabus manibus vnica oblatione offerunt dicentes, *In Spiritu humilitatis &c.* vt extat in nostro Missali: subdunt, facientes Crucem cùm Calice, *in nomine &c.* & ad legendas Secretas, præmisso *Orate Fratres*, progrediuntur.

24 Antiqua etiam Monachorum Missalia, teste Bona *l. 2. cap. 9. num 2.* vnicam hoc loco præscribunt oblationem Hostiæ simul & Calicis, cùm vnica oratione (en ritum Carmelitarum) *suscipe Sancta Trinitas &c.* verbis paulò à nostra diuersis concepta: sic

olim

olim Cistercienses: sic & fit ritu Ecclesię Sarisburiensis. Consonat, quoad vnicam oblationem, antiquum Missale M.S. Bibliothecæ Vaticanæ *cod.* 4772. præscribens, Diaconum offerre Calicem cùm patena, & Hostia superposita, Presbytero, dicendo, *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua:* & Sacerdos accipiens oblationem dicit: *Calicem salutaris accipiam &c.*

25 * Quo verò ad verba, quæ nos huic oblationi præmittimus, conuenit noster cùm ritu Lugdunensis Ecclesiæ ità proposito. Cùm Sacerdos Calicem discooperit, ait, *quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Tum accipiendo Calicem dicit; *hanc oblationem, quæsumus &c.* apud Bonam *loco cit.* Deindè eleuat Calicem dicens, *in spiritu humilitatis &c.* (en ritum Carthusiensium.)

26 Orationes de cætero, quæ ritu Rom. dici solent à Sacerdote, dum oblationes, & reliqua peragũtur, infrà vsum olim fuisse, ex eo infert Cardinalis Bona *loco mox citato*, quod in Ordine Romano nulla illarum fit mentio, quas nec Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, nequè vlli Romanæ Missæ expositores cõmemorant, non Alcuinus, nõ Amalarius; & quod maius est, nequè Innocentius III. qui ordinem Romanæ Missæ enucleatè persecutus est: vndè deducit Bellarminus *lib.* 2. *de Miss. cap.* 17. additas fuisse post Innocentium.

27 Consonat his Micrologus cap. 11. vbi sic habet: compoſita oblatione in Altari dicit Sacerdos,
„ hanc orationem iuxtà Gallicanum Ordinem, *Ve-*
„ *ni sanctificator* &c. Deindè non ex aliquo Ordine,

sed

„ ſed ex Eccleſiaſtica conſuetudine, *ſuſcipe Sancta*
„ *Trinitas &c* * quæ vtiquè oratio à diligentiori-
„ bus ordinis,& comprobatæ cõſuetudinis obſerua-
„ toribus ſola frequentatur. Romanus tamèn Ordo
„ nullam orationem inſtituit poſt Offerendam ante
„ ſecretam.

28 Radulphus *de can.obſer.propoſ.* 25. eadem refert, ac ſubdit: * *Vndè Prædicatores, alys omiſſis,tres tantum articulos ponunt. Nam præmiſſis verſiculis,* quid retribuam &c.Et Calicem ſalutaris &c. *in accipiendo vtrumquè,quando vtrumquè tenetur eleuatum, breuiorem dicunt orationem,* ſuſcipe Sancta Trinitas &c. *Item de profundis inclinati,*In ſpiritu humilitatis &c. *& tertio verſiculo,*Orate Fratres,vt meum &c.

29 * His ſuppoſitis duo ad rem noſtram habeo:Vnum eſt tempore S.P.N.Dominici contemporanei Innocentij III dictarum orationumvſum(poſtmodum ſapienter inductum) ab Eccleſia Romana tunc prçſcriptum non extitiſſe; nil ideò mirum nos eas,qui Ritui antiquo adhæſimus, non adhibere. Qua etiam ratione nullas cruces ſuper oblata ante Canonem facimus, cum antiquitus, teſte Gauanto *hic*,vniuerſaliter non fierent; immò nec ante Radulphum, qui ſcripſit anno circitèr 1400 vt patet ex ipſo *propoſ* 23. earum ideò nec meminit D. Thomas. Alterum eſt, ritus de reliquo noſtros hãc oblationem peragendi in Eccleſijs inſignibus fuiſſe iam anteà vſu receptos; niſi quod ex his tertius noſter ad congruã, ac breuem,quantum per myſteria rei, quç agitur, licuit, formam redactum,conflatus eſt.

30 * Non itaque deeſt ritui huic noſtro antiquitatis prærogatiua: nec fortaſſe congruentię ratio

deſi-

desideratur, si in hac oblatione alteram, quæ dicitur pars Missæ essentialis, veluti præfiguratam recolere, atquè Apostoli verba vsurpare fas est; *Christus vnica oblatione se obtulit sacrificium Deo*. Meditari insuper datur, ex Porrecta, oblatio, quam Christus ante passionem, cùm esset quasi 30. annorum, Deo Patri sui ipsius fecit; seù, vt loquitur Sotus, qua conuersus ad Patrem dixit: *Pater, si possibile est, transeat à me Calix iste &c.* per quem mox futura Christi passio designatur.

31 l *Ad & meam &c. deponat super Corporale Calicem.** Ciantes *in Cærem. Ordinis hoc loco* sic habet: & *hoc* (scilicèt suscipe &c.) *dicto, deponat super Corporale Calicem.* Sed cum rubrica indicet ly, *& meam*, non est, cur tunc non sit Calix super Altare deponendus; cùm maximè & antiquum Ordinarium *l.2.p.5.* idem velit his verbis: *antequam finierit hanc Orationem, deponat illum*, hoc est Calicem.

32 * Hoc fortasse non inconsultò iussum habemus, si mentem subeat, Altaris nomine Christum venire, secundum illud Apostoli ad Hebr. vlt. *per ipsum offerimus hostiam laudis Deo*. Vèrbis itaquè Sanctam Trinitatem inuocantes, gestu Christum connotamus, qui in ara Crucis oblatus speciali ratione *Celebrantis, & omnium fidelium salutem operatur æternam*.

33 m *Hostiam ante pedem Calicis demittat.* Tempore Innocentij III. vt patet ex ipso *l.2.cap.58.* ità collocabantur oblata, vt à latere Hostię Calix existeret. Idem affirmat Durandus l.4.cap.30. *Calix*, inquiens, *ponitur Romæ ad dextrum latus oblatæ: communiter tamèn*, infra subdit, *alibi ponitur Hostia inter Sacerdotem, & Calicem; primò ad notandum, quod Christus est media-*

tor

tor Dei, & hominum &c. In antiquo tamèn nostro Ordinario habetur, vt in rubrica. Collocanda est autem Hostia longè à Calice spatio circitèr vnius alterius Hostię, ex Tonellio *in hanc rub.* Consulunt nonnulli, ex Autore *Gemmæ Animæ*, Hostiam in illo Arę loco apponere, vbi substat Crux facta ab Episcopo consecrante. *Diligentèr autem attendat*, (monet *hoc loco* antiquum Ordinarium,) *si portatile Altare sit, quod Calix, & Hostia toti iaceant super lapidem consecratum*.

34 n *Patenam ad dexteram Corporalis super medietate Purificatorij, et sub Corporali reponat.* * In Missali Xauierre legitur, *super medietatem*. Ordinarium verò *hic* sic habet: *Patenam vltrà medium Corporalis ponat sub inferiori parte ipsius*. Missale tandem paruulum pro defunctis impressum sub Generali de Roccaberti sic dicit: *deposita Patena sub Corporali, et super Purificatorio, iuxtà complicato.* Quibus collatis, atquè benè perpensis intellexi (saluo semper canonico iudicio) Patenam nequaquàm Purificatorio inuolutam sub Corporali reponendam esse, vti minus rectè faciunt nonnulli: sed sub Corporali pro maiori parte ita reponendam esse, vt simul pars altera Purificatorio propè Corporale (vti supponit rubrica) existenti superstet; sicquè Patena ex ea parte, quæ sub Corporali non est, sed super Purificatorio, commoda, atquè apta ad capiendum sit; simulque mysterium impleatur, ex Durando infrà allegandum. Nobis in hoc assimilantur Carmelitæ; nosque Carthusiensibus conformamur, eorum Ordinario c. 16. nu. 21. dicente: *imposita Patena ex maiori parte subtùs Corporale ad manum dexteram*.

35 En mysterium. Patena à patendo sic dicta

cor

cor apertum, atque operosa charitate dilatatum hoc loco significat, iuxta Dauidicum illud: *viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Hoc in primis illi habebant, de quibus legitur in Euang. quod *crediderunt in eum* prædicantem; sed ex quo Iudei cogitarunt eum interficere; *nemo de eo palam loqui audebat*, teste Io: c.7. Cor idem se habere iactitabant Apostoli, inter quos Petrus aiebat: *et si oportuerit me mori tecum, non te negabo; similiter et omnes Discipuli dixerunt*, Matth.26. Sed cor eorum angustum quidem euasit, latitudoque aufugit aut latuit, quando, Christo IESV de se ipso verum sacrificium oblaturo relicto, fugerunt, sicut eis prędixerat Matth. 26. *Omnes vos scandalum patiemini in me.* Hanc itaque fugam, seù latibulum significaturus Sacerdos post susceptam oblatam abscondit sub Corporali Patenam, resumendam, ac discooperiendam post orationem Dominicam ad *Da pacem Domine in diebus nostris*, quando venit IESVS, & stans in medio Discipulorum dixit, *Pax vobis*, resumens oues, quę trepidantes aufugerant: ità post Innocentium *l.2. Myst. Missæ cap.59.* Durandus *l.4. Rationalis c.30.*

36 * *Aliquanta particula Patenæ* (subdit Durãdus ibidem) *non absconditur, vt ostendatur, quod Beata Virgo, et Beatus Ioannes Euangelista non fugerunt, nec latuerunt.* En ritum nostrum, tunc consequenter praxi commendatum.

37 o *Deindè parte Corporalis, vel Palla Calicem operiat.* Hic primò Pallæ mentio est in rubrica, quam vt intelligas, recole dicta tit.II. litt. R. num.61. Calix autem hoc loco cooperitur cautelę potiùs gratia, quàm mysterij, ex Micrologo c.10.

TI-

TITVLVS XVI.

De ablutione manuum, oratione *In Spiritu humilitatis*, ac secretis.

RVBRICA.

Iunctisquè illicò manibus, & reuerentia Deo exhibita capite, a *ad abluendum manus* b *ad cornu Epistolæ accedat dicens,* Lauabo inter innocentes &c. c *Lotis prioribus quatuor digitis, & extersis, reuertatur, iunctis manibus ante pectus, ad medium Altaris; quò cum peruenerit, incipiat,* d In spiritu humilitatis, e *inclinando se ad Altare profundè, & ad* placeat tibi, *erigat se;* (f *digitis, quibus Corpus Domini tractaturus est, ne vertat folia, aut aliquid tangat.*) *Postmodum ad populum versus, eleuatis, & extensis manibus, vt supra ad primum* Dominus vobiscum, g *dicat voce aliquantulum eleuata,* h Orate Fratres, *& ad*, vt meum, *clausis manibus secreto prosequens, sic ad* i *cornu Euangelij, & ad Missale in girum conuersus reuertatur. Ibi iunctis manibus dicit* l Domine exaudi &c. *&* m Oremus, *manibus item iunctis. Deindè apertis, & extensis manibus, vt suprà, dicit* n *secreta. Coniungit manus ad,* per Dominum nostrum IESVM Christum, *capite*

pau-

paululum inclinato. Quod si aliæ memoriæ sint faciẽdæ, præmittat iterum ante primam Orationem Oremus, *manibus iunctis, & ad Orationem apertis.*

NOTÆ.

38 *a* A*D abluendum manus.* Ritus iterum abluendi manus post Oblationem Græcis, Latinis, Maronitis, alijsque Oriẽtalibus communis, specimen habetur Exod. 30. vbi dicitur: *Et missa aqua lauabunt in ea Aaron, & Filij eius manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij; & quando accessuri sunt ad Altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur.* Eundem Ecclesia, vti quiddam secundum se conueniens, obseruandum sub sui primordiũ proposuit. In Liturgia enim S. Petri præscriptus extat, eumque memorant S. Dionysius *c.3. Eccl. Hier.* & S. Clemens *l.8. const. c.*11. Adstipulatur S. Cyrillus Hierosol. *catechesi* 5. *mystag.*

39 Abluit itaq; iterùm manus, sacrificium iam propiùs aggrediens Sacerdos, *propter reuerentiam huius Sacramenti,* vt docet D.Th. hic art. 5. ad primũ. *Primò quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consueuimus, nisi manibus ablutis: Vnde indecens videtur, quod ad tantum Sacramentum quis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis,* (quæ ideò ablutio tunc potissimum erat debita, quando fidelium oblationes per manus Sacerdotis suscipiebantur, vt sic eas exterge-

ret *à tactu communium manuum, atq; terreno pane,* vt aiunt Ordo Rom. & Amalarius cap. 19.) *Secundò,* & principaliter *propter significationem,* hoc est, vt loquitur *loco cit.* S. Clemens *in signum puritatis animarum, quæ Deo dicatæ sunt*; Ideoque & Laici ante sacram Communionem manus abluere olim consueuerunt, teste August. *ser. 2. de dedic. Eccl.* immo fontes ex aduerso Ecclesiæ, ne illotis manibus eas Christiani adirent, apud primos Ecclesiæ Patres structos legimus; Vndè aquæ lustralis vsus ad nos emanauit. Speciali autem ratione Sacerdos abluit iterum manus hìc, *quasi* ait B. Alber. Magnus hìc, *tum ampliori indigeat ablutione etiam à venialibus, & peccatorum reliquijs dicens cum Propheta Psal.* 25. lauabo, *non iam inter peccatores, sed* inter innocentes manus meas, & *Psalm.* 50 ampliùs laua me ab iniustitia mea; Vt iam speciosum forma præ filijs hominum manibus tractaturus super niuem dealbetur. Subscribit B. Alberto D. Thomas *loc. cit.* S. Dionysij auctoritate suffultus, cum quo illud allegat Io: 3. *qui lotus est non indiget, nisi vt lauet pedes. Et hoc idem,* statim subdit, *significabat ablutio Sacerdotum in veteri lege, vt ibidem Dionysius dicit. Nec tamen Ecclesia hoc seruat tanquam cæremoniale veteris legis præceptum, sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut quiddam secundum se conueniens. Et ideò non eodem modo obseruatur, sicut tunc. Prætermittitur enim pedum ablutio, & seruatur ablutio manuum, quæ potest fieri magis in promptu, & quæ magis sufficit ad significandam perfectam mundationem. Cum enim manus sit organum organorum (vt dicitur 3. de anima) omnia opera attribuuntur manibus; Vnde in Psal. dicit,* Lauabo inter innocentes manus meas: vti habetur in Liturgia S. Petri

tri Græca. Similia habentur apud Bedam *lib. de tabern.* & apud Innocentium, atque Durandum *hic.*

40 Hæc porrò ablutio lachrymas ob oculos ponit, quas Christus Dominus, priusquam sacrificium offerret, in resuscitatione Lazari miseratus effudit; ex Innocentio, & Durando. Porrecta verò in aqua flumen Iordanis, in ministro aquam porrigente Baptistam Christo domino conferentem baptismum, subijcit meditanda. Gonet tandem de sacram. disput. 11. art. 7. *alludit,* inquit, *ad Pilatum, qui ante Christi crucifixionem, quam Sacramentum istud memoriale repræsentat, lauit manus coram populo dicens,* innocens ego sum à sanguine iusti huius, *Matthæi* 27. *Nobis autem Sacerdotibus insinuat* (monet S. Germanus in theoria rerum Eccl.) *vt puri mente, conscientia, cogitatione, (quæ sunt manus nostrarum animarum) cum timore, mansuetudine, ac moderatione accedamus ad mensam &c.* ne & nos cum Pilato rei efficiamur Corporis, & sanguinis Domini, sicuti, teste Apostolo, illi euenit, *qui manducat, & bibit indignè.*

41 Siuè autem externam munditiem, siuè mysticas præallatas rationes attendas, tres dumtaxat versiculos Psalmi 25. ad hanc ablutionem nos adhibentes, (*Lauabo inter innocentes &c. vt audiam vocem laudis &c. Domine dilexi decorem domus tuæ &c.*) rem, quam agimus, satis exprimimus, breuitati de cætero indulgentes. Carthusiensibus in hoc assimilamur, eorum Ordinario *cap. 16. nu.* 8. dicente. *manus abluit dicens versum* Lauabo, *cum vno, aut duobus sequentibus.*

42 b *Ad cornu Epistolæ accedat,* Altaris munditie sic exigēte; quo & denotatur, quod pluries peccatur in prosperis per dexteram, quàm in aduersis per

Q 2 sini-

finistram denotatis, iuxta illud Psal. *cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis:* Ità Durandus, qui hanc Epistolæ partem de more dexteram appellat, habito ad Celebrantem respectu.

43 c *Lotis prioribus quatuor digitis, & extersis,* hoc est pollice, & indice vtriusque manus tantum, nō verò labijs, vt quidam indecentèr agunt: ita in simili Ritus Rom. aduertit Castaldus cùm alijs.

44 Fiat autem ablutio circà digitorum extremitates, quibus reseruatur Christi Corporis tactus; quod & conducit ad magis exprimendum, quod ex D. Dionysio docet D. Thomas loco cit. *extremitatum ablutio significat emundationem etiam à minimis peccatis.*

45 Extersio pariter fiat in eodem cornu Epistolæ, à quo non anteà discedat Sacerdos, quàm totaliter digitos extersérit, & manutergium depósuerit. Abluat insuper, & extergat non suprà, sed infra mensam Altaris, retento à ministro Manutergio in ablutione, postmodum porrigendo pro extersione. Tres autem versus, *Lauabo inter innocentes &c.* tali distributione proferat, vt cum ablutione, & extersione compleat, vt docent in simili Ritus Rom. expositores. Se se ergo illi corrigant, qui cum manutergio ad Altaris medium se extergentes progrediuntur, & profundè inclinati ad Orationem in *Spiritu humilitatis &c.* adhuc illud manibus contrectant. Scio in hoc quosdam mysterium comminisci, quod Christus linteo præcinctus, inclinans se ad pedes discipulorum post Sacramentum in cæna traditum, orauit ad Patrem. Zelus sit; secundum scientiam sanè non est; *cum manifestè aduersetur rubricæ etiam antiqui

Or-

Ordinarij dicentis, *Digitis lotis, & extersis reuertatur, iunctis manibus, ad medium Altaris.* Quid clarius? Adducto ergo mysterio ablutio potiùs, atque extersio præscripto modo facta aptetur.

46 d *Incipiat in spiritu humilitatis, & in animo contrito.* * Ablutionem, hoc est contractam manuum munditiem, cordis illam contriti, atquè humiliati figurantem, non inconsultò ritu nostro, nec non Carmelitano subsequitur Oratio ex verbis Azariæ apud Danielem, (in multis hęc M SS. Missalibus, teste Bona *cap. 9. nu. 5.* reperitur) qua *in Spiritu humilitatis, & in animo contrito* suscipi nos ab Æterno Patre, ac fieri acceptos vnà cum Sacrificio postulamus. Nisi enim Persona Deo grata fuerit, oblatio quatenus ab ipso dimanat, nequit esse accepta. Respexit namquè Deus ad Abel, deindè ad munera eius. Scriptum est autem: *cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.*

47 e *Inclinando se ad Altare profundè*, iunctis adhuc manibus. * Habitus hic, ac compositio humiliantis se coram Deo consonat verbis: *In Spiritu humilitatis, & in animo contrito.* Atquè ex Porrecta c. 12. IESVM repræsentat, in deserto pęnitentiæ operibus intentum. Cùm insuper per orationem, *in Spiritu humilitatis*, petamus nos, nostrumquè Sacrificium, mox in præparatione oblatum suscipi à Domino, per corporis gestum mens statim ad IESVM trahitur, precibus nostris robur impertientem, de quo in Apostolo legitur: *humiliauit semetipsum factus obediens vsquè ad mortem*, & alibi: *attritus est propter scelera nostra*, pro quibus se tunc Deo Patri offerens de toto rigore iustitiæ fecit satis, superquè. Manuum verò coniunctio humanitati in Verbi persona coniunctam Diui-

nitatem piæ obijcit meditationi, vndè actiones illæ Christi theantricę fuerunt ad satisfaciendum infiniti valoris.

48 f *Digitis, quibus Corpus Domini tractaturus est, ne vertat folia, aut aliquid tangat.* Ad reuerentiam hoc, & similia attinent rubricę præcepta. Licèt enim infinita Missæ mysterio insint mysteria, vt alibi cùm Innocentio, alijsque dictum est, non omnia tamen mysterium inuoluunt. *In celebratione huius mysterij*, docet D. Thomas hic ar. 5. in ò, *quædam aguntur ad repræsentandam passionem Christi, vel etiam dispositionem corporis mystici, & quædam aguntur pertinentia ad deuotionem, & reuerentiam huius Sacramenti.*

49 Reuerentia eadem, ac grauitas ministerij exposcit, vt quando vna dumtaxat manus in vertendo folia, in capiendo Patenam, vel in aliqua alia actione occupari debet, nunquàm altera in aere suspensa remaneat, sed super Altare extrà, vel intra Corporale respectiuè deponatur: nec non, vt post Consecrationem vsquè ad sumptionem, in folijs vertendis, nōnisi sinistra, quantum fieri potest, adhibeatur: hæc habent in simili Ritus Rom. expositores communitèr.

50 g *Dicat voce aliquantulum eleuata*: hoc est, vt loquitur antiquum Ordinarium l. 2. p. 6. nonnisi *ità altè, vt possit audiri à ministris*, de quo *tit. 6. nu. 25.* sermo fuit; vbi etiam mystica congruentia allegata est; cùm tamèn adhùc perseueret adducta tit. 15. litt. g. nu. 19.

51 h *Orate Fratres*, (hoc est de vno Patre Christo, & de vna Matre Ecclesia) Leo Papa statuit dici secundum Hugonem *cap. 11.* atquè Radulfum *propos. vlt.* At ante Leonem consimilis formulæ meminisse

vi-

videntur Chrysostomus *hom. 10. in 2. Epist. ad Cor.* atquè expressiùs Augustinus *Epist. 106. ad Vitalem*, nec non Sother *de consf. dist. 1. cap. hoc quoque* : Stephanus verò Eduen. *l. de Sacram. Alt. cap.* 10. hanc traditionẽ refert ad Christum Dominum, qui orauit, & Discipulos ad orandum excitauit. Turrecremata etiam *hoc fit*, inquit, *in figuram eius, quòd Christus ait Discipulis suis: Vigilate, & orate.*

52 His verbis Sacerdos actioni iàm magis appropians, quæ totius naturæ vires transcendit, auxilium precum ad illam ritè peragendam implorat, vt collectæ multitudinis suffragijs interuenientibus (ad quam proindè conuertitur) ex parte etiam operantium in conspectu Domini fiat accepta; dicente Euãgelista: *si duo, vel tres consenserint de omni re super terram, quamcumque petierint, fiet eis à Patre meo.*

53 *Quo circà*, infert Dominicus Sotus *hic*, *licèt ad præcedentia potius plebs attenta esse debeat, inter Secreta tamèn congruit, vt oret.*

54 Alitèr Petrus de Soto *lib. de instit. Sacerd. lect.* 15. hæc verba exponit, *Sacerdos*, inquiens, *quasi ingrediens in Sancta Sanctorum, iubet, populum in humilitate, & vera fide Sacramenta considerare, quæ celebrãtur, sicuti in veteri lege solus Sacerdos ingrediebatur in Sancta, populo exterius expectante, & orante.*

55 Fauet doctrina hæc ritui nostro, nec non Carthusiensi omittenti Orationem, quam ex Missali Rom. (vt loquitur Bona loc. cit.) nomine totius Populi, iure aliàs optimo, subdit minister: *suscipiat Dominus &c.* quam paulò diuersam habet Remigius Antisiodoren. apud Gauantum *hic* : at vniuersalitèr infrà vsum olim fuisse ex eo colligitur, quod non illa

habetur in ordine Rom. nec illius meminit Innocentius III.

56 i *Ad cornu Euangelij, & ad Missale, in gyrum conuersus reuertatur, & ibi &c.**In antiquo Ordinario *l.2.par.6.* sic dicitur: *Sacerdos per aliam partem se vertens stet inter librum, & Calicem, habens vultum ad librum prosequatur Secretas.* Non itaquè ad cornu Euãgelij in totum secedat, sed stet inter librum, iàm ab Euangelio extransuersũ, & Calicem, vt sic oblata nõ omninò Celebrantis intuitu, contra reuerentiam, destituantur, & simul impleatur, si quod inest, mysteriũ.

57 Mysterium autèm fortasse non desideratur, si ob oculos mentis Christus Dominus sit, dum Lucæ 22. postquàm iussit Apostolos orare, *& ipse auulsus ab eis orabat*, iàm passioni magis proximus, quam accessus à dextera ad partem Altaris, quæ Celebranti est sinistra, repræsentat. Moralitèr vero veluti ostendit Sacerdos, ex Durando, se esse in sinistra, idest peccatorem, ideòquè populi precibus, quas exposcit, indigentem. Hæc aliàs Sacerdotis conuersio in gyrum, ità vt perficiat circulum, vt loquitur Missale Rom. refertur ad Dauidis illud Psal.26. *circuiui, & immolaui, ex Gauanto hic.*

58 l Dicit, *Domine exaudi orationem meam:**quia iam hìc præparat semetipsum, nomine proprio preces emissurus, qui Fratres iussit orare; mox adducto Christi exemplo, de quo postquàm Lucas 22. Apostolis indixisse retulit, *Vigilate, & orate, & ipse*; statim subdit, *orabat.* Malè proinde adhùc nonnulli *Dominus vobiscum* subijciunt. Nobiscum Carmel. conueniunt.

59 m Et *Oremus:** Veluti ex dictis illationem faciens: *ergo oremus.* Ad orationes secretas ex Inno-

cen-

centio,& Durando,populum præparat Sacerdos, dicendo immediatè post Euangelium,seù Symbolum *Dominus vobiscum, & Oremus.* Ritu ideò Rom. sine *Oremus*, & sine alia interpositione orationes illæ ab Offertorio intermissæ subduntur. * Cur autem, ritu nostro,ac Carmelitarũ *Oremus* alterũ tacitè hìc præmittatur, pia hæc mentem subijt congruentia. Alibì Populum, hoc nos loco & Angelos Dei interpellamus,quos adstare orantibus iuxtà illud Psalmi: *in conspectu Angelorum psallam tibi*, & signanter Missæ Sacrificio exhibere præsentiam,piè creditur,& sacris auctoribus comprobatur: *illos igitur habemus*,(ait Innocentius l.2.cap.25. (*in Oratione participes, quos habebimus in glorificatione consortes*;& in præfatione de eisdem dicitur: *socia exultatione concelebrant,cùm quibus & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur &c.*

60 n *Dicit secreta.* Oblationem tandem concludens,vt ait Sotus,Orationes subdit,quæ secretæ ideò nominantur, quia secretò dicuntur, ex Amalario *l.3. off. cap.*20. Dicuntur autem secretò ob congruentias allatas *tit.anteced. nu.*19. atquè allegandas *in de Canone*, quem Durandus secretam maiorem appellat. Specialitèr autèm in hac veluti anticipata futuri Sacrificij oblatione insinuatur,ex Gemma animæ *c.*32. Sacrificium hoc in sacrificio Patrum, vti figuram, præcessisse, ac simùl latuisse in Agno Abel,in Ariete Abrahæ pro Isaac,in Agno Paschali, in Vitula Rufa,in Hirco Emissario.

61 Huiusmodi Orationum vsus in Missa,quàlescumquè illę fuerint, antiquissimæ traditionis antiquiorum Patrùm monumentis comprobatur.Certam verò earum distributionem, atquè etiam reformatio-

nem,

nem, quæ nunc in Rom. Missali, Carthusiano, ac Carmelitano propositę extant, D. Gregorium Magnum tradidisse, patet ex deductis tit. 10. num. 144. & 245. vbi & probatum, exactè easdem nostro Ordinario insertas fuisse, cum quo (si vnam, aut alteram reformatas excipias) Missale nostrum concordat.

62 Per Orationem orationem generalitèr significari, quam Christus Dominus per vitæ totius decursum excoluit, dixi *tit.* 10. *nu.* 140. assertioni innixus Innocentij III. lib. 2. Myster. Missæ cap. 26. dicentis: *Homo verus passioni propter nos destinatus semper vnitum sibi Verbum pro nobis orabat*; quod in ijsdem terminis repetit Titelmánus *c.* 15. (Quam tamèn doctrinam piè interpreteris, iuxtà deducta à D. Thoma 3. *p. q.* 4. *ar.* 2. atquè *ar.* 3. *ad* 1. nec non *initio opusculi* 1.) De orationibus verò secretis magis peculiaritèr ad rem nostram sic idem Innocentius differit l. 2. c. 60. *Nunc tandem Sacerdos dicit Orationem, quam intermiserat, quia tunc demum Christus rediyt Hierosolymam ad domum Orationis, quam ad tempus deseruerat, cùm secesserat in Effrem &c.* Porrecta verò c. 12. per huiusmodi orationes, quam à dęmone in deserto Christus Dominus passus est tentationem, quamquè de eo reportauit victoriam, probat significari iuxtà Dauidicum illud Psal. 108. *Os peccatoris, & os dolosi super me apertum est: Ego autem orabam*: vndè & nos Christus edocuit oratione muniri; *Orate: ne intretis in tentationem*. Hidelbertus denique Episcopus Cenomanen. qui Missę totius mysteria carminibus modulata publici iuris fecit anno 1500. de secreta hac oratione sic cecinit

se-

ſecretò Presbiter oras
Secretas memorans, aſſimilanſque preces,
Quas egit Chriſtus: cùm te iam Iuda remoto
Abſceſſit modicum, terquè precatus ait,

TITVLVS XVII.

De Præfatione.

RVBRICA.

a *Quibus finitis, ad medium Altaris pergat,* b *manibusquè super Altare hinc, & indè demissis, incipiat,* c Per omnia sæcula sæculorum *&c.* d Dominus vobiscum *&c. Ad* e sursum corda, *eleuet manus, & extendat. Ad* f gratias agamus Domino Deo nostro, *iungat manus, inclinato capite, & eas postea aperiat. Dicat,* veredignum, & iustum est *&c. manibus eleuatis, vt humeros non excedant, extensis, vt à retro aspici queant (quod semper obseruetur in extensione manuum, nisi ad,* vndé & memores.) *Ad* deprecamur supplici, *coniungat manus ante pectus.* g Sanctus *etiam dicat iunctis manibus,* h *eadem, qua prius, voce.* i *Ad* Benedictus, qui venit in nomine Domini Osanna in excelsis, *signo Crucis se muniat.*

NO-

NOTÆ.

63 a OVibus finitis, ad medium Altatis pergat, & tunc Miſſale iàm ab Euangelio extranſuerſum, propè Corporale trahat, atque adaptet, vt in medio Altaris ſtans commodè ex illo legere poſſit, *licèt hac de re taceat rubrica*, vt in ſimili Miſſalis Rom. ait Gauantus *p.2.tit.7.nu.7.litt.B.* In medio autem Altaris ſiſtere ſe Sacerdotem, ibiquè permanere vſque ad Communionem incluſiuè, congruentia maximè exigit alibi allata de Chriſto Ieſu Dei mediatore, & hominum, in medio orbis paſſionis ſuæ ſacramentum implente.

64 b *Manibus ſuper Altàre demiſſis*, per quas deſignatur profectus bonorum operum, quibus ſibi viam magis, ac magis ſternit ad proficuam Sacrificij oblationem. Earundem verò ſubſequens eleuatio (de hac iterum infrà) ac coniunctio, & reſpectiuè corporis inclinatio verbis, quæ ſimul proferuntur, amoris, & obſequij debentur.

65 c *Per omnia ſæcula ſæculorum*. Ad obſtruendum os loquentium iniqua hæreticorum, placet hìc exſcribere Doctrinam D. Thomæ hic art.4. ad 6.
„ In hoc Sacramento tanguntur ea, quæ pertinent
„ ad totam Ecclesiam. Et ideò quædam dicuntur
„ à Choro, quæ pertinent ad Populum. Quorum
„ quædam Chorus totalitèr proſequitur, quæ ſcilicèt
„ toti populo inſpirantur. Quædam verò popu-
„ lus proſequitur, Sacerdote inchoante, qui Perſo-
„ nam Dei gerit, in ſignum, quod talia peruenerunt

ad

" ad populum ex reuelatione Diuina, ſicut Fides, &
" gloria cæleſtis. Et ideò Sacerdos inchoat ſymbo-
" lum Fidei, & *Gloria in excelſis Deo*. Quædam verò
" dicuntur per miniſtros, ſicut doctrina veteris, &
" noui Teſtamenti, in ſignum, quod per miniſtros à
" Deo miſſos eſt doctrina hæc populis annunciata.
" Quædam verò Sacerdos ſolus proſequitur; quæ
" ſcilicèt ad proprium officium Sacerdotis perti-
" nent, vt ſcilicèt dona, & preces offerat pro popu-
" lo, ſicut dicitur Hebr. 5. In his tamen quædam di-
" cit publicè, ſcilicèt quę pertinent & ad Sacerdo-
" tem, & ad populum, ſicut ſunt Orationes commu-
" nes. Quædam verò pertinēt ad ſolum Sacerdotem,
" ſicut Oblatio, & Conſecratio: & ideò, quæ circà
" hæc ſunt dicenda, occultè à ſacerdote dicuntur.
" In vtriſquè tamèn excitat attentionem populi di-
" cendo, *Dominus vobiſcum*, & expectat aſſenſum di-
" centium, *Amen*. Et ideò etiam in his, quæ ſecretè
" dicuntur, publicè præmittit, *Dominus vobiſcum*, &
" ſubiungit, *Per omnia ſecula ſeculorum*. Hæc Do-
ctor Angelicus.

66 Ex his, quod attinet ad præſens, colligitur, verba, *per omnia ſæcula ſæculorum*, eſſe terminum Orationis Secretę, ſeu (vt alij codices Gregoriani habēt) ſuper oblata, cui miniſter, nomine populi, reſpondēs *Amen*, ſua voce roborat, quas Sacerdos preces ad Deum fudit, ex Micrologo cap. 7. Sunt ſimul hæc verba, in ſententia Innocentij, & Durandi, principiū hymni, qui, cum ſit quaſi prælocutio, vt Durandus ait, ſeù excitatio, & præparatio populi, vt inquit Bellarminus *de Miſſa l. 2. cap. 17.* ad Canonem, in quo principalius Miſſæ ratio conſiſtit, Præfationis nomen ſortitus eſt.

67 Si-

67 Silentium,ad hæc verba , frangens Sacerdos ad memoriam nobis reducit,quod cùm à prædicatione IESVS tacuisset , & sese abscondisset in solitudine,orans secretò , ad locum tandèm passionis regressus (* congruentia etiam hæc nobis fauet Secretas extrà medium Altaris dicentibus)prædicando,& palàm ambulando sui copiam fecit :

68 d *Dominus vobiscum.* Illa verba ,*per omnia sæcula sæculorum*, pertinere ad Orationes secretas tãquàm complementum , ac conclusionem illarum, vti cum D.Thoma dictum est, & non nisi per , *Dominus vobiscum*, Præfationem incipere , sentit Bellarminus *loco citato*,& Castaldus *hic* .

69 Circa consecrationem , quæ supernaturali virtute agitur,& se, & Populum iàm Sacerdos adornat per hoc *Dominus vobiscum :* ad quod non se vertens ad Populum indicat,sui attentionem à re , quæ agitur, iam totam absorberi .

70 Mysticè verò hoc, *Dominus vobiscum* , sic exponit Innocentius l.2. cap.62. *dicturus orationem dignissimam præmittit salutationem,optans , nos tales existere,cum quibus Dominus manere dignetur* (quomodo ex latibulo venit in domum Lazari, Io:12.) & *illud nobiscum celebrare conuiuium, ad quod mulier attulit alabastrum vnguenti Nardi pistici pretiosi, & illud effudit super caput Domini recumbentis .*

71 e *Sursum corda.* In his verbis Apostolicę traditionis , & in omnibus Liturgijs repertis , propriè loquendo, incipit Præfatio , ex Menardo *in notis pagina mihi* 8.cui videtur suffragari D.Thomas sic suam Missæ expositionem prosequens ; *Circà consecrationē, quæ supernaturali virtute agitur, primò excitatur populus*

ad

ad deuotionem in Praef.tione, vnde & monetur sursum corda habere ad Dominum: quasi ei dicatur: iam Apostolicis dispositiuè, & Euangelicis praeceptis perfectè instructi, corda vestra à terrenis curis sursùm ad Dominum dirigite; actione iam imminente, quae totius naturę vires transcendit. Consonat D. Thomae S. Cyprianus lib. de Oratione Dominica, *& ideo Sacerdos ante orationem parat fratrum mentes dicendo, sursum corda.* Consonant & alij antiqui Patres apud Menardum *loco citato. Dominus* autem *vobiscum* ad Praefationem spectat, nonnisi veluti praelocutio, seù pręparatio ad ipsam: nàm, vt ait Augustinus de bono viduitatis cap. 16. *inter sacra mysteria cor habere sursum iubemur, ipso adiuuante id valemus.*

72 Prefationis verò ritum ex Apostolica traditione descendere plurium SS. Patrum auctoritati innixus firmat Magister Grauina *praescriptionum catholicarum lib. 4. ar. 7.* Et sanè ab immemorabili (vndè Apostolica traditio regularitèr infertur, vti probant Melchior Canus *lib. de locis Theologicis,* & idem Grauina *lib. cit. pluribus in locis*) vbiquè receptum, atque vsitatum fuisse, ex Liturgijs Iacobi, Marci, Basilij, Chrysostomi, omnium deniquè Ecclesiarum, & nationum palàm fit. Extat prętereà apud S. Clementem *l. 8. const. Apost. cap. 16.* Pręfatio, quę à nostra communi paulùm verbis discrepat, sententijs verò omninò congruit; cuiusmodi & illę sunt, quarum diuersae quidem, sed idem argumentum prosequentes, formulę in diuersis Ecclesijs fuerunt.

73 Pręfationes proprię multę habentur in Sacramentarijs editis, & in codicibus Remensi, Ratoldi, & in secunda parte codicis Rodradi, & vix vlla

Missa

Missa est, cui propria, & peculiaris non assignetur, in qua compendiosè vita, aut facta respectiuè enarrantur propria Festi, quod agebatur, vt & refert Baronius *anno* 109. *num.* 47. Vndè fortassè Præfatio prætitulabantur verba *sursum corda &c.* quia erant veluti introductio panegyris illius Festi, vt innuit Macrus *in Hierolexico V. Præfatio.*

74 Ex tot antiquissimis Præfationes propriæ dumtaxat nouem vsui superstant Ecclesiæ Romanę, nostro, aliorumque Ecclesiæ Romanæ ritibus adhærentium, easdem, quas dumtaxat receptas ferunt à Gelasio Papa, vt legitur cap. inuenimus de cons. dist. 1. apud Gratianum; *inuenimus nouem Præfationes in sacro catalogo tantummodò recipiendas, quas longa retro vetustas in Romana Ecclesia hactenus seruauit:* cuius decreti Gratianus aliàs, & Burchardus *dec. lib. 3. c. 69.* Pelagium II. 87. annis Gelasio posteriorem auctorem faciunt. Decretum tamen hoc post Gelasij, seu Pelagij decessum antiquatum fuisse, ex antiquis citatis Sacramentarijs notat post Menardum *in notis pag.* 26. Bona *l.* 2. *c.* 10. *nu.* 3. qui tamen meritò suspicatur, ne alterius Pontificis, recentioris etiam Gregorio Magno, hoc decretum sit. Quo autem tempore à tot Præfationibus Ecclesia Romana abstinuerit, non satis liquet. Ex verbis Guidmundi *lib. 2. de Corpore, & Sanguine Christi*, nec non Algeri *lib. 1. de veritate Corporis, & Sanguinis Domini cap.* 15. colligit Menardus, circà seculum duodecimum alias à dictis nouem fuisse in vsu; & Bona in Missalibus scriptis post dictum sęculum illas nouem dumtaxat reperiri enarrat. * Fertur sub prima Ordinis nostri secula Pręfationes Sanctorum Ordinis proprias fuisse in

Xauierre,nonnihil innouatum est, easmet extendendo,puta,vt Præfationes de tempore,toto eodem tempore,etiam in festis Sanctorum proprias non habentibus,dicerentur,(transacta octaua Paschatis dicendū est:*te quidem Domine omni tempore, sed in hoc potissimum*,omisso ly die,*gloriosiùs prædicare*,ex Missali Romano .) Sicquè conformitas cùm Ritu vniuersali in hoc etiam inducta est,quam Clementem VIII. exoptasse , quantùm per illęsam Prædicatorij ritus integritatem licuit,alibi dictum est,& Alexandrum VII. Generali de Marinis dicitur commendasse . Nequè est,cur doleant nonnulli , rem nostram Liturgicam varietati obnoxiam esse,recolentes deducta *tit.2.prælim.*nullam scilicèt Liturgiam , si partes eius substantiales ab Apostolis institutæ excipiantur,ab additionibus,seù mutationibus,temporum varietati consentaneis,fuisse immunem;& Gregorianam ipsam , nostram videlicèt Romanam, à B.Piò V.vltimò reformatam , à Clemente , atquè Vrbano vtrisque VIII. recognitā,ac quibusdā additis expolitā fuisse . Et sistendo in rebus nostris, si antiqua , & noua , & medij temporis ritualia inter se conferamus, noscemus manifestè,in his,quę exteriorem Dei cultum concernūt, non adeò Patres nostros antiquis Ordinis statutis pertinacitèr adhęsisse,vt,seruata antiqui ritus integritate,aliqua noua omni tempore non admiserint,prout temporum varietas, ac aliquando praxi vniuersali se conformandi studium exigere visa sunt . Hinc plurium Campanarum , hinc Organorum in nostris Ecclesijs vsus, hinc genuflexiones in Missa,hinc eleuatio Calicis post consecrationem , hinc aliquarum Missarum , quæ extant in Missali etiam Xauierre,

R 2 de-

desuetudo,& id generis alia. In nouis etiam Carmelitarum Missalibus *aliqua correcta, aucta alia, alia verò addita fuerunt; ac Romanæ Curiæ cæremonijs accõmodata*, vt in eorundem prælocutionibus legitur. Cartusienses paritèr ita antiquos Ordinis ritus illibatos seruari curarunt,vt tamèn nonnulla quoad materiam cùm Missali Romano reformato collimare fategerint,vt in eorum diciturEpistolà encyclica. His ergò, & huiusmodi varietatibus acquiescamus, vt communi conscientiæ cautum sit, & in domo Dei & nos cùm consensu ambulare populis innotescat, reminiscentes, debitores nos esse sapientibus, & insipientibus.

77 ℣ *Ad sursum corda eleuet manus*. Ista admonitione, ex illo Thren.3. *leuemus corda nostra cùm manibus ad Dominum in Cælos*, desumpta, tùm gestu,tùm verbis excitatur populus, vt pectus contra aduersarium claudat,vt soli Deo pateat. Semper quidem *sursum vocant nos initia nostra*, aiebat & Seneca epist.79 *sed* (monet Cyrillus Hierosol.catech.5.Myst.)*circa illam maximè tremendam horam sursum ad Deum corda leuare necesse est*. Vndè à Nazianzeno vocatur Missa *mystica,& sursum ferentia sacra*. Hic ergo potissimum locum habet illud Agustini in id Psalmi 85. quoniam ad te Domine animam meam leuaui; *rectè admonet membra sua, vt sursum corda habeant. Audiant ergò,& faciant, leuent ad Cælum, quod malè est in terra: ibi enim non putrescit cor, si leuetur ad Deum*. Hoc autèm operibus comprobare paratus attollat & manus.*Corda* enim *cùm manibus leuat*,inquit Gregorius, *qui orationem suam operibus roborat*.

78 *Dum respondet plebs*, (ait, post S.Cyprianum

lib.

lib. cit. de oratione, D. Thom. hic ar. 4. ad 5.) *habemus ad Dominum* (subintellige corda eleuata) *admoneatur nihil aliud se, quam Deum cogitare debere: ne existentes corpore in choro, & corde in foro*, vt verbis vtar D. Thomæ opusc. 59. cap. 6. Esaiæ 29. probrum incurrat: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè à me est. Nullus* ergò, monet loco cit. Cyrillus, *sic consistat, vt ore quidem dicat, habemus ad Dominum, mente verò circà vitæ huius curas vagetur.* Cor sanè ad Deum habebat B. Henricus Susonius, ad *sursum corda* tres miræ pietatis sensus elicere assuetus, quos habes in nostris Chronicis *p. 2. l. 2. cap.* 10. cuius menti quando vnus, aut alter inter Præfationem occurrebat, ita eius legebatur in vultu, vt, ad insigne deuotionis exemplar, Dauidicum illud exprimeret: *cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

79 g *Gratias agamus Domino Deo nostro:* dicente Apostolo *in omnibus gratias agite*, & orante Ecclesia dignum, & iustum est, vt inquit sapientissimus noster Lemos lib. 4. p. 2. tract. 4. cap. 38. addens, *hanc in agendis gratijs Ecclesiæ mentem eo tendere, vt totum Diuini muneris adeò esse sentiatur, vt hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisquè confessio referatur: & hoc ipsi significatum est Matth. 22.* reddite, quæ sunt Dei Deo. Conformitèr his docet August. de bono perseu. c. 13. *quod in Sacramentis fidelium dicitur, vt corda sursum habeamus ad* Dominum, *munus est Domini: & ideò* (ait idem de bono vid. cap. 10.) *sequitur, vt de hoc tanto bono sursum leuati cordis non nobis gloriam, quasi nostrarum virium, tribuamus, sed Domino Deo nostro gratias agamus.* Debetur itaquè hæc gratiarum actio pro beneficijs quidem omnibus à Deo receptis, & specialitèr

tèr quòd sursum corda habeamus, sed & pro redemptionis mysterio, quam hic nostram celebramus, vt ait Sotus; seù *pro eo quod nos hisce donis suis dignatus sit*, vt inquit Iustinus Martyr *Apol.2. pro Christianis.* quod & expressè dicitur in Liturgia S. Ioannis Chrysost. *gratias agimus tibi pro hac Liturgia, quam de manibus nostris suscipere dignatus es.* Nam & Eucharistia gratiarum actio est, vt notat Sotus hic.

80 De *quo munere* (prosequitur August. loc. cit. de dono perseu.) *ipsi Domino Deo nostro gratias agere à Sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonētur; & dignum, & iustum esse respondent:* quæ verba etiam tangunt SS. Cyrillus Hieros. *Cathechesi V. Mystag.* & Chrysost. *serm. 18. in 2. Epist. ad Cor.* & habentur in omnibus Liturgijs.

81 Dignum verè, & iustum est, repetit Sacerdos; dignum quantum ad Deum, *quoniam ipse est Dominus Deus noster*, iustum quantum ad nos, quia *nos sumus populus eius, & oues pascuæ eius*; dignum, quia nos mera voluntate fecit; iustum, quia nos pura misericordia redemit; æquum, quia gratuitò nos iustificat; salutare, quia nos perpetuò glorificat, qui sumus, vt ait Augustinus epist. 120. ad Honoratum, *filij promissionis, filij beneficij: hæc est gratia*, subdens, *quæ gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. Hinc gratias agimus Deo nostro: quod est magnum Sacramentum in Sacrificio noui testamenti &c.*

82 Debitum ergò vndèquaquè est, vt Populus cum Sacerdote Deo Patri rependat gratias, à quo bona omnia procedunt, sed *per Christum Dominum nostrum*, vnum Dei mediatorem, & hominũ, per quem beneficium redemptionis accepimus; per quem ideò

Diui-

Diuinam Maieſtatem laudant & Angeli; nàm, licèt non fuerint per Chriſtum redempti, gratias nihilominus, vt notat Sotus hic, & laudes omnipotenti Deo perpetuò ſoluunt, quòd nos IESVS Filius Æterni Patris redemerit, vt eorum eſſemus ſocietate digni, eiuſdemquè perpetuę fęlicitatis conſortes. Singularitèr autem, docet D. Thomas *opuſc.58. c.25. plurimum gaudent, & congratulantur in hoc Sacrificio de memoria Redemptionis, de aſpectu noſtræ ſalutis, de admiratione diuinæ bonitatis.*

83 Sancta itaque Eccleſia, quæ Angelis ſocianda eſt in patria, & cum illis in Dei laudibus permanſura, iam nunc in via cum ipſis noſtras voces deprecatur admitti. Vndè, cùm eorum tanta ſit deuotio laudantium, veneratio adorantium, tremor admirantium, qui Iob. cap. 26. *Columnæ Cæli* dicti ſunt, nos ſanè timere, ac tremere par eſt, quibus dictum eſt: *quid ſuperbis terra, & cinis?* Si *Deo miniſtrare*, vt inquit Chryſoſt. in Liturgiâ, *magnum eſt, & ipſis cæleſtibus Poteſtatibus terribile*, nos monitum Apoſt. Philipp. 2. implere debemus, *cum metu, timore, & tremore* noſtrã ipſorum ſalutem operantes.

84 Moris autem antiquitas, in Miſſæ Præfatione cæleſtes illos Spiritus ſic memorandi, manifeſtè colligitur ex Liturgijs SS. Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi, & ex SS. Cæſario, Cyrillo, Iſidoro, alijſquè antiquis Patribus apud præcit. auctores.

85 Ex verbis, *Cæli, Cælorumque virtutes*, ne inferas, èx ſententia Eccleſiæ, Cælos eſſe animatos; circà quod fuit quidem diuerſa olim opinio, etiam apud Doctores Fidei; ſed irrationabilem eſſe fuſim probat D. Thomas *p.p.q.70. ar.3.* & error quorumdam phi-

losophorum, atquè Originistarum dicentium, corpora Cœlestia esse animata, etiam anima intellectiua, anathematizatus fuit in Synodo Constantinopol. 5. *can.6*, vt notat Porrecta *in D.Thomam loco cit.* nec nõ *q.68.art.2.* Sic itaquè dicta verba intelligenda sunt, sicuti illa psalmi 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, & psal. 148. *Laudate eum Cæli Cælorum*, *vbi Cæli*, inquit Porrecta ibidem, *laudare Deum perhibentur, non quia sint rationales creaturæ, sed quia consideratio eorum prudenter à sensum habentibus contemplata glorificationem perficit Creatoris, idest, vltra alias bonas considerationes, incitant ad glorificandum Creatorem illarum, secundum quod & intelligitur canticũ triũ puerorũ Dan. 3. Benedicite omnia opera Domini Doño.* Spectatorum ergò lingua ad Dei laudem Cæli vtentes, Deum laudant, inenarrabilibusque, vt ait Gregor. Nazianz. & mutis etiam, vt ita dicam, vocibus, Deum glorificant. Quo sensu in Liturgiæ Iacobi Præfatione sic dicitur: *Quẽ Cæli, & Cæli Cælorum laudibus celebrant, ac omnis virtus eorum, Sol, & Luna, vniuersusque astrorum Chorus &c.* & post pauca nouem Angelorum, qui in Scripturis recensentur, chori, quem D.Thomas seruauit, ordine, subduntur.

86 Prætereà per ly *Cæli, Cælorumque virtutes*, omnes cælestes Spiritus significari, plausibilis, ac rei nostræ quadrans expositio est Flori magistri, qui floruit regnante Carolo Caluo *in sua exegesi Missæ Sacrificij in Bibliotheca Patrum editionis 2. tom.6.* Hinc est, vt idem affirmat, quod, cùm longum foret in ista gratiarum actione totos Angelorum Ordines, qui nouem in scripturis inueniũtur, singillatim ponere, post Cælos ponuntur virtutes, quo nomine omnes cælestes

stes Spiritus appellari solent, secúdũ illud Psalm. 23. *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ, & 32. Verbo Domini Cæli firmati sunt; & spiritu oris eius omnis virtus eorum, ac* 102. *Benedicite Domino omnes virtutes eius.*

87 *Sanctus, Sanctus, Sanctus* &c. *Benedictus qui venit* &c. Voces autem, quas cùm Angelis admitti Ecclesia militans deprecatur, sunt Trisagion hoc, quod Ecclesia triumphans Deo exercituum modulatur; secundum quod legitur Isaię 6. *vidi Dominum sedentem super Solium excelsum, & eleuatum &c. Seraphim stabant super illud &c. Et clamabant alter ad alterum. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria eius.* Item Apoc. 4. de quatuor mysticis Animalibus dicitur: *Et requiem non habebant die, ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Propterea D. Thomas, *& ideò*, prosequitur, *Populus deuotè laudat Diuinitatem Christi cùm Angelis dicens, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Non semel dicunt*, (Ambrosius docet l. 3. de Spiritu Sancto c. 28.) *ne singularitatem credas, non bis dicunt, ne Spiritum excludas: non Sanctos dicunt, ne pluralitatem æstimes; sed ter repetunt, & idem dicunt, vt etiam in hymno distinctionem Trinitatis, & Diuinitatis intelligas vnitatem. Hæc cùm dicunt, Deum prædicant.* His accedit Sotus hìc, implentes, inquiens,
„ verbũ illud Christi; Ego te clarificaui super terrã,
„ nunc clarifica me &c. commemoramus maiestatem
„ eius laudari ab omnibus Angelorũ ordinibus. Qua
„ re easdem nos vocis laudes cum illis concinentes
„ intonamus, quibus profitemur Filium æqualem
„ Patri, & Spiritum Sanctum ęqualem vtriquè. Sed
„ ad designandum earundem Personarum vnitatem

in

„ in essentia, adijcimus, *Dominus Deus Sabaoth*, idest
„ virtutum, & exercituum, quod est commune om-
„ nium. In cuius vtiquè laudem confitemur Creato-
„ rem esse Cæli, & terre dicentes: Pleni sunt Cæli,
„ & terra gloria tua. Ac deindè in confessionem re-
„ demptionis Christum laudantes subnectimus: Be-
„ nedictus, qui venit &c. Qua vtiquè voce intranti
Domino Hierosolymam, qui præibant, & qui seque-
bantur, acclamabant. Et eadem nunc *Populus*, subdo
ex D. Thom. hìc, *laudat humanitatem Christi cùm pue-
ris.*

88 Rythmica interpolatione quorundam versuum Festò congruentium Trisagion hoc protrahendi mos olim fuit, cuius meminit Lanfrancus *in suis statutis c.5.* Non ideò mirum, eam in Missa extare, quam de Sanctissimo Sacramento composuit D. Thomas *opusc.57.*

89 Ad hoc autèm Trisagion ter cùm aliqua distinctione pulsatur à ministro tintinnabulum (à tinnitu *tin, tin*, sic dictum, ex Hieronymo Magio *de Tintinn. cap. 1.*) tùm in laudem Dei ter Sancti, tum ad excitandam in circumstantibus ergà mysteria proxima deuotionem, ex Amalario l.3.c.1. & Rup.l.1. c.16. Ad quod id facit Num.10. *erit recordatio vestri coram Domino.*

90 Quod tandèm ad historiam spectat, hymnus hic, qui *triumphalis* in Liturgijs SS. Iacobi, & Marci, & *victorialis* in Liturgia Sancti Petri, atquè *Seraphica Theologia* à S. Cyrillo Hier. *loc. cit.* appellatur, traditionis & ipse Apostolicæ creditur, & probatur tùm ex omnibus Liturgijs, tùm ex antiquioribus Ecclesiæ Patribus, quos memorat Suarez *lo-*

91

to citato. Nequè obstat, quod de Sixto I. dicitur *in libro Pontificali*, nec quod de Concilio Vasensi habito *anno* 529. *can*. 4. legitur: nàm Sixtus solùm constituit, vt, Sacerdote incipiente, etiam Populus Trisagion ipsum cantaret. Concilium verò Vasense nonnisi abusum abstulit, in Missis tantùm solemnibus illudmet dicendi, statuens, vt in omnibus Missis etiam defunctorum adhiberetur; *quia tàm dulcis*, subdit, *& desiderabilis vox, etiamsi diu, noctuquè posset dici, fastidium non potest generare*. Illud quidem, *Benedictus, qui venit &c.* addidit S. Ignatius, si credimus Remigio Antisiodorensi *in expositione Missæ*.

91 h *Eadem, qua prius voce*. Vocis mediocritate, corporis inclinatione, ac manuum iunctione *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, comitatur Ritus Rom. ad humilitatis, atquè obsequij inditium, nec non respectiuè ad illud insinuandum, quod legitur Apoc. 4. de 24. senioribus ad hoc Trisagion procidentibus. * Ad idē significandum, manus & nos coniungimus; eandem de cætero vocem adhibemus, ac stantes verba proferimus; (esse enim à nobis inclinandum nullibi documentum inueni: vndè rubricam nostram in hac simplicitate inductam, in eadem & relictam existimo.) Eandem verò vocem ideò fortasse iubemur seruare, vt mystica illa quatuor Animalia Apoc. 4. expressiùs figuremus, de quibus ibi dicitur: *requiem non habebant die, ac nocte dicentia Sanctus, Sanctus &c.* Propterea Ambrosius l. 3. de Sp. Sancto cap. 16. *Cherubin*, ait, *& Seraphin indefessis vocibus laudant, & dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Fauere insuper videtur eadem voce vtentibus, ac simul stantibus, quod dicitur Isaiæ 6. *Seraphin stabant, & clamabant,*

bant; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Ex his autèm Scripturæ sacræ locis hunc suę Pręfationis terminum Ecclesiam mutuatam esse, docet cùm alijs Suarez *de Sacr. disp. 82. sect. 1.*

92 i *Ad* Benedictus, qui venit &c. Osanna in excelsis, *signo Crucis se muniat. Osanna* verbum est, ex Innocentio *l. 2. cap. 62.* (vt alias Patrum expositiones præteream) Hebraicum, constans ex *Osi*, quod interpretatur *viuifica*, & *Anna*, quę est apud Hebræos interiectio deprecantis animi affectum exprimens; latinè ideò huic æquiualens, *salua quæso*. Veluti itaquè cum Dauide Psalmo 117. dicitur. *O Domine saluum me fac. Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Bis autem dicitur Osanna, semel Angelorum nomine, semel hominum; & propter duas partes salutis æternæ, quæ sunt stola mentis, & stola carnis, quas nobis cõparauit *benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.*

93 Vt verò mysteria vitę Christi IESV omissa non faciam, hoc loco Ecclesia recolit solemnem illius in Hierusalem ingressum, quando festiuis eum vocibus, *Benedictus qui venit* &c. turba excepit: ità Liturgici communitèr, quibus subscribit & Porrecta, qui tamen ex Præfationis antecedentibus verbis Christi Domini prædicationem egregiè elicit.

94 Signo autem Crucis tunc se munit Sacerdos, vt insinuet, ex Gemma animæ l. 1. cap. 42. quoad se, signum Christi recipere se profiteri, cui mox in imagine, hoc est repræsentatiuè, per Canonem Christi met passionem proximè designantem, contradicitur: quoad Christũ verò denotat ex Titelm. c. 37. magnificum

illum

illum cùm populi acclamatione ingressum in Hierosolymam , non ad regnum suscipiendum Christo fuisse, sed ad Crucis in ea breui perferendum supplicium . Exindè enim Io: 12. firmius Iudęi in eius mortem coniurarunt: mortem autèm Crucis .

TI-

TITVLVS XVIII.

De Canone, ac de prima eius parte: *Te igitur &c.*

RVBRICA.

a *Iunctis manibus ante pectus, & inclinando profundè, genibus non flexis*, b *dicat* c *Canonem* d Te igitur &c. *Ad*, Vti, *erigat se, & ad*, Benedicas, e *demittat læuam in Altare*, f *& signet totum Sacrificium tribus, vt hic signatum est, Crucibus*, hæc † dona, hæc † munera, hæc † sancta Sacrificia illibata; *nempe* g *tribus tantum prioribus digitis extensis, reliquis inflexis versus palmam.* h *Ad*, In primis, *iunctis ante pectus manibus, prosequatur.* i *Ad*, Papa Nostro N, *exprimat nomen proprium Papæ: Sede vacante, omittũtur prædicta verba.* k *Et* Antistite nostro N *specificatur nomen proprium Episcopi in propria Diæcesi, & non alterius superioris.* l Et Rege nostro N. *exprimitur nomen in dominijs alicuius Regis.*

NO-

N O T Æ.

1 a IVnctis manibus, & inclinando profundè. Hoc pręceptum ita intelligendum esse, vt manuum coniunctio, & corporis inclinatio præcedant prolationem verborum, sentit Castaldus, Quartus, & Bonamicus contra Gauantum *in hanc rub.*

2 b *Dicat*, subintellige *secretò*, hoc est ita intrà se, vt distinctè quidem, ac labiorum motu verba proferat, sed à circumstantibus non intelligatur, immò nec à ministro, vt aduertit Sotus, ne res mysterijs fraudetur adductis, & mox adducendis.

3 Sciendum ergo est, quod, sicuti vsus ad Diuina adhibendi linguam alteram à communi, ex traditione Apostolorum deriuatus, viget, ne dum apud Latinos, sed & apud Hebręos, Græcos, & Syriacos, lingua non vulgari, sed doctrinali, vt appellant, vtentes, ità pariter multa (quæ scilicet *pertinent ad solum Sacerdotem*, vt loquitur D.Thomas *hic ad 6.*) in missa secretò recitandi ritus antiquissimus est, vt ex Iacobi, aliorumque Liturgijs, atquè ex *Can.* 19. Concilij Laodiceni euidenter ostenditur. Facta hæc sunt, vt rei Diuinæ maior reuerentia conciliaretur. Nequè verò est secundum se conueniens, quod populus, qui aliàs facilè in Concionibus, & Cathechismis doceri potest de ijs, quæ eum scire par est, mysteria occulta modis omnibus percipiat, vt cùm SS. Dionysio, & Basilio, asserit Nugnus *in D.Thomam hìc*. Proptereà voluit Deus, ex D.Augustino *l.2. de doctr. Christ. cap.6.* vt aliqua in Scripturis sub figuris continerentur,

tur, & *Scriptura ipsa*, vt loquitur Alexander de Ales de off. Miss. p. 2. ar. 3. *in quadam obscuritate tradita est.* Eiusdem rei specimen habetur Num. 4. vbi Aaron, & filijs eius præceptum fuerat, vt soli ingredientes Tabernaculum vasa inuoluerent in Sanctuario, ne publicarentur. In Tabernaculum insuper exterius introibant Sacerdotes veteris legis quotidie, nō autem populus, qui solùm ad atrium, quod etiam quodam velo distinguebatur à Tabernaculo, accedebant: quia ipsa corporalia populus attingere potest; interiores autem eorum rationes *soli sapientes*, vt exponit D. Thomas *p. 2. q. 102. ar. 4. ad 4.* Quid quod, addit Sotus, etiam Sacerdotes gentilium arcana Deorum pressis labijs custodiebant? vndè mysterium nomen habuit.

4 Si ergò quod mysteria inuoluit sapientibus dumtaxat patere congruit, sanè quod altissima continet mysteria, solis sapientibus strictè sumptis, hoc est Presbyteris, modis omnibus manifesta esse par est: cùm maximè Missa instituta potissimùm sit, non vt populus per eam erudiatur, sed vt Deus per eam colatur. Dixi, *modis omnibus*; quia aliàs fas est, Euangelicum Gregem in genere scire, illique à Pastoribus explanari, quæ mysteria in Missa perficiuntur.

5 His, & alijs congruentię rationibus innititur vsus in vniuersalem Ecclesiam inductus plura secretò in Missa dicendi, & præcipuè Canonem mysterijs plenum; quem ideò Eboracense Concilium sub Celestino III. *secretum* appellat: vndè Sacerdos admonetur, vt scriptum meminerit: *Secretum meum mihi*: vt vel ipso silentio edoceat, se totum in Deum abreptum esse, & solum cum solo altissima mysteria

tra-

tractare. Blateret cùm suis Nouatoribus pro sui libidine Lutherus, animalis homo non ea percipiens, quæ sunt Spiritus Dei, & sentiat anathema Tridentini sess. 22. de Sacrif. Miss. can. 9. *Tu autem, ò Fili* (monet Dionysius initio libri de cælest. Hier. ad Timoth.) *iuxtà quod sancit nostra piissima traditio, quæ sanctè dicun tur, sanctæ mentis recessibus conde, & à profana multitudine inuiolata custodi.* Quod idem circà finem l. Eccl. Hier. repetens, ait: *efficientes consecrationis preces, fas non est scripto interpretari, neque ipsarum arcanum è secreto in publicum efferre.* * Nos autèm præcepto e iam in hac re vrgeri reminiscamur Generalis Capit. Valentiæ 1596. & signantèr de verbis consecrationis, ac de toto Canon. Salmanticæ 1551. & Romæ 1564. Quibus cōsonat expresse Ordinarium antiquum *in de Missis priuatis*.

6. Iam veniamus ad mystica. In his actibus iungendi manus, profundè inclinandi, ac secretò loquendi, obedientiam, humilitatem, ac silentium adhùc generalitèr agnoscamus, quæ Christus Agnus innocens portendit, ad occisionem ductus. Peculiaritèr verò in hoc secundo silentio illud, vt monet Sotus, Christi Domini veneremur, quando iterùm in Horto auulsus à Discipulis secretò orauit, &, vt Lucas refert, prolixiùs orauit; seù, vt post Innocentium notat Alexander de Ales *loc. cit.* Christum Dominum mente obuoluamus, honorificè mox receptum à Turbis cùm palmis, & laudibus, abeuntem modò, & abscondentem se ab eis: aut deniquè cùm Porrecta sermonem, quem seorsim à Turbis IESVS habuit ad Discipulos intrà Cœnaculum inceptum, & extrà completum recolamus.

7 c *Canonem*. Missa ab hinc vsquè ad orationē Dominicam, seù exclusiuè, vt communiùs DD. sentiunt, seù inclusiuè, vt nonnulli, seù vsquè ad Sumptionem, vt placet Nugno, & alijs, *Canon* gracè, quod est *Regula* latinè in Sacramentarijs Gregorianis titulatur: nomen, quod ante S. Gregorium in Ecclesia vsitatum colligitur ex ipsius *libri Regesti epist.* 63. Nomen rei respondet, quia in hac Missæ parte est regula, seù modus, & ordo fixus, & stabilis Sacrificij peragendi. Respondet & mysterio; quia regularitèr in hac parte memoria Dominicæ Passionis recolitur; eorum scilicèt, quæ gesta sunt per hebdomadam ante Paschalem à decima Luna primi Mensis, quando IESVS abijt Hierosolimam, vsquè ad 17. quando surrexit à mortuis; ex Innocentio, & qui in omnibus Innocentio adhærent, Durando *hic*, atquè Alexandro de Ales *de off. Missæ p. 2. ar. 3*.

8 Alias à Patribus nomenclaturas Canon obtinuit. *Regula Ecclesiastica* ob adductam rationem dicitur ab Ambrosio *in epist. ad Tim. 2*. *Legitimum* ab Optato Mileuitano *lib. 2. contra Parmen.* vtpotè continens legitimam, & regularem Sacramenti confectionem. *Actio* etiam nuncupatur ab alijs, tùm quia in eo Dominica Sacramenta conficiuntur, vt ait Vualfridus *cap. 22*. tùm quia cùm Deo tunc causa nostra agitur, vt notat Durand. & Alex. de Ales. *loc. cit*. Quod ideò in Canone ad *Communicantes* certis diebus addendum est, * inscriptum in nostro Missali *infrà Canonem*, titulatur in Romano *infrà actionem*: quod redit in idem.

9 Sub precis etiam nomine antonomasticè Canonem memorarunt Vigilius Papa *epist. ad Eutherum*

cap.

*cap.*5. immò & Augustinus de hoc Sacramento differens *contra Faustum Manich.l.*20.*cap.*13.atquè Gregorius Magnus *loc.mox citato*, quia per excellentiam precis illi ratio competit. Verè enim, vt cùm Tridentino loquar sess.21.cap.4. de Sacrif. Miss. *nihil in eo continetur, quod non maximè sanctitatem, ac pietatem quandam redoleat, mentesquè offerentium in Deum erigat.* Eiusdem ideò expositionem aggrediens Durandus lib.4.cap.36. meritò obtestatur; *deficit lingua, sermo disparet, superatur ingenium, opprimitur intellectus.* Nec ideò desunt Theologi, qui asseuerant, quodcunquè Canonis verbum omittentem peccati mortalis damnari. Sanctus ideò Bonauentura *tract. de præp. ad Missam cap.*12. pleno iure admonet; *cùm autem perueneris ad sacrum Canonem recollige mentem, ne per diuersa vagetur: appone diligentiam magnam in signis, & actibus, maiorem in verbis, maximam in intentione.*

10 Sacro ipsi Canoni ex eo etiam reuerentię ratio augetur, quod pro magna sui parte à D.Petro, alijsquè Apostolis, cælesti eloquentia per Spiritum Sanctum imbutis (Scholastici ideò nomine dignis, quo S. Gregorius Canonis auctorem recenset) ad nos deuenit, vt cùm Vualdensi, & Hugone probat Sotus *hic.* Fauet his Liturgia S.Petri, in qua Canon, paucis post mortẽ Petri additis, totus habetur. Vigilius etiam *loc.cit.* contestatur apertè; *Canonicæ precis textũ ex Apostolica traditione suscepimus.* Suffragari videtur S.Basilius *de Spir.Sancto cap.*27. ea, quę in Canone habemus, memorans, *tanquàm multum habentia momẽti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus.* Summi tamèn Pontifices nonnulla Canoni, progressu temporum, adiecerunt, suis locis recensenda,

Propterea in Concilio Trident. *loc. citato* definitum est; Canonem Missæ constare, *cùm ex ipsis verbis Domini, tùm ex Apostolorum traditionibus, ac SS. quoquè Pontificum pijs institutionibus*. Et D. Thomas 3. p. q. 78 ar. 1. ad 4. *Canon Missæ*, ait, *non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diuersa sunt à diuersis apposita. Non est*, docet, *idem apud omnes*; quia in Liturgijs alijs à Romana diuersus est; & si idem ferè argumentum prosequens, vt patet ex deductis à Bona *lib. 2. cap. 11. & 12.* Qui de cætero Gregoriana Missa vtuntur (* nos etiam, Cartusienses, & Carmelitæ, eundem habent) quem iàm anteà constitutum S. Gregorius suis Sacramentarijs inseruit, seù etiam, vt notat B. Albertus Magnus *hic cap. de his, quæ pertinent ad oblationis sanctificationem*, ad eum, quem Romana Eccl. adhuc seruat, ordinem reuocauit: nisi potiùs cum Porrecta, & alijs dicamus, quòd à Gelasio ordinatum ad summam manum Gregorius perduxerit. Post Gregorium verò Romanorum Pontificum nemo Romano Canoni aliquid addidit, & diuersæ oratiunculæ, quæ in antiquis Rom. Missalibus interiectæ leguntur, ab eisdem expunctę sunt; nequè in hoc licet de cętero, vt loquitur Micrologus cap. 12. terminos Patrum excedere. Si quis autèm eò temeritatis deuenerit, vt sacrum Canonem errores continere dixerit, se sciat à Tridentino *sess. 22. de sacrif. Miss. can. 6.* anathematizatum, ac Satanæ traditum cùm eis, *qui dixerunt Deo, Recede à nobis, semitam viarū tuarum nolumus*, Luthero nempè, eiusquè sequacibus, scommata multa in sacrum præcipuè Missæ Canonē impio, ac blasphemo furore iacientibus.

11 De Canonę in communi hæc libasse sufficiat.

Ad expendendum vndecim eius partes (methodo ex D. Thoma *hic* excepta) iam descendo. Paucis me expediam, singulis Canonis verbis exponendis, atquè innumeris, quæ insunt mysterijs, ac congruentijs enucleandis paululum immorans; in quibus B. Albertus Magnus, vt cæteros prætercam, mirus, & multus est.

12 d *Te igitur*&c. *Deindè Sacerdos* (D. Thomas prosequitur) *secretò commemorat, primò quidem pro quibus hoc Sacrificium offertur, scilicet pro vniuersali Ecclesia, & pro his, qui in sublimitate sunt constituti, 1. Tim. 2.* Sic namquè Apostolus præcipit: *obsecro primùm omnium fieri obsecrationes &c. pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus, qui in sublimitate sunt.* Quod cùm expresse fiat à *Te igitur* vsquè ad *Communicantes*, Inferri videtur cùm Thoma Vualdensi *tom. 5. de Sacram. tit. 4. c. 36.* totum id Apostolicam traditionē sapere. Antiquissimæ verò traditionis esse certum est, ex Grauina *cath. præscr. l. 4. ar. 7.* & à S. Clemente institutum ex Radulpho *prop. 23.* censent nonnulli.

13 Non citrà mysterium Canon à littera T sumit initium; vt nempè in ipso statim vestibulo partis, quæ inter cæteras Missæ præcipua est, oculis cordis IESVS ingeratur, qui in ligno secundùm eiusmodi formam *per suam passionem* (verbis vtor D. Th. 3. p. q. 62. ar. 5.) *initiauit ritum Christianæ religionis, offerens se ipsum oblationem, & hostiam Deo:* adquod pariter confert imago Crucifixi, quæ immediatè ante Canonem (de more ex vetustissimis Sacramentorum Codicibus ad nostros transfuso) picta conspicitur.

14 Est *Te igitur* veluti consequentia Præfationis præmissis innixa, qua in primis Rhetorum more

blandis Deum Patrem titulis compellamus, *Clementissime Pater*: quasi dicentes cùm Psalmista: *misericordia tua Domine plena est terra*, & cùm Ecclesia, *omnipotentiam tuam*, (ideoquè gloriam) *parcendo maximè, & miserando manifestas*; Te igitur rogamus &c. *Per IESVM Christum Filium tuum*, statim subnectimus. *Quid enim* (inquit Augustinus med. c. 5.) *est dulcius* (& ad impetrandum efficacius,) *quàm Genitorem in nomine Vnigeniti inuocare, Patrem in recordatione Filij ad pietatē inflectere, Regem carissimæ sobolis denominatione mitigare? Nec enim*, Petro affirmante act. 4. *aliud nomen est sub Celo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*. Hoc nobis spem facit salutis, qui sumus *populus eius, & oues pascuæ eius*; vndè addimus, *Dominum nostrū*. Per ipsum itaquè *supplices rogamus, ac petimus*. Ly *petimus*, ex B. Alberto Magno, addit super *rogamus*, expressionem eius, quod cupimus; vti dicitur Paral. *peto rogans te Domine*, & Philip. 4. *in omni oratione &c. petitiones vestræ innotescant apud Deum*. Petimus autem, per verba *vti accepta habeas, & benedicas*, vt qui olim, teste Propheta, Sacrificium, & oblationem noluit, in tempore iàm acceptabili, in die salutis, quę, Filio eius institutore, in præparatione, ac veluti per anticipationem offerimus, ad Ecclesiæ suæ salutem grata, & placita habeat; eisquè virtutis suæ, & gratiæ benedictionem accommodet.

15 e *Demittat læuam in Altari*. Et quia per Christum IESVM in Altari significatum vim benedictio consequitur, ideò ad *benedicas* læua in Altari dimittitur: quod semper fit in benedictionibus super oblata: ità post Ioan. Serranum, Gauantus in *hanc rub.*

16 f *Et signet totum sacrificium tribus, vt hic signa-*

gnatum est, crucibus hæc † dona, hæc † munera, hæc † sancta sacrificia illibata. Huiusmodi Crucis vsus in Missa antiquissimæ traditionis est, eiusquè meminit August. tract. 6. 4. in Euang. *& crucem, quæ leui motu manus exprimitur*, recenset *serm. 181. de temp. c. 3.*

17 Ritus huius causam in genere assignat D. Thomas 3. p. q. 83. ar. 5. ad 3. *quod cõsecratio huius Sacramenti, & acceptatio huius Sacrificij, & fructus ipsius procedit ex virtute Crucis Christi, & ideò vbicumquè fit mentio de aliquo horum, Sacerdos Cruce signatione vtitur.* Fiunt autem Cruces aut semèl, aut numero impari, tèr scilicèt, aut quinquies; semèl proptèr essentiæ vnitatem; tèr propter Trinitatem, eò quod Sacrificiũ offeratur soli Deo vni, & trino; quinquies proptèr vulnera Christi IESV, & expressam repræsentationem Passionis Dominicæ; hæc ex Mag. Gonet *in D. Thomam hic.*

18 Peculiaritèr verò hoc loco ex D. Thoma opusc. 66. *quia tria ponimus, tria rogamus, tria petimus, propterea tres Cruces facimus, vt per virtutem Crucis primò, quæ apposita sunt, benedicantur* (nosce in hoc discrimen à Crucibus post consecrationem, quæ non ad benedicendum benedictionis auctorem, sed ad memorandum dumtaxàt modum passionis Christi, fiunt, vt docet idem D. Th. 3. p. q. 83. ar. 5. ad 4.) *Secundo, vt hi, pro quibus apponitur, roborentur. Tertiò, vt quæ petimus, impetrentur.* Fusiùs rem ibi enucleatam habes. Eundem adeamus 3. *p. loc. cit. ad* 3. sic dicentem: *Sacerdos in celebratione Missæ vtitur Crucis signatione ad exprimendam passionem Christi, quæ ad Crucem est terminata. Est autem Passio Christi quibusdam quasi gradibus peracta. Nàm primò fuit Christi traditiò, quæ facta fuit à*

Deo, Iuda, & Iudais, quod significat trina Crucis signatio super illa verba, hac dona, hac munera, hac sancta sacrificia illibata. Hæc ille, quæ Scripturę Sacræ anctoritati sic apposité respondent, vt immeritò non satis placeant Titelmano *hic.* Enim verò *Rom. 8.* dicitur, *qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* en primam traditionem. Matth. 26. *Quærebat opportunitatem, vt eum traderet:* en secundam. Ioan. 18. *Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi;* en tertiam. Prima fuit ex gratia dilectionis; Io. 3. *sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret:* secunda ex auaritia; Matth. 26. *quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* tertia ex inuidia; Marc. 15. *sciebat enim, quod per inuidiam tradidissent eum.*

19 Consonant verba actioni, docente Innocentio *l. 3. c. 3.* & Soto *hic*, dici, *dona*, quatenus Deus ea nobis per Christum donauit; *munera*, quatenus Iudas pro munere eum tradidit; *Sacrificia*, eo quod Iudæi eum Cruci obtulerunt. Quæ tamèn cùm Stephano Eduen. *de Sacram. Alt. cap.* 13. Hugone Vict. *off. cap.* 24. Isidoro *lib. orig. cap.* 19. atquè B. Alberto Magno & Soto *hic*, alitèr ità exponi possunt, vt *dona* dici censeamus, quia à rerum omnium Domino nobis data; *munera, & sacrificia*, quia in sacrificium, quę de manu Domini accepimus, vt dicitur 1. Par. vlt. reddimus ei. *Sic etiā*, subdit Magnus Albertus, *Filius Dei, qui oratur venire in ipsa dona, & munera, & Sacrificia, dicitur donum Patris, & est nobis datus, Isaiæ 9.* Filius datus est nobis; *Rom.* 8. pro nobis tradidit illum. *Ex hoc autèm quod se ipsum obtulit, est munus; Isaiæ* 53. pro eo, quòd tradidit in mortem animā suam &c. *& ibidem;* Oblatus est, quia ipse voluit. *In eo autem, quod à se, & à Pon-*

tifi-

uificibus ad Crucem oblatus est, Sacrificium est &c. Dicatur verò pluralitèr, *dona, munera, Sacrificia*, ex Durando, & Soto, ob diuersas substantias panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi, cælesti consecratione accedente, conuertédas. Sacrificia, inquam, *sancta, & illibata*, tùm quia sancto, & incontaminato vsui deputata, ex Durando, tùm, vt placet Soto, ad differétiam sacrificiorum, quæ idololatræ suorum Deorum monstris litant.

20 g *Tribus tantùm prioribus digitis extensis* *Ad signum Crucis super oblata formandum tres tantum priores digitos adhibendos esse, quia sub inuocatione Trinitatis imprimitur, expressè habetur in antiqua Synodo, quæ vulgò tribuitur S. Vldarico Augustano Episcopo, reperta in codice Monasterij Neresheimensis manu exarato anno Christi MIX. can. 19. apud Menardum *in notis ad lib. Sacram. S. Gregorij*, vbi dicitur: *Calicem, & oblata recta Cruce signate, non in circulo, & variatione digitorum, vt plurimi vestri faciunt: sed strictis duobus digitis, & pollice intùs recluso*, (quod fortasè voluerat antiquum nostrum Ordinarium l. 2. p. 6.) *per quos Trinitas innuitur. Hoc signum rectè facere studete; non enim alitèr quicquam benedicere potestis.* Hæc eadem habentur ex Leonis IV. *homilia ad Episcopos* penès Baronium *anno* 855. Et post Auctorem gemmæ Animę *cap.* 49. Innocentius III. *lib.* 2. *Myst. Miss. cap.* 45. de huiusmodi signis loquens, *est autem*, inquit, *signum Crucis tribus digitis exprimendum, quia sub inuocatione Trinitatis imprimitur, de qua dicit Propheta Esaia 4. quis appendit tribus digitis molem terræ?* Hinc colligitur, ritum hunc, nobis, & Carthusiensibus modò peculiarem, alijs olim Eccle-

sijs,

fijs, Romana cæterarum Magistra minimè excepta, communem fuisse.

21 Hæc dixerim, vt dumtaxat cùm Ambrosio repetere detur tom.4. Sacram. l.3. cap.1. *quod alibi rectiùs seruatur, & nos rectè custodimus*; cùm ritus Romanus explicata huiusmodi Cruces fieri iubens, & antiquitate, & optimis congruentijs commendetur. Cùm namquè Missa circà Christi IESV passionem tota versetur, quinquè extensis digitis, quinquè Christi vulnera, vndè vim benedictio sortitur, designantur. * Hoc & nos titulo extrà Oblata, tota extensa manu, cruces facimus, vti exprefsè rubrica præscribit, *ad benedictionem in fine Missæ.** Quod verò super Oblata tribus tãtum digitis nos vtamur, hæc fortasfsè congruentiæ ratio esse potest. Quia in benedictionibus extrà Oblata inuocatio Trinitatis regularitèr habetur per verba, ideò tunc per gestum, vt notat Gauantus, Dominicam connotamus passionem: sed in benedicendis, seù signandis Oblatis, quia Trinitatis mentio abest à verbis, Trinitatem connotamus per gestũ, quasi indicantes, per Christum (quem læua tunc in Altari demissa designat) à Trinitate benedictionem procedere, & ad Trinitatis honorem dirigi Sacrificium.

22 Remanet practicè explanandus modus Cruces istas faciendi. Sotus hic ar.5. §. sed obitèr, *est notandum*, ait, *Cruces istas sic super Calicem, & Hostiam esse signandas, ac si crux super illas materialis iaceret, vel delinearetur, vt protensum brachium, cùm duobus digitis*(* loquitur cùm antiquo Ordinario, postmodum reformato, seù explicato) *per lineam rectam contrahatur versus pectus, & posteà transuersa manu à sinistra*

ver-

versus dextram aliam ducat rectam lineam. Non enim est signatio Sacerdotis, sed materiæ. Hæc ille.

23 Huiusmodi autem lineæ super Hostiam simul, & Calicem; debent esse mensuræ vnius palmi communis manus, & quæ super eadem separatim fiunt, ad mensuram ipsorum, secundùm Ritus Rom. expositores; * Rubricam tamen nostram velle lineã rectam fieri aliquantulò longiorem ex hoc videtur deduci, quod intercedunt Cruces sic ✝, quæ exactiùs materialem Christi Crucem videntur exprimere.

24 Linea recta inchoetur paulò vltrà medietatem Pallæ Calicem tegentis; transuersa ducatur propè oram anteriorem Pallę, quæ media esse solet inter Calicem, & Hostiam. Vtraquè verò linea æqualitèr alta fiat à Calice ad Hostiam, manum, aut digitos non inflectendo, vel deprimendo.

25 Dubium superstat, verùm linea transuersa trahi debeat manu transuersa, vt sentit Sotus *loc. cit.* & Gauantus *p. 2. tit. 7.* an potiùs manu recta, vt docet post Castaldum Quartus *hic dub. 4.* * Hoc secundum magis mihi accommodatum videtur ritui nostro, qui tres tantùm digitos exponimus, quorum transuersio deformitatem fortè præseferret. Fauet decr. S. R. Cong. in Albiganen. 24. Iulij 1683.

26 Arcus deniquè, aut puncta non fiant, cùm hoc sit eludere potiùs, quàm implere rubricam. *Calicem, & oblata* (monet Leo IV. loc. mox cit.) *recta cruce signate, non in circulo, & varicatione digitorum.* Motu itaquè non nimis celeri, sed graui, regulari, vniformi, distincto, & ab omni affectatione alieno manus ducantur, ac deducantur.

27 **Hæc ex Castaldo, Gauanto, Quarto, Bauldry,**

dry, Tonellio, alijsquè cęremoniarum candidatis collecta me fusim subijcere rei grauitas expostulauit, dicente Cypriano apud Gonet in D. Thomam hic: *in Cruce Domini gloriamur, cuius virtus omnia peragit Sacramenta, sine qua nihil aliud est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum.* Contestis est Chrysostomus hom. 55. in cap. 16. Matth. *hoc signo crucis consecratur Corpus Dominicum, & omnia quaecunquè sanctificantur hoc signo sanctissimæ Crucis cum inuocatione Christi Nominis consecrantur.* Adstipulatur Augustinus tract. 118. in Io: *nisi signum Crucis adhibeatur, siuè ipsi aquæ, qua fideles regenerantur, siuè oleo, quo Chrismate vnguntur, siuè Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rectè perficitur.* Audiant hæc, & resipiscentes agant quæso, quod agunt, qui ab huiusmodi formandis Crucibus inconsultò, præcipitantèr, ac omni peiori modo se expediunt, rem mysterijs plenam iàm nō peragentes, sed confundentes, *veriùs leues mimi*, (vt citans Augustinum loquitur Sperellus Liturg. cap. 36.) *& histriones, quàm graues, & compositi Sacerdotes*, & quasi dixerim cùm Apostolo, *inimicos Crucis Christi.*

28 h *In primis &c.* D. Thomas hic ar. 4. ad 3. *Eucharistia, ait, est Sacramentum totius Ecclesiasticæ unionis. Et ideò specialitèr in hoc Sacramento magis, quàm in alijs debet fieri mentio de omnibus, quæ pertinent ad salutem totius Ecclesiæ.* Ob id enim, ex Magno Alberto, hoc Sacramentum Communio vocatur, cuius materia, panis nempè ex multis frumenti granis cōfectus, & uinum ex multis vuis conflatus adhùc ob oculos mentis ponit mutuam fidelium communicationem, ut indè unum Ecclesię mysticum corpus coalescat 1. Cor. 10. *Vnus panis, multi sumus &c.* Ordine ita-

itaquè charitatis seruato, iuxtà Apostoli monitum, *obsecro primùm omnium fieri obsecrationes &c. pro omnibus hominibus*, Corporis mystici totius in communi mentionem *in primis* facimus, dicentes, *quæ tibi* supremo rerum omnium Domino, in persona totius Ecclesiæ *offerimus, pro Ecclesia* ipsa, hoc est, ex Magno Alb. *pro omnibus hominibus, rationabile verbum Fidei audientibus, ac intus percipientibus.* Ecclesia, inquam, *tua*, quia pretioso Vnigeniti tui sanguine acquisita; ideòque *sancta*, cuius Sanctus Sanctorum Christus caput est; nec non *Catholica*, idest vniuersali, quia per eundem Filium tuum *à finibus terræ ad te clamat*, à solis ortu vsquè ad occasum vnius Fidei splendore diffusa. Votorum verò summa est, ut eam quacumquè intercapedine loci dissitam, qui Deus pacis, & unitatis Auctor est, Bonitas summa, infinita Sapientia, in pace constituat temporis, & æternitatis; custodiat à malo incurrente, & in bono ad utramquè uitam conferente; ad unum paritèr redigat, quo ad unum caput ordinatur in Cælis, quod est Deus, & in terra, quod est Dei Vicarius; ac tandem eam in suis dispositionibus sic moderetur, ut congaudere incessantèr possit: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*. Hùc tendunt quæ uerba subduntur, *quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris* (quia Diuinæ dignationis hæc sunt, non nostri meriti) *toto orbe terrarum*.

29 Hæc autem prima Canonis oratio pro Ecclesia, etsi alijs uerbis concepta, habetur in omnibus Liturgijs; & illius uetustas (omissa mox adducta Apostoli auctoritate, ex qua Apostolica institutio colligi uidetur) ex Optato Mileuit *l. 2. contrà Parmenianum* conprobatur dicente, *quis dubitet, vos illud*

Legi-

Legitimum in Sacramentorum mysterio praterire non posse? Offerre vos Deo dicitis pro Ecclesia, qua est vna (hæc Afri in suo Canone addebant) *Hic ipsum mendacij est pars, vnam te vocare, de qua feceris duas*. Item S. Clemens l. const. Apos. cap. 12. *adhuc precamur*, inquit, *pro Ecclesia tua sancta à finibus vsque ad fines propagata &c.*

30 i *Vnà cùm famulo tuo Papa nostro N.* Ad instar corporis humani tres sunt in Corpore mystico membrorum communiones, nempè nobilium cùm simplicibus, simplicium ad inuicem, & vtrorumquè cùm cælestibus virtutibus. Postremæ duæ in sequentibus tit. expendêtur. Quod attinet ad primam, sunt in corpore humano membra nobilia, quæ officialia à Philosophis vocantur, quia ex officio influunt in corpus. Huiusmodi in primis est caput, quod à cerebro per neruorum colligationem sensum influit, & motum in totum corpus, & omnia membra eius. Huiusmodi est & Hepar, quod haustum à stomacho chymum nutrimentalem membris omnibus per venas, quibus ei colligantur, ministrat. Huiusmodi tandem est Cor, quod membris omnibus per arteriarum colligationẽ influit vitam, & pulsum. Sic prorsùs in corpore mystico Ecclesiæ sunt in primis membra nobilia, quorum officio, ex connexione obedientiæ, & auctoritatis, quam ad ea habent cætera membra, eidem gratia influitur ad sensum spiritualem, & motum meritorum, & nutrimentum spiritale, quod est in verbo doctrinæ, & Eucharistia, & similibus. In hoc corpore locum Capitis omni iure sibi vendicat Papa, verus Petri successor, ac Christi Vicarius: vndè Leo Magnus, referente Magno Alberto, ac Burchardo l. 2. decr.

decr. cap.230. *Sanè ipsius Ecclesiastici corporis vnitas fortiùs commendatur,quia Religionis cultum sic Dominus instituit,vt in Beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret,atquè ab ipso,quasi quodam capite,dona sua vellet in corpus omne emanare*. In corpore eodem veluti Hepar Antistes est, *fidelis seruus* (iuxtà expositionem Hilarij Episc.Hom.in Matth.) *& prudens,quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram*, hoc est, vt idem Hilarius docet, *verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendat*. Cordis locus quodammodo, ac veluti indirectè, Regi debetur,Apostolo obsecrante orari pro Regibus *&c.vt quietā,& tranquillam vitam agamus*. De Antistite,& Rege infrà sermo erit. Quod attinet ad Papam nunc expendamus.

31 Dicitur itaquè,*vna cùm*, hoc est simul, vt denotetur, ex Magno Alberto,associatio Capitis cùm corpore:additur,*famulo*,quia ad Ecclesiasticum huius sacrificij pertinet famulatum;subditur *Papa*, nempè Patre Patrum,vt est Petri successor, Vicarius IESV Christi; ad quem antonomasticè significandum nomē hoc (ex vi namquè Græcę significationis nonnisi *Patrem* sonat;ideòquè erat olim Episcopis omnibus cōmune, immò & Sacerdotibus, quos adhùc Græci appellant Pappas) assumptum est à Gregorio VII. in Synodo Rom. an.1073. Anteà enim Summi Pontifices Papæ appellabantur cùm aliquo adiectiuo,quod eorum eminentiam indicaret. *Nostro* tandem dicitur, quia per Papam prędicta nobis Communio influitur;ideòquè nec valet oblatio, si ab vnione ordinis, & obedientia ad Papam scindatur;vndè Leo Magnus Papa, apud Albertum Magnum,post verba mox adducta

ducta, subdit: *ut exortem se mysterij intelligeret hic esse, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium diuinæ vnitatis assumptum id, quod ipse erat, voluit nominare dicendo: Tu es Petrus, & super banc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et ideò, concludit B. Albertus, *Papæ nomen* (vt maiori feruore, & animi reflexione constet precatio) *sicut ab eo, à quo hæc. profluit Ecclesiasticæ vnitatis communio, est hic exprimendũ. Vnde Pelagius Papa dicit: ab vniuersi orbis communione separati sunt, qui qualibet dissentione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis nomen secundum consuetudinem non frequentant.*

32 Laborant Liturgici in inuestiganda antiquitate huius Ritus, Papam expreſsè commemorandi. Maior omni memoria ex eo probatur, quod reperitur in antiquioribus Liturgijs etiam græcis, & signãtèr in Liturgia S. Marci ab Ecclesia Alexandrina antiquissima, ac primaria totius Orientis adhibita, quæ hoc loco præfefert Rom. Pontificis nomen sic; *Sanctissimum, ac Beatissimum Papam, quem præsciuisti fore, vt sibi sancta tua Catholica, & Apostolica Ecclesia omnium suffragijs eligeret.* Sed quid plura? cùm antiquiorem hunc ritũ esse, & à Christo Domino propositum, pateat recolenti, Christum ipsum in Cœna rogasse pro Petro. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.*

33 I *Et Antistite nostro N. specificatur nomen proprium Episcopi in propria Diœcesi*: ritus etiam hic antiquissimus, & in omnibus etiam Græcorum Liturgijs inuentus, quem proponit August. *epist.* 110. *in fine*, memorat Gregorius Magnus *l.* 4. *Regest. ep.* 37. Concilium Africanum *cap.* 48. Conc. Carth. *can.* 84.

Et

Et sanè, vt pro Episcopo tanquàm membro nobiliori Corporis mystici, sicuti mox dictum est, nominatim oretur in missa, *in qua conficitur*, vt loquitur D. Thomas, *Sacramentum totius Ecclesiasticæ vnitatis*, æqua ratio expostulat; vt sic probemus, seruare cum eo vnitatem spiritus in vinculo pacis. Hùc etiam respicit Apostoli monitum Hebr. 13. *Mementote Præpositorum vestrorũ &c. ipsi enim pervigilant, quasi rationẽ pro animabus vestris reddituri. Antistes noster*, ait B. Albertus, *est quasi Canalis, per quem in nos à primo Capite Papa communio descendit vnitatis, sicut vnguentum primò descendit à capite in barbam, quæ capiti adhæret, & à barba stillat in superiora, & à superioribus in media, & fluit vsquè in oram, & fimbriam vestimenti.* Contrafacientes ergò, etiã si Regulares, agunt contrà charitatem, & contrà iustitiam, ideòque ex Sacræ Cong. decreto in vna Vlix. 12. Nouembris 1605. apud Castaldum *hic*, temeritatis notam incurrunt, suntquè animaduersione digni.

34 Per ly *in propria Diæcesi*, quod desiderabatur in antiquis nostris Missalibus, declaratur, iuxtà Ritum Rom. nominandum esse Episcopum illius Diæcesis, in qua quem Sacrum facere contigerit; non verò alterius, à qua Celebrans, etiam itineris causa, abest; pro quo orandum esse opinio olim non deerat. Quod si nomen dicti Episcopi tunc mentem non subire euenerit, sufficit simpliciter dicere *Antistite nostro*, intentione ad illum directa. Prælatum autèm Pontificali dignitate non insignitum nominare minimè licet, & Sede vacante, (sic & cùm Romæ celebratur,) ea verba omittuntur. In locis verò nullius Diæcesis nominandum esse Episcopum viciniorem,

probabilitèr nonnulli sentiunt ; cùm Episcopus in propria Diœcesi dici quodammodo possit, penès quem honos residet,& onus ministrandi Sacramenta Ordinis,& Confirmationis,visitandi &c.

35 *Et Rege nostro N. exprimat nomen in dominijs alicuius Regis.* Nominatim orare pro Rege hoc prorsus loco, his prorsùs verbis proponunt libri Sacramentorum Magni Gregorij, tùm, teste Pamelio, & Menardo,MSS, tùm editi,eo minimè excepto,quem Innocentius III.S.P.Dominici contemporaneus exposuit l.3. cap.2. vndè sub Ordinis initia hic ritus prâxi vniuersali exceptus manifestè probatur: immò vsquè ad nouam Missalis Rom. reformationem perdurasse ex D.Bonauentura, Durando, & alijs,qui eiusdem Canonis expositionem publici iuris fecerunt, ostenditur. Eiusdem ritus expresè meminit S. Clemens *l.8.const.Apost.c.*12.& ad traditionem Apostolicam nonnulli conantur reducere,quòd præcipiat Apostolus 1. ad Tim.2. *obsecro primùm omnium fieri obsecrationes &c.pro omnibus hominibus,pro Regibus &c. In quibus verbis*, ait Augustinus epist.59. ad Paulin: q.5.*eligo hoc intelligere,quod omnis, vel penè omnis frequentat Ecclesia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum,antequàm illud, quod est in Domini mensa,incipiat benedici.* Et aliquanto post:*Hac autèm causa præcipua fuit ista dicendi, vt his breuitèr perstrictis, atquè significatis, non putaretur negligendum esse,quod sequitur : pro omnibus hominibus, pro Regibus &c.* Augustino subscribit Haymo in eundem Apostoli locum:*B.Apostolus*, inquiens, *tradidit omni Ecclesiæ formam, quomodo deberent Missarum solemnia celebrare &c.* Quod idem affirmant Theophilactus,

Iactus, & Oecumenius, nec non D. Thomas *in idem prima ad Tim. caput 2.* In alijs etiam à Gregoriana Liturgijs latinis, & græcis, puta SS. Ambrosij, Basilij, Chrysostomi nominatim Imperatoris, vel Regis respectiuè, fit mentio; quæ etiam aliquando, vrgentibus malis eorum meritis, in pęnam, Ecclesia iubente, omissa est; vti de Philippico Constantin. Imperatore scriptum reliquit Gotfridus Viterbiensis *lib. 16. Chronic.*

56 Cęterùm B. Pius V. in noua reformatione Missalis Rom. non quidem orare pro Regibus inhibuit, cùm pro his specialiter orari, mente ad eos directa (neque verò Deus nominis prolatione flectitur) adhùc possit, & debeat, iuxtà SS. Patrum, atquè Apostolicam traditionem; sed ad præcauendum, atquè è medio tollendos abusus, qui paulatim possent crescere, nominando personas minùs dignas contrà maiestatem tanti Mysterij, voluit, non specificari hoc loco nomen Principum sæcularium, nisi ex speciali Sedis Apostolicæ indultu. Ex indultu proindè eiusdē B. Pij V. vti refert Castaldus *l. 2. sec. 8. cap. 6.* specificatur nomen Regis in Hispanijs; & in toto Gallię Regno ex consuetudine nominari Regem, enarrat Bauldry *in hanc rub.** Cùm verò ritui nostro, Ambrosiano &c. per Bullam B. Pij V. derogatum non sit, primæua consuetudo suum retinuit robur; quod à fortiori vim habet in dominijs Imperatoris, ac etiam habere crederem in ijs, quæ regalibus æquiparantur, puta Serenissimæ Reipublicæ Venetæ, in quibus generalitèr (si Septalę *lib. cit. cap. 29.* credimus) est consuetudo sic orandi: *pro duce nostro N. & pro bono statu Venetianum.* Cæterum in dominijs regio inferioribus, etiam

ritu nostro, hæc regularitèr mentio fortasse est omittenda, dicente rubrica: *exprimitur nomen in dominijs alicuius Regis*, Cæremoniale Carmelitarum addit, *ac Principum, iuxtà singulorum consuetudines, & priuilegia*.

37 Oratio verò pro Regibus effusa charitati conformis est, ex D. Thoma *in 1. Tim 2.* ac nostræ vtilitati: *in pace enim eorum*, vt ipse loquitur, *est pax nostra*; eorumquè tranquillitas ad mystici corporis valetudinem multùm confert, dicente Apostolo, orãdum *pro Regibus, & pro omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate*. In quem Apostoli locum Oecumenius, *ne perterreatur*, inquit, *perturbeturuè Christianus, quãobrem in tempore mysteriorum memoria fiat Regis: quãdoquidem sæpè, etsi incredulus sit, ostendit in nostrum lucrum cadere ipsorum incolumitatem*.

38 *His autem*, prosequitur B. Albertus, *sicut membra simplicia adiunguntur omnes, cùm dicitur*, & omnibus orthodoxis, atquè Catholicę, & Apostolicæ Fidei cultoribus. Quæ verba habentur in omnibus Sacramentarijs etiam MSS. Remensi, Rodradi, S. Eligij, atquè etiam versione græca Georgij Codini: vt proindè immeritò Alcuinus *de obs. Eccl. cap. 23.* ea omiserit, & *cap. 13.* superflua esse ea ratione asseruerit, quod, *vbi dicitur Memento Domine famulorum, famularumquè tuarum, ordo nobis concedit, vt omnium viuorum commemoremus, quoscunquè voluerimus*. Verùm non aduertit, quod Menardus *hic* notat, in *Memento* specialem esse commemorationem offerentium, & quorundam particularium, quorum olim nomina de diptychis legebantur; de quibus *tit. sequen.* Dicitur itaquè

&

& omnibus Orthodoxis, hoc est, ex Floro Magistro *in exposit. Canonis*, qui nullo errore deprauati Fidei confessione Deum glorificant. Orthodoxũ enim, ex Magno Alberto *hic*, dicitur à Greco *Orthos*, quod est rectum, & *doxos*, quod est doctrinalis regula, eos proindè significans, qui rectam, & sanam tenent Fidei doctrinam, sicut dicitur *Gal. vlt. Quicunquè hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei*. Infideles ideò, hæretici, & schismatici à fructu huius Sacrificij per hæc verba excluduntur; quia recta fide, & vnione carent, nequè Christo capiti, eiusquè in terris Vicario, nequè cæteris Ecclesiæ membris connectuntur. *Hoc* autem *Sacrificium*, sicut docet D. Thomas 3. p. q. 79. ar. 7. ad 2. *quod est memoriale Dominicæ Passionis*, (sicut passio ipsa) *non habet effectum, nisi in illis, qui coniunguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem; vndè & Augustinus* (lib. de anima, & eius origine cap. 9. tit. 7.) *dicit ad Renatum: Quis offerat Corpus Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi? vndè* (subdit) *& in Canone Missæ non oratur pro his, qui sunt extrà Ecclesiam*. Non tamen inhibetur in *memento* indirectè, ac respectiuè priuata precatione, eorum meminisse, vt per conuersionem de Christi Corpore efficiantur; seù vt loquitur August. ad Psal. 65. *vt & ipsi intus sint*, per impetratorium Sacrificij effectum.

39 Non omitto Duranti sententiam *l. 11. c. 33.* qui Basilij *in cap. 10. Isaiæ* auctoritate suffultus, ly *omnibus orthodoxis*, sic interpretatur, vt homines exprimat gloria celebres, maiestatequè præditos: quasi Ecclesia, iuxtà Pauli præceptum, oret etiam pro Orthodoxis, hoc est *pro omnibus, qui in sublimitate constituti sunt*,

 40 Ly

40 Ly tandem, *atquè Catholicæ, & Apoſtolicæ Fidei cultoribus*, eos, ex Magno Alberto, ac Titelmano, reſpicit, qui vbiquè terrarum ab Apoſtolis fundatæ Fidei cultui nauant operam, hoc eſt, qui non tantùm Fidem habent, ſed vitæ integritate, doctrinæ, ac ſanctæ prædicationis merito, vel alio modo Fidem comprobant, ac propagant.

TITVLVS XIX.

De *secunda, & tertia parte Canonis*. Memento Domine &c. Communicantes &c.

RVBRICA.

Ad a memento Domine *b* famulorum,famularumque tuarum N.&N.e *iunctis manibus ante pectus,meminerit* d*breui mora viuorũ,quos Deo commendatos voluerit,hoc pacto,Patris,Matris, Sororum,parentum, benefactorum, superiorum, & secundum intentionem eorum omnium, pro quibus orare tenetur, & hoc non verbis,sed mente tantùm concipiatur.* e *Posteà prosequatur*, Et omnium circumstantium,quorum tibi fides cognita est,& nota deuotio,*f* pro quibus tibi offerimus,vel qui tibi offerunt &c. *Ad* g Communicantes,*extensis, & eleuatis manibus more solito,sic cætera prosequatur*, & memoriam venerantes,*h* in primis gloriosæ semper Virginis MARIÆ,sed *i* & beatorum Apostolorum, ac Martyrum tuorum &c.

NOTÆ.

a 41 M*Emento Domine*. Formulam orandi per verbum *Memento* in Liturgijs Iacobi, Marci, Basilij, Chrysostomi, cęterisquè vsitatam, à Scripturis sacris Ecclesia mutuata est. Non illa supponit alicuius vnquàm posse Deum obliuisci; sed quod in nobis est per passionem Deo attribuit per effęctum; vt proindè cùm Deus sit, teste Apostolo, *diues in misericordia*, dum effectum gratiæ alicui impertitur, meminisse dicatur, dum subtrahit, obliuisci. Cùm itaquè oramus, *Memento Domine*, petimus, vt propitietur; secundùm illud psalmi: *memento nostri Domine in beneplacitò populi tui, visita nos in salutari tuo:* & alibi: *reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt*. Hùc facit doctrina Augustini lib. 11. confess. *Nunquid Domine cùm tua sit æternitas, ignoras, quæ dico tibi? Cur ergo tibi tot rerum narrationes digero? Non vtiquè, vt per me noueris ea, sed affectum meum excito in te*. Et postmodùm. *Nam & oramus, & tamen veritas ait: Nouit Pater vester, quid vobis opus sit, priusquàm petatis à Deo. Affectum ergò nostrum patefacimus in te, confitendo miserias nostras, & misericordias tuas super nos, vt desinamus esse miseri, & beatificemur in te. Fusiùs de his* Turrecremata, ac Magnus Albertus *hic*.

42 b *Famulorum, famularumquè tuarum N. & N.* Post preces pro corpore Ecclesię mystico in communi emissas, ac pro eius Officialibus membris, nec non quæ ipsis sicut membra simplicia adiunguntur,

recto

recto ordine *Sacerdos secretò commemorat* (prosequitur D. Thomas) *& specialitèr quosdam qui offerunt, vel pro quibus offertur*; in quo consistit secunda communicatio membrorum simplicium adinuicem, quàm, ad instar humani corporis, in Ecclesię mystico adinuenit, atquè explanauit Magnus Albertus. De hac infrà incidet sermo.

¶ 43 Placet nunc doctrinam vsquè modo suppositam subijcere, quam in secundammet Canonis partem tradit D. Thomas *3. p. q. 79. ar. 7. in c.* vbi postquàm docuit, hoc Sacramentum sumentibus quidem prodesse, & per modum Sacramenti, & per modum Sacrificij, *sed alijs*, subdit, *qui non sumunt, prodest per modum Sacrificij, in quantum pro salute eorum offertur, vndè & in Canone Missæ dicitur*; Memento Domine famulorũ, famularũquè tuarũ, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisquè omnibus, pro redẽptione animarũ suarũ, pro spe salutis, & incolumitatis suæ; *& vtrumquè modum proficiendi Dominus expressit dicens Matth. 26. & Luc. 25.* Qui pro vobis, *scilicèt sumentibus*, & pro multis, *scilicèt alijs*, effundetur in remissionem peccatorũ. Hæc S. D. quibus consonat definitio Tridentini Concilij *sess. 22. de Sacrif. Miss. can. 3.* vbi, excommunicationis pæna proposita contradicentibus, dicitur, Sacrificium hoc non tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificij in Cruce peracti, sed & omnibus propitiatorium, & non solum prodesse sumenti, sed & pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pęnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere. Et verè, *cùm hoc sit Sacramentum totius Ecclesiasticæ vnitatis*, vt cùm D. Thoma cit.

ante-

anteced. adnotauimus, fas est, in illo omnia congregari membra, quæ, vt notat Petrus de Soto *lect.* 15. non sunt irreparabilitèr separata, in quantum ipse Celebrans spiritu coniungitur membris omnibus Ecclesiæ, quibus hoc Sacrificium respectiuè iuuat, & placet; *& ijs videlicèt, qui in hac vita peregrinatur (quod fit,* ait iste, *cùm dicitur*, Memento Domine famulorū &c. & omnium circumstantium), *& qui iàm in Patria beati sunt (propterea dicitur* Communicantes;) *deniquè & in Purgatorio continentur (quare etiam dicitur*, Memento etiam Domine famulorum, qui nos præcesserunt. &c.) His sub communi ratione præmissis, singula iàm verba ad trutinam reuocemus.

44 Dicitur *famulorum, famularumque tuarum; quia alitèr* (docet B. Albertus) *nisi per famulatum cultus Diuini ad Ecclesiæ vnitatem non referuntur.* Sic Salomon suis votis implementum conciliabat, *quoniam,* inquiés sap. 9. *ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*, scilicèt Ecclesiæ, glossat Albertus, per quam natus sum ad tua obsequia. Dauid paritèr Psal. 115. *O Domine quia ego seruus tuus: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*.

45 Subnectuntur litteræ N. & N. quæ quidem indicant, hunc cuiquè factum ab Ecclesia locum, *susceptos suos* (sic eos appellat Augustinus epist. 59. q. 5. pro quibus specialitèr offerre Sacerdos decreuit) Deo commendandi, Patrem scilicet, vti rubrica proponit, Matrem &c. Illarum tamen primæua institutio antiquissimis nascentis Ecclesiæ temporibus debetur, quibus memorandorum nomina ex tabulis quibusdā scriptis, quæ diptycha nuncupabantur (nomen à Ptychis, idest plicis deriuatum: vndè diptycha, quia duabus conflata tabulis, quarum vna viuorum, defuncto-

rum

rum altera nomina præseferebat) per Diaconos proclamabantur. Cuius ritus mentionem faciunt Dionysius *l.3. Eccl.Hier.* Cyprianus *epist.* 10. Hieronymus *super Ezech.*18. Innocentius 1.*ep.ad Decentium Episc. Eug.*& habetur in Liturgijs Iacobi, Basilij, Chrysostomi, alijsquè: de qua re pleniùs Ioannes Cabassutius *in notitia Ecclesiastica Conciliorum cap.73.* In huius ritus locum, hodie vsitatum mentalitèr quosdã memorandi, dignis ex causis suffecit Ecclesia; cùm tamen idem quoad substantiam perseueret; cui proindè tantæ antiquitatis prærogatiua deneganda non est, vt insinuat Mag. Grauina *loc.præc.* cum alijs.

46 c *Iunctis manibus ante pectus.* * Ne hinc arguamus, anteà debuisse disiunctas esse, cum ex decreto Capituli generalis Romæ 1596. inserto rubricæ etiàm Missalis Xauierre editi anno 1603. iubeamur, à principio Canonis vsquè ad *Communicantes*, præmissis benedictionibus, iunctas manus tenere. * Congruentię ratio hæc nobis videtur assistere, quod à principio Canonis vsquè ad *Communicãtes* oratio ad Deum per nostram humilitatem, ac nihileitatem (quã manus iunctæ indicant) speciali quodam modo dirigitur, miserias ei humanas, atquè necessitates publicas, & priuatas, *vt desinamus esse miseri*, proponendo. Ad *Communicantes* verò, *& memoriam venerantes &c.* auxilium Ecclesiæ triumphantis exposcentes, ac exindè altioribus implicati, manus aperimus, vti mentem ad alta, supernaquè extollentes planè decet, iuxtà doctrinam Soti *cit.dist.13.q.2.ar.5.*

48 * Rubricam ergo nostram sic intelligamus, vt velit manuum iunctionem continuari ante pectus, hoc est vsquè ad faciem exclusiuè, non autem vsquè

ad

ad oculos, aut supra faciem; quod etiã in Ritu Rom. exprobrant meritò illius expositores Gauantus, Castaldus, & alij.

49 Esse hic oculos claudendos affirmat Castaldus, negant Gauantus, & Bauldry, docentes, nec eleuandos esse ad Crucem, nec defigendos ad Hostiam. Consulerem aliquantulum demittere, ad captandam animi compositionem, qualis mentali congruit orationi.

50 d *Breui mora*. Doctissimus P. Vincentius Ferre ex libris, quos publici iuris fecit, satis notus, meus dum in Collegio S. Mariæ super Mineruam in Vrbe, studij causa, degerem, Magister, me tunc Sacerdotio initiatum à commemoratione hoc loco debita sic docuit expedire: *pro quibus teneor iustitia, obedientia, & charitate*: mente ad eos directa, pro quibus ante Missam orare distinctè proposueram. Quo breui cõtextu, *breui sanè mora*, ac veluti momento *Memento* persoluitur, à tædio opportunè eximuntur adstantes, ac simul tota, quæcunque censeatur, illis tribus contenta verbis, soluitur obligatio. Hæc namquè oratio generalitèr oblata non itá distinctè pro multis, si ei non desit moralis connexio cum præcedenti expressa commemoratione de singulis in particulari, valorem sortitur, atquè efficaciam, quibus constat oratio expressa, & distincta pro singulis; & facta censetur in ipso actu Sacrificij, cuius orationes longè eis præstant, quę extrà Sacrificium fiunt. Fateor nihilominùs illud me documentum ità ad praxim reduxisse, vt meimet, nec non eorum, pro quibus specialissimè offerre proposui, priùs meminisse nunquàm desierim. Cautiùs adhùc te geres, si dictam commemorationem

Missa

Missæ præmittas, hìc *sub compendio* (sic monet D. Bonauentura de præp. ad Missam cap. 12.) *referens intentionem ad omnes, pro quibus anteà orasti, siuè orare promisisti*.

51 Formula verò huiusmodi distinctam commemorationem faciendi in Sacristijs, vt plurimùm, prostat. Ea deficiente, adiuuandæ memoriæ accommodata sanè est, quam à Gabriele Biel traditam commendat Nauarrus in Manuali cap. 25. num. 3. ac proponit Cæremoniale Carmelitarum, procedendi scilicèt *per casus* Grammatices; ità quod *Nominatiuus* se ipsũ memoriæ ingerat; *Genitiuus*, parentes, fratres, &c. Ecclesiç, Religionisquè Prælatos, Consacerdotes, ac Conministros, Religiosos omnes nostri, aliorumquè Ordinum, Principes deniquè Sæculares; *Datiuus*, Amicos, & benefactores, eos præsertim, qui eleemosynam tribuerint; *Accusatiuus* inimicos, & persecutores; *Vocatiuus* eos, quos ad se vocat Mater Ecclesia, hæreticos, Schismaticos, Infideles, & Iudęos, vt alij ad Ecclesiam redeant, alij conuertantur ad Fidem: *Ablatiuus* tandem in captiuitate degentes, atquè afflictionibus, nec nõn eos, quos vel verbis, vel operibus, & exemplo à Deo abstraxit, illis occasio peccandi, vel scandalum existens, aut quibus vel eleemosynis spiritualibus, aut corporalibus, correctione fraterna, alijsquè misericordiæ operibus, cùm posset, præstò non fuit.

52 Hoc modo Sacerdos *quasi communis quidam*, vt ait Chrysost. hom. 6. in 1. Tim. *totius orbis Pater, omnium curam agat, omnibusquè prouideat; sicut & Deus, cuius ministerio seruit, & fungitur vice*. Verumtamèn meminerit Apostolo docēte Heb. 7. *se habere necessitatem prius pro suis delictis hostias offerre, deindè pro populi*:

sciat-

ſciatquè, quò gradus altior eſt, in maiori ſe neceſſitate conſtitutum; nàm ſupremo Patre familias rationem ponere adueniente, *cui multum datum eſt, multum queretur ab eo. Accedat igitur* (monet B. Laurentius Iuſtin. ſerm. de Chriſti Corp.) *Sacerdos ad Altaris tribunal vt Chriſtus, aſſiſtat vt Angelus, miniſtret vt Sanctus, Populorum offerat vota vt Pontifex, interpellet pro pace vt mediator, pro ſe autem oret vt homo*. S. Franciſcus Borgia, qui ex quinque Chriſti IESV plagis ad Memento viuorum peragendum ſibi methodum conſtituerat, plagam Lateris pro ſe ipſo ſeruabat. In hanc & nos confugiamus, & maneamus cùm Sponſa in canticis 2. 14. *in foraminibus petræ, in Cauerna Materiæ*.

53 e *Poſteà proſequatur*: Et omnium circumſtantium, quorum tibi Fides cognita eſt, & nota deuotio. *Et omnium circumſtantium*. Odo Cameracenſis Epiſcopus, qui floruit anno 1128. *in ſua Sacri Canonis expoſitione*, huiuſmodi verba pro ijs dicta cenſet, qui Miſſæ corporalem præſentiam exhibent, *ſanctorum*, vt ipſe loquitur, *cooperatores myſteriorum*. Subſcribunt Innocentius III. atquè Alexander de Ales, indè animaduertendi anſam arripientes, quàm ſanctum ſit, quàm ſalubre Miſſæ Sacrificio intereſſe; quod tanti nonnulli faciunt, vt Miſſæ adſtantes in fructus participatione ijs certo modo præponant, qui abſentes conſuetam eleemoſynam pro celebratione impertiūtur. Sed quid de Miſſis priuatis vnico adſtante miniſtro? Exiſtimat Odo, primitùs Miſſas ſine collecta fieri conſueuiſſe, poſteàquè inoleuiſſe morem Eccleſiæ ſolitarias, & maximè in Cœnobijs, fieri Miſſas. Verùm adhùc dicta verba congruo ſenſu non frau-

fraudantur, si ad eos, qui alibi Missæ intersunt, referantur, recolaturuè, quod alibi cum D. Thoma *hic ar. 5. ad* 12. dictum est, gerere ministrum Personam totius populi Catholici; sicquè Sacerdotem *Ecclesiam in Ecclesia*, (vt apud Odonem ipsum dicitur) *& in corpore totum corpus alloqui, ac virtute totius communionis in Ecclesia confici sancta mysteria &c. vt quicquid boni fiat in toto corpore ab eo nullo modo sit alienus, quisquis ab ipso corpore non est diuisus*. Magnus etiam Albertus per dicta verba in communi quidem viuorum memoriam sentit subiungi, sed *& iam se ipsos, ait, sacrificio exhibentium, vt ipsi sacrificio immixti* Domino *offerantur: Rom. 12. Obsecro vos Fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, Sanctam,* Deo *placentem, rationabile obloquium vestrum.*

54 *Quales autem sint*, subdit Albertus, *qui in memoria Oblationis habentur, subiungit dicens* Quorum tibi fides cognita est, *per quam in vnitate Sacramenti recipiuntur &c.* Et nota deuotio, *per quam in Altaris oblatione continentur, & offeruntur:* vt proinde, ex Odone, sensus sit: *Memento Domine &c. & omnium circumstantium*, quia eorum tibi fides cognita est, & nota deuotio. Quæ fides, quæ deuotio quales, & quãta sint, optimè ille nouit, de quo dicitur 2. Tim. 2. *Cognouit Dominus, qui sunt eius*, & Io: 10. *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.*

55 Indè datur intelligi, quod secundùm proportionem fidei, & deuotionis cuiquè applicatur, ex infinito Sacrificij valore, satisfactio. Ratio est, quam ad hæc prorsus Canonis verba tradit Caietanus *tom. 2. opusc. tract. 3. q. 1.* quòd in Sacrificijs, & oblationibus

quan-

quantitas deuotionis magis pensatur, quàm quantitas rei oblatæ, vt patet de Vetulæ oblatione Lucæ 21. & ex auctoritate Gregorij *in hom. Ambulans IESVS iuxtà Mare Galileæ*, dicentis: *non perpendit Deus, quantum in eius Sacrificio, sed exquanto offeratur. Quāuis ergo* (docet D. Thomas 3. p. q. 79. ar. 5. in ò.) *oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pæna, tamèn fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ deuotionis*: quod idem de fide, & deuotione docet *ar. 7. ad 2.*

56 Aduertere hìc operæ pretium existimo, quòd cùm Sacrificium sit infiniti valoris, qui consequentèr non exhauritur per applicationem ad vnum, oblatū pro pluribus ęquè prodest pluribus, ac si pro vno tantùm offeratur, *& vnicuiquè*, vt loquitur Caietanus loc. cit. q. 2. *respondet tantundem, quantum si pro se solo diceretur*: quia vnicuiquè sufficientèr, & efficientèr, iuxtà tamèn deuotionis suę quantitatem. Cùm itaquè per decreta Sacræ Congregationis Concilij solùm vetetur, ne plura stipendia accipiantur pro vna Missa, eandem sic applicatam ex iustitia, pro alijs ex charitate, vel obedientia applicari æquè benè posse sentiunt cùm aliis Lezana, & Gonet *in D. Thomam hìc*; qui hoc maximè notandum pro Regularibus aiūt, cùm sępius occurrant causæ, propter quas debent etiam pro aliis ex charitate, vel ex constitutionibus Ordinis, aut Superiorum præceptis Missam offerre.

57 f *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt &c.* Particula disiunctiua, *vel*, vsurpatur pro copulatiua, &; quod sæpè contingit, vt non semèl obseruat *in suis notis ad concordiam Regularum* Menardus. Ly

qui

qui tibi offerunt, suprà eos in primis appellat, qui Missæ intersunt, exhibentes, iuxtà Apostolū corpora sua Hostiam viuentem, sanctam &c. hoc est votis, & orationibus cooperantes, vt notant Stephanus Eduen. *de Sacram. Altaris ca.* 13. & Odo *hic*:* vndè Sacerdos indixerat, *orate Fratres*, subdens, *vt meum, ac vestrum pariter in conspectu Domini sit acceptum Sacrificium*. Secundò offerre illi dicuntur, qui, eleemosynam tribuendo, alioue modo, pro se, vel pro alijs Missam fieri curarunt: vndè Augustinus epist. 122. *In terra captiuitatis constitutæ nec ferre oblationem ad Altare Dei possunt, nec inuenire ibi Sacerdotem, per quem offerant Deo*. Tertiò deniquè fidelium vniuersitas offerre censetur, se se spiritu cùm Sacerdote coniungens in vnitatem corporis mystici, generaliter fide, & deuotione agentes (aiunt Alcuinus, Innocentius III. ac B. Albertus) quod Sacerdotis ministerio impletur. Quémadmodum in humano corpore, cùm manus quippiam agit, corpus totum per concomitantiam adiuuans, agere dicitur, licèt solius manus operis sit executio: quod idem euenit in cæteris simplicibus membris, pede, aure, oculo. Cùm his tamen stat, quod qui Missæ inseruit, qui assistit, qui eleemosynam tribuit, & huiusmodi, magis proximè offerre respectiuè dicatur, ac vberiorem ex Sacrificio fructum percipiat.

58 Offerunt ergo Sacerdotes Ecclesiæ (ait Florus Magister *in expos. Miss.*) offert per ipsos, & in ipsis tota Ecclesia, *hoc Sacrificium laudis*, quod à cultoribus suis sibi offerri ipse præcepit, dicens: *immola Deo Sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*. Rectè quidem Sacramentum Altaris Sacrificij laudis sibi nomen adsciscit; quia in re sacros facit, & propter hoc

Maximè laudare Deum debemus, quod non solùm se nobis in pretium dederit, sed & in cibum; vt per pretium nos redimeret à morte, per cibum nos enutriret ad vitam. *Sacrificium*, inquam, *laudis; quia nihil est in eo* (docet Magnus Albertus) *nisi quod est laudis, & pulchritud nis, & honoris Psal.* 49. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. *Iter enim ad salutem per nullum vnquàm fuit Sacrificium, nisi per istud*.

59 Offerimus autem nos Sacerdotes, offerunt & fideles laici, primò *pro se*; quia vnicuiquè in ordine dilectionis principalitas conceditur; *suisquè* dein *omnibus*, hoc est, tùm Personis, sanguine, beneficio, amicitia coniunctis, tùm rebus temporalibus, quæ in adminiculum vitæ, ac virtutis à supremo bonorum largitore, ac Patre nostro expetere licet. Sed quia scriptum est: *Quærite primùm Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*: quod animæ interesse concernit primò exprimimus per verba *pro redemptione animarum suarum*; quibus à Domino petimus, vt cùm sit *copiosa apud eum redemptio*, per gratiã, & virtutes redimat à peccatis, per Sanguinem Christi ab originali debito, per Beatitudinem à miserijs, quibus, in quo sumus exilio, ac corporis ergastulo obnoxij viuimus: secundùm quod dicitur psal. 71. *ab vsuris* (hoc est cumulatis peccatis post primam Diaboli deceptionem,) *& iniquitate redimet animas eorũ*: (en primam redemptionem) Psalm. 48. *Verumtamen Deus redimet animam meã de manu inferi, cùm acceperit me*: (en secundam.) Isaiæ 35. *Ambulabunt qui liberati fuerint. Et redempti à Domino conuertentur, & venient in Sion cùm laude: & lætitia sempiterna super caput eorum*,

rum, gaudium, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus; (en tertiam.) Deindè petimus, ex eodem Alberto, quæ spectant ad corpus, offerentes *pro spe salutis* pro infirmis, & *incolumitatis suæ* (hæc est perfectæ sanitatis integritas,) pro sanis; vt reddita, vel conseruata sibi sanitate, gratiarum Domino in Ecclesia referant actiones. Salutem etiam, atquè incolumitatem includimus; quæ ab inimicorum machinationibus, cæterisquè humanæ vitæ periculis immunes constituunt; haud dubiè, Euangelicum Sacrificium perfectissimo id etiam modo præstare, quod in veteri lege *Leu.3.* Sacrificium integritatum, seù (vt Hier. ab Oloastro vertendum putat) perfectionum, quod pro domus integritate, vt scilicèt nihil boni deesset, nihil mali accideret, offerebatur. Quasi itaquè precamur cùm Dauide: *Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.* Et hæc, spe mediante; secundum illud Psam. *Conserua me Domine, quoniam speraui in te.*

60 Ratio verò exauditionis tangitur, cùm subditur: *tibiquè reddunt vota sua*; quia ne dum immolant sacrificiū laudis, sed & reddunt vota sua; *quæ voto proprio* (inquit B. Albertus,) *& non obligatione alicuius necessitatis in se, & in suis obtulerunt ad Altaria*; nàm teste Augustino, *vouere est voluntatis, reddere est necessitatis*; eaquè reddunt, & sua sunt. Sunt prætereà vota fidelium, affectiones piæ, & opera bona, ex Alcuino, ac Titelmano, quæ in sua fide ex charitatis deuotione ad Dei gloriam operantur; & hæc rectè adhùc, & nos reddere, & nostra esse asserimus; quia, quod est Dei necessitate gratiæ, est hominis libertate arbitrij.

61 Concluditur hæc secunda sacri Canonis pars

per verba: *Æterno Deo viuo, & vero*. *Sunt* enim, iuxtà Apostolum 1. Cor. 8. *qui dicantur Dij, siuè in Cælo siuè in terra:* suntquè Dij multi, & Domini, sed non sicut Dominus Deus noster. Sunt in primis, vt notat Magnus Albertus, Dij participatione Diuinæ potestatis Exod. 7. *Constitui te Deum Pharaonis*, & Psalm. 8. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes:* sunt isti suo modo veri, & viui, sed non æterni: vndè in eodem Psalm. subditur: *vos autem sicut homines moriemini*. Sunt & Dij, qui Diuinitatis gloriam vsurpant: Matth. 4. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*, supple vt Deũ. De his Psalm. 115. *omnes Dij gentium Dæmonia*: sunt isti æterni quoad finis carentiam, & sunt viui, sed nõ veri. Sunt deniquè Dij sola nuncupatione, vt Idola lignea, & lapidea &c. de quibus Oseę 14. *nec dicemus vltrà; Dij nostri opera manuum nostrarum;* & isti nec ęterni, nec viui, nec veri sunt. Deus autèm noster est durationis suę principium, & finem non habens, qui æternitatem inhabitans omnia creauit in tempore. Ipse Deus viuus est, immò vita viuificans, vegetansquè omnia: in quo etiam omnia ab initio vita erant, antequàm quicquam essent in semetipsis. Ipse Deus est vnus, & præter eum non est alius; non participatione, non sola ęstimatione, non sola appellatione; sed secundum suæ naturæ veritatem, naturalitèr, & essentialitèr Deus est.

62 g *Communicantes, & memoriam venerantes &c.* Per hanc tertiam Canonis partem *Sacerdos commemorat Sanctos*, (prosequitur *hìc* D. Thomas) *quorum patrocinia implorat pro prædictis*. Ly *Communicantes* connexionem habet cum prędictis, & fit sensus: *offerimus, vel qui tibi offerunt &c. Communicantes*, hoc est fidelium

delium suffragia participantes inuicem, nec non cum Beatis; quorum ideò *& Memoriam venerantes*, ipsorum meritis, & precibus Diuinę protectionis auxilio deprecamur muniri. Vt enim in symbolo Apostolico profitemur, Ecclesia, quæ militat in terris, non solùm inter se, sed & cum Ecclesia communicat, quæ in Cęlis triumphat: quod egregiè comprobat B. Albertus ex tertia membrorum communione, quæ in mystico, ad instar humani corporis, reperitur; qua scilicet vtriusquè virtutes cum cęlestibus virtutibus communicant.

63 Modus sanè congruus, vt notat Albertus, Deum deprecandi Sanctorum merita Diuinæ menti obijciendo. Sic Moyses Exod. 32. Patrum memoriam coràm Deo allegauit, vt auerteret iram ipsius dicēs: *Recordare Abraham, Isaac, & Israel.* Et post pauca: *Placatusquè est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat.* Similitèr 3. Reg. 11. sic Dominus ad Salomonem: *in diebus tuis non faciam propter Dauid Patrem tuū &c.* vndè dicimus in psal. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.*

94 Hac freta auctoritate Ecclesia, statim ac sui Filios ad Cęlos auocatos agnouit, in sanctæ Communionis supplicatione reposuit. Et hæc, vt notat Grauina *cath. præscript. l. 4. ar. 7.* & vt ex liturgijs patet, constans fuit omnium Ecclesiarum praxis, quam memorant S. Clemens *l. 3. Apost. Const. cap. 13.* S. Dionysius *cap. 3. Eccl. Hier.* Optatus Mil. lib. 3. S. Cyprianus *l. 3. Epist. 6. & l. 4. epist. 5.* Cyrillus Hierosol. *Cath. 5.* Augustinus *l. 8. de Ciu. Dei c. 27. & pluribus alijs locis,* Chrisostomus *hom. 21. in acta Apost.* Epiphanius *hæres 75.* Sanctorum quidem nominalis descriptio

varia olim fuit pro locorum,ac temporum varietate. Quam Gregoriana nostra Liturgia adhùc r-inet, S. Hieronymo attribuit Lindanus *loc.aliàs cit.* acceptā ferunt Syricio Papæ Radulphus *propos.*24. & Durādus *l.*4:*c.*38. Lino Nicolaus de Ploue *in exp.Missæ*. Antiquissima sanè est,eiusquè tēporis,quo non adhùc Confessorum memoria celebris in Ecclesia habebatur,vt infra dicetur.

65 h *In primis gloriosæ semper Virginis Mariæ*. In commemoratione Sanctorum mentio pleno iure in primis ponitur *MARIÆ*, per quam & illi,& nos meruimus authorem vitæ suscipere, *& in qua Deus*, (ait D.Bernardus serm.de Nat.B.V.) *totius boni plenitudinem posuit, vt proindè,si quid spei in nobis est, si quid gratiæ,si quid salutis,ab illa nouerimus redundare*. MARIA, (docet dilectus Mariæ discipulus Albertus,) *merito semper prima ponitur, quia per secundum propitiatorium designatur* Exod. 27. *in qua Deus corporalitèr apparuit,vt propitiaretur,& in quod omnes Angeli versis vultibus respiciunt,vt ab ipsa recipiant splendoris illuminationem*. Duæ autèm tanguntur eiusdem excellentiæ, vna per ly *gloriosæ semper Virginis*: gloriosa enim est, quæ mentem, & corpus illibata perpetuò custodiuit, quæ prima cælibatum Deo deuouit,& Angelorum munditiam terrenis intulit. Altera,quæ hominum aleam transcendit,subditur per verba: *Genitricis Dei,& Domini Nostri IESV Christi*: vndè *Mediatricem* Mariam appellat Fulgentius *serm. de laud.Mariæ*; vndè Mulier Luc.11. *Beatus*,inquit, *venter,qui te portauit,& vbera,quæ suxisti*. Ex quo Euangelij loco Riccardus de S.Laurentio l.1. de laudibus Virginis cap.2. *longè magis*,infert,*à nobis beatificanda est*,

est, qui de eius carne, & sanguine reficimur in Altari.

66 Perpetuo autèm Ecclesiæ consensu, nec sine Diuino consilio, vt inquit Stephanus Eduen. *cap. 13.* factum est, vt in veterum Liturgijs, quę extant tàm Græcorum, quàm Latinorum, honorifica mentio B. MARIÆ Virginis habeatur, eiusquè commemoratio, quo eius meritis, & precibus iuuari possimus, sæpè interponatur. In Liturgia Iacobi exclamat Sacerdos: *præcipuè sanctissimæ, immaculatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ, semperquè Virginis Mariæ.* In Liturgia S. Basilij Pontifex voce excelsa. *præcipuè sanctæ, & intemeratæ, benedictæ Dominatricis nostræ Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ.* In Liturgia Chrysostomi: *præcipuè autem sanctissimæ, intemeratæ semper benedictæ Reginæ nostræ Dei Genitricis, semperquè Virginis Mariæ.* In Missa denique Ethiopica (vt cæteras prætercam) eaquè peruetusta; *lætare Domina, quia salutem sanctam deprecamur. O Virgo, in omni tempore Mater Dei, & Christi, effer sursum, & in altum orationem nostram.* In omnibus verò *Deipara* interpellatur, vt indicetur, ad hoc Mariam speciali titulo Sacrificium spectare, cuius Victimam peperit mundo, de qua dicitur Cant. 7. *Venter eius vallatus lilijs, aceruus tritici, & vbera eius botri vineæ.*

67 * Hoc nos loci plena cordis teneritudine MARIAM Ordinis nostri auctricem, ac protectricē, Matrem nostram dulcissimam inuocemus: Nos, qui ideò ex S. Antonino *3. p. tit. 23.* dicebamur, *Fratres Virginis*, vsquequò placuit Ecclesiæ Dei titulum dare Ordinis Prędicatorum. Mutato tamen nomine, non mutatum officium. MARIA enim est fulcimen, est Virga prędicationis, quę sola datur Prędicatori-

bus, vt ait Rios Alarcon *lib. 1. Hier. Marianæ cap. 33. in Marc. 6.* præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi Virgam tantùm. Propterea D. Antoninus loc. cit. c. 2. *Quanta à nobis*, ait, *veneratione colenda est, quanta Virgo excellentissima, Genitrix Christi dignissima, Mater nostra benignissima charitatis laude prosequenda est, cui à Maiestate committimur (dicente Christo ad S. Dominicũ:* Ordinem tuum Matri meæ commisi,) *sub cuius radijs protegimur, cuius manu benedicimur, cuius gratiæ rore perfundimur, cuius interuentu dilatamur, consolamur, & saluamur.* Propterea sub ipsa Ordinis primordia in Capitulo Gen. Florentiæ 1272. & Bononiæ 1275. statutum fuit, in qualibet Hebdomada, cessante impedimento, Missam fieri de Beatissima Virgine, vti de B. Patre nostro Dominico in tertijs ferijs decretum fuit Parisijs. Quod itaquè à Prędecessoribus summa religione custoditum patrimonium recepimus, multa nunc fiducia depromamus, tremendum peracturi mysterium, per quod *in nostris manibus* (quis non timeat, ac tremat?) *veluti in vtero Virginis* (cùm Augustino loquor) *Filius Dei incarnatur.*

68 *Caput verò, ad nomen Marię, nec non IESV, quod hìc exprimitur, inclinare ne omittamus: de quo tacet rubrica, quia ex generali præscripto notum supponit.

69 i *Sed & Beatorum Apostolorum, ac martyrum*, memoriam veneramur. *Magnus honor* (inquit Chrysostomus hom. 21. in act. Apost.) *nominari, Domino præsente, dum mors illa celebratur, & horrendum Sacrificiũ &c.* Quod ergo *vni Deo, & Martyrum, & nostro* (vt inquit Augustinus de Ciu. Dei l. 22. c. 10.) *Sacrificium immolamus*, essentialem in Cælis gloriam jam nactis

ad

ad hoc prodest (quo sensu pro Sanctis offerre dicimur) *quò magis, ac magis glorificentur in terris*, vt docet Innocentius III. *in cap. cum Marthæ de cel. Miss. Neque verò sic eos commemoramus* (aduertit August. tract. 84. in Ioan.) *quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus; sed magis, vt ipsi orent pro nobis*; nec non, ex eodem l. 8. de Ciu. Dei cap. 28. *vt Deo de illorum victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, ex eorum memoriæ renouatione, adhortemur*.

70 *Apostolorum* itaquè post Deiparam Virginē memoriam recolimus; quia Fidei nostræ fundamenta iecerunt, & sancta prædicatione roborarunt; *ac Martyrum*, quia fuerunt testes (vt vox ipsa ex Greco sonat) nostræ Fidei; de quibus Apost. ad Heb. 2. *Quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis &c.* Hi autèm, & illi doctrina, & sanguine respectiuè hoc Sacrificium confirmarunt, ex Honorio *in Gemma Animę l. 1 1. c. 10.*

71 *Patriarchæ, & Prophetæ non ponuntur*, inquit B. Albertus; *quia ad Lymbum descenderunt, ibi spe felici consolationem redemptionis expectantes*.

72 Nulla paritèr Confessorum, nulla Virginum non martyrum mentio est: quia Sanctorum Cathalogus tunc Canoni insertus perhibetur, quando Martyrum dumtaxat memoriam Ecclesia venerabatur, vt Innocentius III. *l. 3. cap. 10.* aduertit. De Confessoribus namque, vt notat Card. Bona *hic*, silent tribus prioribus sęculis Ecclesiastica monumenta; eorumquè celebritatem memorant, nonnisi post S. Syluestrum. Et prorsùs qui commemorantur in Canone

S. Mar-

SS. Martyres, præcesserũt Syluestrum, præter Ioanné, & Paulum, Marcellinum, & Petrum, qui proximè successerunt.

73 Altera accedit congruentiæ causa, quòd, cùm Christi passionis memoriale hoc Sacrificium sit, nullorum rectiùs fieri potuit memoria, quàm Martyrum, *qui*, vt loquitur Turrecremata hìc, *se ipsos Deo obtulerunt, sicut Christus; eiusquè passionis* (Apostolus inquit 1. Cor. 5.) *socij effecti configurati sunt morti eius*. Quò & illud facit Cypriani *serm. de Cæna Domini*, atquè Augustini super Psal. 22. *Hoc Calice inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes suos non agnoscebant, & gratias agendo dicebant:* Calicem salutaris accipiam. Et *tract. 84. in Io:* affirmat, Martyres effundentes suum Sanguinem pro Christo, quæ de manu Dei acceperant, paritèr reddidisse.

74 Inter Apostolos, & Martyres primus, ac Præsidentis locus meritò adhùc gloriosissimæ Virgini MARIÆ debetur: quia Regina Apostolorum, immò & Magistra, dicente Riccardo lib. 8. de laud. B. Virg: *Apostolorum Magistra facta est, qui postea Magistri facti sunt, & ascendente Domino Apostolos nouum docuit testamentum, quod ad docendũ nos ijdem Apostoli conscripserunt.* Martyrum paritèr Regina est: quia *& ipsius animam doloris gladius pertransiuit;* & ex sententia D. Antonini 4. p. tit. 15. cap. 24. *improportionabilitèr maior fuit dolor Virginis in passione Filij, quàm Martyris cuiusquè in sua passione:* ac *tãtus fuit* (addo ex D. Bernardino tom. 1. serm. 51.) *quòd, si in omnes creaturas diuideretur, omnes subitò perirent;* consequentèr *per singula momenta* (inquit D. Anselmus) *vitam ei ademisset, nisi peculiari eam miraculo Deus conseruasset.*

75 Duo-

75 Duodecim autèm & Apostoli, & Martyres, totidemquè dumtaxat Martyres, quorum nomina recensentur, 24. Seniores Apocalypsis cap. 4. & 5. menti obijciunt, circumamictos vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ, & in medio Seniorũ Agnum stantem, tanquàm occisum; habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Et quod subditur; *Et Omnium Sanctorum*, piè meditationi id ingerit, quod eodem ca. 5. legitur: *Et omnem creaturam, quæ in Cælo est &c. omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum &c.*

76 Quòd verò prædicti SS. Martyres ex tùnc temporis *eximij, & insigniores* (vt ait, & singillatim probat B. Albertus,) huic cathalogo adscripti, postmodùm remanserint, magno occulto Dei mysterio factum prodit Gabriel Biel *super Can. lect. 32. litt. K.* addens, nonnulla ipsorum nomina in quibusdam Ecclesijs expuncta fuisse, Sanctorum, quæ maioris notæ visa sunt, subrogatis; sed hæc euanuisse, ad suum illa locum miraculosè redijsse.

77 Quærit insuper D. Thomas *opusc. 66.* cur in hoc ordine Canonis plures Sancti, & maioris auctoritatis, quàm in altero (scilicèt postConsecrationem) ponantur? Respondet sic: *Cùm in isto officio, & ministerio mirabilia, & incomprehensibilia agantur, idest substantia panis, & vini, in veram carnem, & verum sanguinem Christi consecrentur, maioribus, & pluribus auxilijs indigemus.*

78 Subsidium tamèn & aliorum in communi Sanctorum imploramus subdentes, *Et omnium Sanctorum, quorum meritis* (supererogationis,) *precibusquè*

(quas

(quas pro nobis in gloriam translati indesinentèr effundunt,) *concedas* (pro tua misericordia,& liberalitate,) *vt in omnibus*(intelligendis, credendis,agendis, & appetendis) *protectionis tuæ*,(siuè defensionis) *muniamur* (contrà omnes inimicorum visibilium, & inuisibilium machinationes) *auxilio*:(auxilio enim tuo, & tuorum suffulti securi stabimus gloriantes : *auxilium meum à Domino, qui fecit Cælum,& terram.*)

79 Clauditur hæc tertia Canonis pars , ad modum tamèn vnius orationis procedens, per solitam clausulam, *per eundem Christum Dominum* , vtpotè ad Clementissimum Patrem,iuxtà regulam Fidei,& morem Ecclesiæ,directa. Nunc consequentèr de more manus rectè clauduntur Ritu Rom.cui *tit.de oratione* adducta congruentiæ ratio assistit.

80 * Verumtamèn si totus Canon veluti complexè , ac pro vna generica oratione sumatur, proût sumi videtur à D.Thoma *hic ar.4.ad 6.* terminat,nōnisi immediatè ante Orationem Dominicam:quando Sacerdos *subiungit,per omnia sæcula sæculorum,& expectat assensum dicentium, Amen*,vt loquitur ibi D.Thomas . Hac facta consideratione,non incongruè manuum nos iunctionem, ad has Canonis clausulas,cōtinuamus;rubrica alitèr non iubente; quemadmodum nec præcedit *Dominus vobiscum* , nec *Oremus*, vt in simili habet Nauarrus *de Orat. c.19.* sed totus Canon refertur ad *Dominus vobiscum* Præfationis, vt ibidem D.Thomas affirmat. * Cùm prætereà, ex Micrologo *cap.16.*quinquies in toto Canone dicatur , *Per Christum Dominum Nostrum*, ad memoranda quinque IESV Domini vulnera, expansio manuum, signum apeçientis pectus,non dissonat mysterio.

TI-

TITVLVS XX.

De Quarta, quinta, & sexta Sacri Canonis parte: Hanc igitur &c. Quam oblationem &c. Qui pridiè &c.

RVBRICA.

Prosequatur. a Hanc *igitur* &c. *Ad* ; b Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus, *sinistra super Altare demissa, dexteræ tribus prioribus digitis, ad* c bene✝dictam, ascri✝ptam, ra✝tam, d *Cruces tres priores super totũ Sacrificium faciat, &* e *Cruces alias duas formabit ad* Cor✝pus *super Hostiam vnam, ad* San✝guis *super Calicem alteram. Ad* f Qui pridiè, quã pateretur accepit, g *extergat extremos pollices, et indices manuũ superCorporale;* h *ad* panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, *sinistræ manus indice deprimat Hostiam, vt altera parte eleuata à dextrà capi possit ad*, Manus suas, *duobus digitis vtriusquè manus. Ad*, & eleuatis oculis in Cælum, i *oculos in Cælum eleuet, & statim demittat, & dexteræ tribus primis digitis extensis,* l *eam semèl signo Crucis signet, & verba prosequatur vsquè ad* accipite, & manducate ex hoc omnes: *nã tunc iterum pollice, & indice dexteræ manus accipiat Hostiam.* m NO

NOTÆ.

81 *a* HAnc igitur oblationem &c. *Tertiò* (proſequitur D.Thomas) *petitionem concludit, rogans Deum, vt oblationem de qua ſuprà, placatus accipiat:* quaſi dicat ex Odone: quia hoc tibi Sacrificium offerimus in corpore Eccleſiæ, *Communicantes, & memoriam Sanctorum venerantes, hanc igitur oblationem &c. quæſumus Domine* (de quo ſcriptũ eſt *benignus, & miſericors es, patiẽs, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia*) *vt placatus accipias*, vt ſcilicèt quod peccatis noſtris præpediti non valemus, communione ſaltem Sanctæ Eccleſiæ, ac SS. tuorum meritis, & precibus conſequamur.

82 Huius verò Sacrificij primarium finem hoc loco exprimimus per verba *ſeruitutis noſtræ;* quibus ſupremum Dei in nos dominium proteſtamur, ac ſubiectionem non tantum noſtri, *qui tibi offerimus, vel qui tibi offerunt* miniſterio inſeruientes, adſtantes, eleemoſynam tribuentes, *ſed & cunctæ familiæ tuæ*, hoc eſt totius Eccleſiæ, quę ex Apoſtol. 1. Tim. 3. *Domus eſt Dei viui*; ex ijs coaleſcens, de quibus idẽ Apoſtolus Epheſ. 2. *eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei &c.* Tuæ, inquàm, quam à te creatam tuus tibi Filius ſuo precioſo Sanguine recreauit, donans ſe illi, naſcens in ſocium, conueſcens in edulium, moriẽs in pretium, regnans in præmium.

83 Sequitur: *dieſquè noſtros in tua pace diſponas, atquè ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari.* Quæ *tria verba maxime*

per-

perfectionis plena (ait Beda l.2. Hist. Ang. cap. 1.) *S. Gregorius Magnus superadiecit*; quod & contestatur Hugo *de off. Eccl. cap.* 11. Amalarius *l.* 3. *off. cap.* 23. Baronius *an.* 604. aliјquè communitè:, occasione pestis in Vrbe grassantis, bellorumquè suo tempore ingruentium, vt notat Lopez *lib.* 2. *cap.* 19. & Ioannes Diaconus *in vita S. Gregorij l.* 2. *cap.* 17. Quare, cùm aliorum verborum, *Hanc igitur &c.* non assignetur initium, infert Magister Grauina *loc. cit.* peruetusta esse, Apostolicaquè traditionis vestigia. Et verè leguntur in Liturgia S. Petri græca vnà cum *Communicantes*. Et antiquiora esse Gelasio, cui Alcuinus, ac Leone, cui Radulphus tribuit, sentit Sotus *hic* cùm Hugone *l.* 2. *de Sacram. p.* 8. *c.* 14. vbi, Petrum Romanę Missę auctorem faciens, subdit, in initio Fidei tres illas orationes Canonis in vsu fuisse: *Hanc igitur oblationem* cum subsequentibus.

84 Per dicta verba Sacerdos *tùm pacem petit* (prosequitur D. Thomas) *in præsenti sæculo*, (in quo tot turbantia occurrunt: vndè Apostolus Eph. 5. redimentes tempus, quoniam dies mali sunt; & Gen. 47. dies peregrinationis meæ parui, & mali) *ereptionē à perpetua damnatione, necnon æternam Patriæ felicitatem*. Pacem petit non quamcumquè, sed Domini: vnde dicit *in tua*, de qua Christus IESVS Io: 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo Mundus dat, ego do vobis. Pacem namquè constituit Mundus*, (ait Odo) *vt liberè liceat vti voluptatibus; pacem dat Sanctis Deus, vt mandatis intenti Diuinis securè studeāt virtutibus*; per quas sibi iter sternant ad Cælum, & vitia eliminent, per quæ certus descensus Auerni: vndè subditur, *& ab æterna damnatione nos eripi*, (per indul-

gen-

gentiam peccati mortalis,) *& in electorum tuorum* (qui per gratiā finalis, & specialis electionis à massa peccatorum separati sunt) *iubeas grege numerari: per Christum Dominum nostrum*, bonum illum pastorem, cuius pascuæ oues sumus, qui animam posuit pro ouibus suis.

81 * Ad hanc orationem Rom. Ritus manus extensas, atquè expansas super Oblata iubet teneri. Cæremonia plena quidem mysterijs, quæ adducuntur à Suarez, Cornelio à Lapide, & aliis *in Leu. 1.* vbi dicitur: *ponetquè manum super caput* Hostiæ, *& acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens*: sed non à longo tempore in vsum Ecclesiæ vniuersalem translatam ex eo suspicor, quòd Innocentius III. Durandus, Titelmanus, & antiqui plures alij Scriptores, etiam illi, qui minutiora quęquę perpendunt, non illius meminerunt: quam tamen pręscriptam habent & Carthusienses, * & nobis etiam proposuerat in suo Missali Generalis Beccaria. Ceterum antiquus noster Ritus sibi ipsi per Generalem Xauierre restitutus ea caret: sicquè, iuxtà praxim, quam exprimit Micrologus cap. 16. manus apertas adhùc, atquè extensas retinemus, ad Christi continuò imitandam brachiorum extensionem in Cruce; in quo nobis fauet, ipso Micrologo ibidem asserente, Dauidis illud: *tota die expandi manus meas ad te*: & alibi: *exaudi Domine, dum extollo manus meas ad te*.

86 b *Quam oblationem &c. Iam Sacerdos* (prosequitur D. Thomas) *accedit ad ipsam consecrationem, in qua primò petit consecrationis effectum, cùm dicit*: Quam oblationem tu Deus in omnibus quęsumus benedictam &c. *Tu Deus*, cuius solius est potentia, qui ità dile-

dilexisti mundum, vt Filium tuum Vnigenitum dares; *in omnibus quæsumus*, hoc est, ex Durando *cap.* 40. tota cogitatione, tota mente, & toto intellectu, vel, ex Titelmano, in omnibus, ideſt omninò *benedictam &c. facere digneris.*

87 c *Benedictam, aſcriptam, ratam &c.* Benedictã *ideſt* (explicat D. Thoma. hîc ar. 5. ad 7. cum Augustino, & habetur de conſ. diſt. 2. c. Vtrum.) *per quam benedicamur, ſcilicèt per gratiam*; aſcriptam, *ideſt per quam in Cælo aſcribamur*; ratam, *ideſt per quam de visceribus Christi eſſe cenſeamur*; rationabilem, *ideſt, per quam à beſtiali ſenſu exuamur*; acceptabilem, *vt qui nobis ipſis diſplicemus, per hanc acceptabiles eius vnico Filio ſimus.* Fit ſimul, ex Innocentio *hîc cap.* 12. antithesis, hoc eſt contrapoſitio ad venditionem Iudæ, quam Cruces, vt mox dicemus, ſignificant. Fuit namquè Iudæ venditio, *maledicta*, hoc eſt maledictionis cauſa; *proſcripta*, per quam è Cælo exulauit; *irrita*, per quam pænitentia in deſperationem degenerans euaſit inanis; *irrationabilis*, per quam, comparatus iumentis inſipientibus, impinguatus recalcitrauit; *deteſtabilis*, per quam æterni ſupplicij damnationem ſubijt.

88 Sincerius autem poſſumus dicere, cum Soto *hîc ar. 4. ad* 5. quod petimus hoſtiam *benedictam* eſſe, hoc eſt verbis Chriſti conſecratam, vt ſit alluſio ad verbum inferius, *benedixit, & fregit*, & ad Abrahæ benedictionem Gen. 22. *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, hoc eſt in Chriſto per paſſionem, quę per hoc Sacramentum applicatur: *Adſcriptam*, hoc eſt in album relatam, quo fidelium munera Deus adſcribit in ſatisfactionem pro peccatis: *Ratam*, ad differentiã non ſolum ſacrificiorum idololatrarum, quę ſemper

X fue-

fuerunt irrita, & cassa, verùm & oblationum vetustę legis, quę iàm aboleuerunt, & ingratę sunt Deo: *Rationabilem*, iuxtà verbum Pauli ad Rom. 13. *Rationabile obsequium vestrum*: nàm, licèt hostia hęc suprà rationem naturalem sit instituta, est tamèn rationi Diuinę legis consentanea; qua subindè ratione fit Deo acceptabilis. Plura in hæc verba B. Albertus verè Magnus *hic cap.* 10. nec non D. Thomas *opusc.* 66. §. *quare* 2.

89 Intelligentia ex dictis dimanat verborum, quæ subduntur: *vt nobis Corpus, & sanguis fiat dilectissimi Filij tui Domini nostri IESV Christi*: quę D. Thomas *hic ar.* 5. *ad* 7. ità exponit, vt impiam Nouatorũ obiectionem nec dùm ortam sepeliuerit. *Efficacia, ait, verborum Sacramentalium impediri potest per intentionem Sacerdotis; nec tamèn est inconueniens, quod à Deo petatur id, quod certissimè scimus, ipsum facturum, sicut Christus Io. 17. petit suam clarificationem. Non tamèn videtur ibi Sacerdos orare, vt consecratio impleatur, sed vt nobis fiat fructuosa &c. & hoc significant verba, quæ præmittit dicens: Hanc oblationem facere digneris benedictam &c.* Vt enim notat Porrecta in D. Thomã *hic*, etiam secundùm excellentes Grammaticos ly *nobis* exponitur, ad nostram vtilitatem: nostram, in-quam, non Lutheri, non eorum, qui cum eo extrà Ecclesię communionem sunt *animales homines*, non percipientes ea, quę sunt Spiritus Dei. Appositè Odo Cameracen. *signanter*, ait, *posuit* nobis, *idest Catholicæ Fidei cultoribus*: nobis, *exclusit paganos, exclusit Iudæos, exclusit hæreticos*: nobis *communicantibus, memoriam Sanctorum venerantibus: non est enim locus veri Sacrificij extrà Catholicam Ecclesiam*.

90 d *Cru-*

90 d *Cruces tres priores super totum Sacrificium faciat*, ad significandum, quod, quæ tunc petimus, ex virtute Crucis Christi procedunt, ex D. Thoma *hic ar. 5. ad 3.* vbi etiam Crucium mysteria sub atoma cõsideratione prosequens: *secundo, ait, fuit Christi venditio. Est autem venditus Sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis. Ad quod designandum fit iterum trina Crucis signatio supra illa verba;* Benedictam, ascriptam, ratam. *Vel ad ostendendum pretium venditionis, scilicet triginta denarios*, qui, vt notat Durandus, multiplicationem suscipiunt à ternario. Cruces autem non fiunt ad, *rationabilem, acceptabilemque*, quia ex se ipsa rationabilis, & acceptabilis est, vt egregiè probat B. Albertus *hic.*

91 e *Cruces alias duas formabit ad* Corpus *super Hostiam vnam, ad* Calicem *super Calicem alteram. Additur autem* (D. Thomas prosequitur) *duplex super illa verba:* Vt nobis Corpus, & Sanguis &c. *ad designandam personam Iudæ venditoris, & Christi venditi.* Gemina insuper charitas, ex eodem D. Thoma *opusc. 66.* designatur, quam Christus IESVS habuit ad Patrem, & ad gregem, Patri obediendo, & pro grege moriendo: vel geminam charitatem, qua corpus, & animam posuit. Aliter B. Albertus, *fiunt iterum*, ait, *duæ Cruces, vt virtus incorporationis*, (vndè dicitur, *vt nobis corpus*) *& virtus viuificationis nostræ*, (vndè dicitur, *& sanguis*) *à Deo procedere notetur in Sacramentum, Io: 6.* qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, *vt incorporatus mihi, & Spiritui meo sociatus*, & ego in eo, *vt caput in membris, & vita in viuentibus.* Alij tandem cum Titelmano, per quinquè dictas Cruces dies quinque, à die Palmarum vsquè ad Parasceuem computãdos, quibus mysteria omnia pas-

sionis consummata sunt; vel cum Micrologo, quinquè Christi vulnera; vel cum D. Bonauentura, quinquè illius sensus, suis quosquè tormentis deditos, repræsentari asserentes, piæ meditationi pabulum subministrant.

92 f *Qui pridie, quam pateretur &c. Secundò* (prosequitur D. Thomas) *consecrationē peragit per verba Saluatoris, cùm dicit*; Qui pridiè quàm pateretur, &c. Cuius orationis duæ sunt partes; vna, quæ consecrationi prçliminaris est, modo narratiuo procedens, altera, quæ essentiam consecrationis importat; qua Sacerdos in persona Christi Domini loquitur. Primam hic expendam, sequentibus titulis altera reseruata.

93 Hanc etiam Apostolorum esse periodum vsquè: *In mei memoriam facietis*, affirmat Alcuinus *de diu. off. cap. de celebr. Missæ*, assentitur Bona *hic*, & habetur, sub aliquali varietate verborum, apud S. Clementem *l. 8. cap. 17.* nec non in Liturgijs SS. Petri, & Iacobi.

94 Procedit itaq; prima pars modo historico ea subijciens, quæ per Christũ Dominum in huius institutione Sacramenti gesta sunt. Nequè obstat, quædam enarrari, quę non extant in Euangelijs, quia, vt docet „ D. Thomas *hic ar. 4. ad 2.* Sicut dicitur Ioannis „ vltimo, Multa sunt à Domino facta, vel dicta, quæ „ Euangelistæ non scripserunt, inter quæ fuit hoc, „ quod Dominus in Cęna oculos leuauit in Cæ„ lum; quod tamèn Ecclesia ex traditione Aposto„ lorum habuit. Rationabile enim videtur, vt, qui „ in suscitatione Lazari (vt habetur Ioann. 11.) & in „ oratione, quam pro discipulis fecit, Ioan. 17. ocu-

los

„ los leuauit ad Patrem, in huius Sacramenti insti-
„ tutione multò magis hoc fecerit, tanquàm in re-
„ potiori. Quod autem dicitur, *Manducate, & come-*
„ *dite*, non differt quantum ad sensum, nec multum
„ refert, quid dicatur, præsertim cùm verba illa non
„ sint de forma. Quod autem additur, *omnes*, intelligi-
„ tur in verbis Euangelij, licèt non exprimatur; quia
„ ipse dixerat Ioa. 6. *Nisi manducaueritis carnem Fi-*
„ *lij hominis, non habebitis vitam in vobis*.

95 Diem itaquè in primis recolimus, in quo huius Sanctissimi Sacramenti institutionem factam cognouimus, vt nostra intentio ad eam dirigatur effectus operationem, quam tunc inter Discipulos Saluator agebat. *Qui pridie quam pateretur*, hoc est decimaquarta luna primi mensis, sic veritate implente figuram Exodi 10. *Accepit panem*, quia Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: panem; ergò azimum, ex præscripto Exodi 12. *Accepit panem*, & mox calicem, vt intelligeremus, quod, sicut præ cęteris cibis corporalibus panis cor hominis confirmat, & vinum lętificat cor hominis, ita Corpus, & Sanguis Christi interiorem hominem reficiunt, & satiant; quod in Manna adumbratum præcessit, Eucharistia consummante. Sic benignissimus Redemptor, in qua nocte Iudæorum odio quęrebatur ad mortem, in æterni amoris pignus, se ipsum dedit ad vitam. Accepit in Sanctas, *hoc est sanctificantes*, ac venerabiles *propter vnitam manibus Deitatem*, manus suas, *vt tactu Sanctarum suarum, & Diuinarum manuum, tali materiæ Sacramenti conferret, quod in omni tempore in Corpus Christi transubstantiari posset: & hoc significatum est Io. 6. vbi IESVS ad manus accepit panes, de quibus*

turbas pascere voluit; hinc est, quod dicitur Cāt. 5. Manus eius tornatiles, aureę, plenę hyacintis &c. Hæc Magnus Albertus hìc cap. 11. Idcircò etiam hanc clausulam *in sanctas, ac venerabiles &c.* quam Euangelistę non ponunt, addidit Ecclesia, vt ex ipsarum sanctitatis (ait Antonius Puccius Card. *ho.* 5. *de Corp. & Sang. Christi Sacrif.*) & venerationis mentione, attentiores filios efficiat, & arctiùs ad cogitandum inducat, vt nō modò quales sint eorum manus ex vnctione, sed quales etiam esse debeant ex iustitia, & ex operatione, ac merito vitæ. Hùc etiam respicit, quod subditur: *& eleuatis oculis in Cęlum*, quod quidem Christus Dominus fecisse creditur, (vti ex Lactantio refert Spe- rellus *lib. cit. ca.* 47.) vt huius Sacrificij prę ceteris Sacramētis indicaret sublimitatē; sed simul, vt eius actio nostra esset instructio, ex Origene apud Durātū *hìc*, atq; Chrysostomo *ho.* 78. *in Ioa.* vbi, Christi Domini exemplo proposito, admonent, vt oculos quidem carnis, sed & animæ à rebus abducamus terrenis, atquè attollamus sursum, reminiscentes, hoc sanctum ministerium Angelis tremendum à Deo nos Cęlorum Domino accepisse. *Ad Deum Patrem suum omnipotentē* adnectitur, quia Dei Patris omnipotentia, vt notat B. Albertus, in transubstantiatione relucet potissimùm. Indè etiam paternam Dei bonitatem & nos magnificare, ac gratiarum actione prosequi erudimur, potenti adeò beneficij modo in filios adoptionis effusā. *Optima enim beneficij custos* (vti in re hac inquit Chrysostomus hom. 26. in Matth:) *est ipsa memoria beneficiorum, ac perpetua gratiarum actio.* Quare Psalm. 110. ante vers. *Memoriam fecit mirabilium suorum, escam de-*
dit

dit timentibus se, præmittitur: *Confessio* (scilicet gratiarum) *& magnificentia operis eius*. Ad quod ipsum Eucharistiæ nomen conducit, idem sonans ac *gratiarum actio*, vt inquit *loc. cit.* Chrysostomus, & ex græca deriuatione probat Sotus 4. *sent. dist.* 8. *q. vnica ar.* 4. Hùc tendit, vt ibidem insinuat Sotus, quod subditur: *Tibi gratias agens. Gratias agit* (docet Chrysostomus hom. 83. in cap. 25. Matth.) *vt nos instrueret, quomodo mysterium hoc facere debeamus, & simul, vt ostenderet, sponte se ad passionem proficisci; vt nos præterea doceret, omnia, quæ patimur, cùm gratiarum actione esse ferenda, ac bonam nobis spem indè immitteret, atque foueret.*

96 Postmodùm, in manus iam acceptum panem, *benedixit*, ille, de quo in Psalmo dicitur: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Benedixit, hoc est ex B. Alberto, *in Sacramentum omnis gratiæ plenitudinem effudit, vt sit verum de Sacramento, quod dicitur Eccl.* 44. Benedictionem omnium gentium dedit illi. *Semel dixit Deus*, ait Titelmanus hic, *initio tēporis; & facta sunt omnia. Benedixit in Cæna nouissima, & commutata sunt terrena in cælestia.*

97 In dissidia trahuntur hoc loco scholastici, an, necnè Christus Dominus, dùm benedixit, & antequā frangeret panem, consecrauerit? Quæ res in quatuor sententias scidit antiquos Patres, quas, post B. Albertum *hic*, S. Thomas 3. *p. q.* 78. *ar.* 1. *ad* 1. refert, ac refellit, quintam statuens, quæ sanè sinceriùs Euangelistarum textui consonat, vt pluribus comprobat Sotus 4. *sent. dist.* 11. *q.* 1. *ar.* 2. quòd nempè non priùs consecrauerit, quam fregerit, & obtulerit Discipulis; ità quod sermone, quo solemus conuiuis dicere, accipite, & comedite, hoc est capo, vel perdix, Christus Do-

minus vsus dixerit: *Accipite, & comedite:* haud enim putetis, esse solum panem, quem videtis, sed est verũ Corpus meum. Sed huius loci non est, hiscè me disputationibus implicare. Certum est ex D. Thoma *loc. cit. ar. 2. in arg. sed contra*, formam, qua Christus Dominus consecrauit, necnon (& hoc in fide exploratum est) ad consecrandum constituit, fuisse: *Hoc est corpus meum.* Opinio verò asserentium, consecrasse, priusquàm frangeret, non paucis fautoribus suffulta substentabilis est, nec reprobatur à D. Thoma *loco praecit.* si dicatur, Euangelistas, ideòquè & Canonem hic figurata locutione, quam hysterologiam (quę est, ex gręco, locutio praepostera) vocant, vsos fuisse, iuxtà illud Virgilij: *& torrere parant flammis, & frangere saxo*: cùm tamèn panis coctio frumenti fractionem subsequatur. Quod itaquè Matthaeum mouit, in genealogia Domini Dauidem pręponere Abrahae, hoc idem eum, & alios Euangelistas mouisse aiunt, pro commoditate referendi, ordinem rei à Domino gestae inuertere: quem si seruassent, post *benedixit*, addidissent: *Hoc est corpus meum.* Id verò etiam aliàs factum patet ex Augustino *lib. de consensu Euangelistarum.* Egregiè de his inter Liturgicos Durantus *lib. 2. cap. 36.*

98 Et quidem B. Albertus Magnus, *fregit*, inquit „ postquàm panem in Corpus suum transsubstantiauit. & haec fractio est in solis formis Sacramentalibus, & non in Corpore Christi: haec enim specialis est fractio, in qua virtus cognoscitur Deitatis, vt forma panis frangatur, & corpus integrum permaneat, Luc. vlt. *Cognouerunt Dominum in fractione panis*. Hoc semper petierunt Christum esurien-

,, rientes;sic dicitur Thren.4. *paruuli petierunt panē,*
,, *& non erat qui frangeret eis:* paruuli dicuntur om-
,, nes,qui ad istam fractionem ante Christum inuen-
,, ti sunt infirmi.Hæc ille.

99 *Deditquè Discipulis suis*,ità tamen ex D.Thoma *3.p.q.81.ar.1.in ò*,vt & ipse primò sumpserit, *ipse conuiua,& conuiuium,ipse comedens, & qui comeditur*, vt loquitur Hieronymus *ad Lesbiam*; quod refertur *de cons.dist.2.cap.Nec Moyses*. Vndè Dominus ipse: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum:* & rursùs:*Non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec bibam illud nouum vobiscum in regno Patris mei*. *Dedit*,hoc est donauit,*discipulis suis*, totiquè,quam repræsentabant, Ecclesiæ,Sap.3. *dabitur illi Fidei donū electum,& sors in templo Dei acceptissima*, & Matth. 10.*gratis accepistis, gratis date*. Dicitur autem *Discipulis suis*, vt doceamur, ex Alberto,quod indignus accedere non debet: enim verò *quicunquè manducat, & bibit indignè,iudicium sibi manducat,& bibit.Dicens accipite*, in officium, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.Accipite,& manducate.*Per hęc duo verba duo insinuantur cælestis huius Sacrificij manducandi modi, spiritualis,& Sacramentalis, quos D. Thomas *3.p.q.80.ar.11.in ò & qu.81.ar.1.ad* 3. pluribus prosequitur.*Carnem Christi* (monet Augustinus tract.27.in Ioann.)*non edamus in Sacramento tantùm, quod & multi mali faciunt:sed vsquè ad spiritus participationem,vt in Domini corpore tanquàm membra maneamus,& eius spiritu vegetemur*. Propterea apponitur ly *ex hoc omnes,vt omnes*,inquit B.Albertus, *mihi incorporemini,& spiritui meo sociemini,quia alitèr non potestis Deo Patri offerri.His verbis*,ait & Florus Mag. in ex-

pos.

pof. Missæ, *commendat vnitatem, & pacem, vt, per hoc mysterium Christo participantes, vnum omnes simus in illo.* Neque obijcias, per ly *manducate ex hoc omnes*, nonnisi spiritualis refectionis effectum inferri; quia, vt appositè notat Sotus 4. sen. d. 8. q. vnica ar. 4. *sicut corporali cibo simul & homo nutritur, & membra inter se compacta consistunt, sic spiritualitèr vsu venit in hoc Sanctissimo Sacramento.*

100 f *Extergat extremos pollices super Corporale.* Vsquemodò de verbis sermo fuit: corporis gestus iam expēdamus. Extergat pollices, ne humiditate fortassè affecti adhibeantur, contrà reuerentiā: quæ insuper exposcit, vt nō eos extergat in medio Corporalis, vbi Hostiæ locus esse debet, sed ad dexteram, & sinistrā: & tunc reliqui manuum digiti sint extenti. Ita cum alijs Gauantus *in hanc rub.*

101 g *Ad* Accepit panem &c. *sinistræ manus indice deprimat Hostiam*; reliquis digitis adhùc extensis, & vnitis, vt aduertit Bonamicus *p. 2. num.* 28. & mox dextera simul captam teneat, non quasi iacentem, sed aliquanto suprà Corporale eleuatam; quod etiam ad consecrationem faciendum est.

102 Accipitur autem panis in manus, vt verbis consonet actio, ac Christi Domini rem gestam & gestu exprimamus, & voce. Quod & dic de eleuatione oculorum, ad, *Eleuatis oculis in Cælum*; immò & de benedictione ad, *Benedixit*: licèt enim non ideò signo Crucis benedicatur materia, quod Christus IESVS illo signo vsus sit, *benedicitur tamèn, vt nonnulla eius benedictionis* (Euangelistis non exprimentibus modū) *fiat imitatio*, vt aduertit Sotus 4. *sen. dist.* 11. *q.* 1. *ar.* 2.

103 Ocu-

103 l *Oculos in Cælum eleuet:* Non est opus, vt tunc eleuet etiam caput; neque vt Cælum desursum respiciat, nisi quantum sufficit ad respiciendam Crucem in Altari existentem, seu faciem Christi IESV in eadem pendentis.

104 l *Eam semel signo Crucis signet.* * subintelligε, ritu nostro, tribus de more digitis, reliquis clausis.

105 *Tertiò,* (Crucium expositionem prosequitur D. Thomas hic ar.5. ad 3.) *fuit præsignatio passionis Christi facta in Cæna. Ad quod designandum fiunt tertiò duæ Cruces, vna in consecratione Corporis, alia in consecratione Sanguinis.* D.Thomam continuò sequitur Porrecta *in suo libello toties cit.* cùm alijs.

106 Insuper idem Angelicus Doctor opusc.66. *in tertio ordine, ait, petimus, vt quæ in primo, & secundo benedicta sunt, in verum, & summum Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi transformentur; & ideò duas Cruces facimus, denotantes diuisionem Sanguinis à Corpore.* Et infrà addit, hanc fieri duplicem Crucem, propter redemptionem duplicis naturæ, animæ scilicèt & corporis. Et prosequens, quare in hoc tertio ordine potiùs, quàm cæteris, fiat transubstantiatio panis, & vini in verum Corpus, & Sanguinem Christi, subdit, quòd sicut tria sunt tempora, tempus scilicèt naturæ, seu ante legem, tempus sub lege, & tempus post legem, seu gratiæ: ità quod nec natura potuit, nec iustitia debuit, vt panis, & vinum fieret Corpus, vel caro, & Sãguis, sola gratia Diuina hoc potuit, & voluit, hoc fecit, & facit.

107 m Cereus interim à Ministro, * ritu etiam nostro, debuit accendi, ex præcepto Capituli Generalis Vlyssiponæ 1618. in Missa quoquè priuata, vti

iussum

iussum fuit in Capitulo Gen. Barcinonæ 1574. Romæ 1580.1589.& sic accensus remanere, quousquè Sacerdos completè communicauerit, vt ibidem cauetur.

108 Ritus sanè congruentijs plenus, cuius vestigium extat apud Clem. *Epist.* 2. & Damas. *in Syluestro*, vt notat Gauantus *p.* 1. *tit.* 20. *litt. B. Cerei mysticè*, (inquit Hieronymus epist. 20. ad Marcellam,) *vt, accenso lumine, Sponsi spectetur aduentus, ostendunt*; fidem, quæ lumen est, excitant in circumstantibus; atquè exindè sub typo illius luminis corporalis, ille sacramentalitèr præsens ostenditur, qui dixit Io: 8. *Ego sũ lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. In cornu vero Epistolæ regularitèr accenditur, quæ legem antiquam refert; vt fortasse indicetur, per præsentiam veritatis iàm vmbras ablatas esse, quæ in Agno Paschali, in Manna, & eiusmodi præcesserunt.

109 Paratur insuper parua Campanula, ad eleuationem pulsanda, ex ritu * nobis quidem inculcato per Cap. gen. præcit. sed iàm in Ecclesia praxi excepto, quem memorat Iuo Carnoten. *Epist.* 167. & à Gregorio IX. statutum refert *Nauclerus gen.* 42. *anno* 1240. vt, quemadmodum in veteri Testamento Leuitæ tempore Sacrificij tubas clangebant, sic illius sonitu Euangelicus populus præmoneatur, excitetur-què ad Dominum, cuius tunc eleuatio in Cruce, atquè mactatio recolitur, adorandum; suæ adscribens gloriæ, quod Iudæi in derisum fecerunt. Ter verò pulsatur campanula, cùm Sacerdos adorat, cùm eleuat, & cùm reponit Hostiam, vel Calicem: ternario enim numero gaudet Deus.

110 His

110 His addo fimbriarum posteriorum Planetæ eleuationem, per ministrum prætandam, * etiam ritu nostro, iuxtà rubricam antiqui Ordinarij *l.2. tit.de Missis priuatis*. Consuetudo olim in Ecclesiam inducta, ne Planeta Celebrantem impediret, præsertim in brachiorum eleuatione, quando illa, vt suo loco diximus, sic erat composita, vt totum hominem tegeret. Retenta deindè est, vt notat Quartus *hic*, in cuiusdam specialis obsequij, Sacerdoti tunc debiti, argumẽtum. Mysticæ etiã occurrẽt rationes reminiscenti, per Planetam charitatem significari, & vniuersa delicta per charitatem cooperiri, ac Crucis Sacrificio deleri, quod aduersus nos erat chirographum.

TITVLVS XXI.

De Consecratione Hostiæ, & eiusdem eleuatione.

RVBRICA.

a *Secretò,* b *attentè, deuotè, & continuatè, &* c *cùm summa reuerentia,* d *consecrationis verba proferat, non super Altare procumbens, sed aliquantulum inclinans. Quibus prolatis, Hostiam super Altare inter pollices vtriusquè manus, reliquis manuum digitis extensis, & simul iunctis,* e *genuflexus adoret, eamquè ambabus manibus* f *eleuet decentèr, quantum commodè potest, vt à retrostantibus cerni possit, intentis in eam semper oculis, populo adorandam offerat, ac sine mora, reuerentèr deponens, priùs auferēs sinistram manum,* g *dextera Hostiā super Altare collocet. Reposita Hostia consecrata super Corporale, genuflexus iterū adoret. Post hæc* h *pollicem, & indicem vtriusquè manus coniungat, nec disiungat, (nisi ad Cruces faciendas) vsquè post ablutionem.*

NO-

NOTÆ.

111 a SEcretò, vt à nemine prorsus audiatur, ob rationes deductas *tit.18. litt.B.nu.2.&* *infrà*, quæ hic militant à fortiori. Elata tamèn voce, in Ecclesia etiam occidentali, formam consecrationis pronunciandi consuetudinem non defuisse, populo respondente, *Amen*, idest verum est, ex Tertulliano *lib.de spect.cap.26.* ex Ambrosio *l.4. de Sacram. cap.6.* & alijs colligitur. Viget illa adhùc apud Græcos; desijsse apud latinos sæculo circitèr X. conjecturalitèr affirmat Card Bona *rer.Liturg. lib.2.cap.13.* Et Dedecere sacrosancta hæc verba sic proferri, vt ab omnibus facilè laicis teneantur, cælesti prodigio comprobatum refert Io: Beleth *in sua explic.Diu.off. c.44.* Contigit enim, vt, pastoribus super panem in quodã lapide collocatum hæc verba proferentibus, in eo diuinitus facta fuerit acerrima vindicta: nàm ad vnum omnes percussi sunt, diuino iudicio cælitùs misso.

112 b *Attentè, & deuotè*, ità vt affectata attentio deuotionem non impediat; quod in quibusdam scrupulosis exprobrat meritò Caietanus *in D. Thomam 2.2.q.83.ar.17.in ò*, vbi Angelicus Doctor, *Orationes*, ait (de quibus Apostolus 1. ad Tim.2.) *sunt in ipsa Consecratione, in qua mens maximè debet eleuari in Deũ.* Vndè Caietanus, *in consecratione*, inquit, *Eucharistiæ, in qua Sacerdos Deum quodammodò ducit ad terras, ipsa eleuatio maximè in Dei bonitatem, quæ sic dignatur adesse nobis, ratio est attentionis ad verba in actu exercito, hoc*

est

est quod Sacerdos distinctè, & reuerentèr dicat verba illa. Quod autem à scrupulosis fit, quia scilicèt occupant suam mentem ad hoc, vt velint esse intenti, & attenti, euagatio est, & non est attentio, sed habere potiùs attentionem pro obiecto &c.

113 Mentis autem deuotioni, seù eleuationi non dissonet corporis compositio: pares retineat pedes super Altaris suppedaneum, dextro vltrà sinistrũ, aut è contrà, nequaquam remoto (* pro quo rubricã Missalis Beccariæ aboletam nos meminerimus) non moueat caput ad prolationem verborum; non verba proferat magno conatu, aut aspiratione: hęc in simili Ritus Rom. expositores.

114 c *Et cum summa reuerentia*; qualis sanè illi opus est, *in cuius manibus* (repeto cùm Augustino de dignit. Sacerd.) *velut in vtero Virginis Filius Dei incarnatur*. Timeat, ac tremat, dicente Gregorio lib. 4. Dial. cap. 58. *Quis Fidelium habere dubium possit, in ipsâ immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cœlos aperiri; in illo IESV Christi mysterio Angelorum choros adesse; summis ima sociari; terrena cœlestibus iungi; vnum quoque ex visibilibus, atquè inuisibilibus fieri*. Quod ideò tempus *terribilem horam* appellat Epiphanius *orat. de resurr. Christi*.

115 Terribilis sanè hora, in qua Sacramentum conficitur, de quo Bernardus serm. in Cęna Domini: *potesnè æstimare quale, vel quantum sit hoc Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, Amor amorum Dulcedo omnium dulcedinum!* Quale, vel quantum sit, interroga Patres tuos, & dicent tibi. *Gloria Dei*, & *Pharmacum immortalitatis* dicitur à S. Ignatio, *Vita* ab Augustino, *Sacrificium Diuinissimum* à Dionysio, *Sacra-*

cramentum benedictionis à Tertulliano, *Cæli mysterium* ab Ambrosio, *Verbum nutritorium animarum* ab Origene, *Panis beatitudinis* ab Athanasio, *Fons immortalitatis* ab Isidoro Pelus. *Æternæ vitæ Cibarium* à Petro Chrysol. *Poculum æternitatis* à Prospero Aquit. *Pignus futuræ gloriæ* à D. Thoma, *Alimonia immortalitatis*, & *vitæ æternæ portio* à D. Cypriano, *Viuifica benedictio* à S. Cyrillo, *Holocaustũ salutis* à Ruperto, *Orbis terrarum decus* à Chrysostomo, *Lætitia totius Trinitatis* ab Eligio. Redemptionis memoriale (addo ex Matthæo ,, Episcopo Vvormatiensi) pignus hæreditatis æter- ,, nę, futuræ iucunditatis amabile præludium, arrha ,, sponsæ, iocale diuinum cælitùs ei donatum; Eccle- ,, siæ militantis cum triumphante suaue glutinum, ,, & vnio fraterna, dùm illam dulcedinem, qua illa ,, fruitur sine velamento, ista habet sub sacramento; ,, & si illa cælestis Ierusalem habet Deum suum iu- ,, cundiùs, ista, in terra militans, habet eum mirabi- ,, liùs. In exteriori ergo homine, atque in interiori potissimùm, summum reuerentiæ attingamus, dicente Epicteto: *cùm rem quampiam aggressurus es, redige tibi in memoriam qualisnam ea res sit*: immò ad rem nostram Spiritus Sancti dictamen est, Prou. 23. *Quando sederis cum Principe, diligentèr attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam*; seù, iuxtà Hebræum, *intelligendo intellige, & perspice*.

116 d *Consecrationis verba proferat. Per reliqua omnia, quæ dicuntur* (inquit cum D. Ambrosio S. Thomas 3. p. q. 78. a. 2.) *laus Deo refertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: vbi autèm Sacramentum conficitur, idm non suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi*; (in quo differt hoc à cæteris

Sacramentis; vt fusim D. Thomas *ibidem in d.*) quos cùm pronunciat Sacerdos, panis, & vinum in carnẽ, & sanguinem Christi transubstantiantur, illa verbi virtute, ex B. Alberto *cap.* 11. atquè Innoc. *l.* 4. *cap.* 7. qua Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; qua, portans omnia verbo virtutis suæ, dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt; sine qua factum est nihil; qua fęminam mutauit in statuam, & virgam conuertit in colubrum; qua fontes mutauit in sanguinem, & aquam conuertit in vinum.

117 Verba autèm enunciat, sensu quidem historico, & recitatiuo, sicut pręcedentia, *Qui pridie &c.* (vndè præmittitur, *dicens*, & intermiscetur, *enim*) sed simul in sensu formali, seù assertiuo, & significatiuo, ex D. Thoma *loc. cit. a.* 5. *& in cap.* 26. *Matthæi*; vt sic suprà præsentem materiam verba proferre dicatur, necnon loqui in persona non propria (vti facit, qui verba alterius tantùm recitat) sed in persona Christi (vt dicitur à Florentino Concil. *in decreto vnionis*) quam induit, vt ipsam in se exprimat, & repręsentet. Rei huius figura est Ex. 3. iuxtà 70. Int. *Apparuit ei Angelus Domini*; deindè subditur: *Vocauit eũ Dominus ex rubo*: vndè Hilarius l. 4. de Trinit. *Angelùs* (*idest Domini Minister*) *est cùm videtur, cùm auditur est Dominus.*

118 Nolo hic mei instituti terminos frangere, Theologicas de hoc Diuinissimo Sacramento lucubrationes cõgerendo. Scholis eas relinquo, quæ Altaris sunt, in quo Diuina Sacramenta magis veneranda, quam discutienda, dumtaxat persequens, quę nempè pietatem, quæ ritum concernunt. Quod ergo mox dixi eò tendit, vt studeamus, Personam, quam gerimus, moribus exprimere; & dum idcircò verificatur

de

de nobis: *Ego dixi Dij estis*, suprà communem hominum aleam, etiam vitæ merito, extollamur. Audiamus August. in Psalm. 57. *O venerabilis sanctitudo manuum, ò felix exercitium? qui creauit me (si fas est dicere) dedit mihi creare se: & qui creauit me sine me, ipse creatur mediante me.* Veruntamen, ne indignè id agamus soliciti, Tertullianum etiam audiamus de Idolatr. cap. 7. *Proh scelus! semel Iudæi Christo manus intulerunt, isti quotidiè Corpus eius lacessunt. O manus præcidendæ!*

119 Pluribus autèm verbis concepta est forma Consecrationis panis in Liturgijs Græcorum, nempè, *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur*: addunt Iacobus, & Marcus, *& datur, siuè distribuitur in remissionem peccatorũ.* In Missali Mozarabum dicitur: *Hoc est corpus meum, quod prò vobis tradetur*. Sed Personam Christi expressiùs nos gerimus, qui *acceptum panem* (verba sunt antiquissimi Tertulliani l. 4. contrà Marcionem cap. 40.) *Corpus illum suum fecit dicendo, Hoc est Corpus meum. Coniunctio verò* enim *apponitur in hac forma.* (ait D. Thomas loc. cit. ar. 2. ad 5.) *secundùm consuetudinem Rom. Ecclesiæ à B. Petro Apostolo deriuatam: & hoc propter continuationem ad verba præcedentia; & ideò non est de forma, sicut nec verba præcedentia formam.*

120 Hæc quinquè verba pia cogitatione vacua non relinquit Biel *lect.* 38. & Gauantus *hic*, in totidem verbis meditanda proponentes, consummatam Christi Domini Incarnationem: *Fiat mihi secundum verbum tuum*; Publicano factam remissionem culparum: *Deus propitius esto mihi peccatori*; Latroni Paradisum promissum: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

121 e *Hostiam genuflexus adoret.** A Capitulis ge-

 ne-

neralibus Parisijs anno 1611. & Romæ 1612. celebratis, iussi sumus, post Hostiæ, & Calicis consecrationem, ac subindè SS. Sacramentũ contrectaturi ante acceptionem, nec non post depositionem, genua flectere. Anteà enim, vt patet ex Ordinarijs, atquè Missalibus (illo Generalis Xauierre minimè excepto) ante dictos annos impressis, nonnisi inclinatio profunda vsui erat; quem retinuerunt, & adhuc obseruant Carthusienses. Studio id innouatum existimo, ritui iàm vniuersali, nostrum conformandi. Cùm ergo praxis vniuersalis etiã obtinuerit, vt vnicum genuflectatur, eidē & nos vniformitèr stare par est, atquè eliminare, quæ in nonnullis dissonans est & opinio, & praxis. Congruentiæ insuper deductæ tit. x. lit. O. n. 154. &c. hic militant à fortiori: non enim citrà incõmodũ esset, in Hostia retinenda vtraquè manu occupata, ambobus etiam genibus flexis, statim assurgere. Propterea in rubrica fortassè dictũ est: *genuflexus adoret:* quod eisdem verbis præscriptum à Missali Rom. ità explicant Quartus, & Gauantus, vt vnicum genu (quod & in reliquis genuflexionibus faciendum proponunt) flectendum velint, manibus Hostiam tenentibus, super Altare retentis, & ità vt ad terram, vsquè commodè genuflexio fiat, neque videri Hostia ab omnibus possit.

122 Etiam Angeli (aduertit Chrysost. lib. 3. de incomp. nat. Dei) *Domino genuflectunt, & Archangeli rogant; habent sibi id tempus idoneum, habent sacram illam oblationem &c.*

123 Genuflexionem verò immediatè post Consecrationem tùm Hostię, tùm Calicis, præstandam esse cum maiori reuerentia, hoc est cum aliqua moru-

ra

la, tradunt Castaldus *l.2.sec.7.c.6.nu:*10.& Bauldry *in hanc rub.* & videtur ex rubricę verbis deduci: *genuflexus adoret,* quasi corporis gestu exprimens, *adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundum verbum tuum.*

124 f *Ambabus manibus eleuet decentèr.* *Ambabus manibus,* simul iunctis, etiam in imis partibus, quę disiungantur nonnisi in depositione Hostiæ: *eleuet decenter,* hoc est nec nimis lentè, nec nimis properantèr, sed motu continuato, graui, & regulari; nec non perpendicularitèr, ideſt recta linea de loco corporalis, vbi Hostia stat, & non caput sursum: ità *in hanc rub.* Gauantus, alijquè Rom. Missalis expositores: Neque eam circumferat, ex antiquo nostro ordinario *hic.*

125 Ritum eleuandi Hostiam consecratam, vt consecratio secretò facta populo innotescat, eiusquè venerationi pateat, indicatur ab Anastasio Sinaita de Sacra Sinaxi: *postquã,* inquiens, *Sacrificium tremendũ illud sanctificauit, panem vitæ sustollit, eumque omnibus ostendit.* Nihilominus, non esse in latina Ecclesia valdè antiquum, ex eo suspicatur Menardus *in notis ad lib. Sacram. pag. mihi* 393. quòd non in antiquis Liturgijs (si Mozaraba, in qua præscribitur, excipiatur) non in priscis Rituum expositoribus illius vestigiũ reperitur. Durantus verò ad ipsa Ecclesiæ incunabula eum reuocat *l.2.cap.*4. sed fulcitur testimonijs gręcorum Patrum, quibus haud dubiè consuetudo fuit (paulò antè Communionem) Corpus Dominicum, & Calicem eleuandi, vt ex Liturgijs Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, necnon ex Dionysio *cap.*3. *Eccl. Hier.* Basilio *lib. de Sp. S. cap.*27. & alijs manifestum fit. Quod item seruant Maronitæ, & Æthiopes. Certum

tamèn est, quod licèt nec Innocentius III. hunc ritũ memoret, centum circiter annis ante Innocentium ipsum, apud latinos viguit: nam Gulielmus Parisiensis, eiusquè synchronus Iuo Carnotensis mentionem illius faciunt.

126 Habet huiusmodi eleuatio exemplum in veteri Testamento, vbi passim legitur pars Victimæ à Sacerdotibus eleuata coram Domino, Exod. 29. Leu. 23. Num. 5. 6. & 8. Hùc insuper referunt nonnulli, ex Gonet in D. Thomam hìc, illud Ps. 71. *Et erit firmamentum* (epithetum est panis, qui cor hominis confirmat) *in terra in summis Montium*, idest, iuxtà Hebræum, *erit pugillus, vel particula frumenti in capite Montium*, & iuxtà interpretationem Rabbi Ionatæ, qui scripsit ante Christum natum, *placenta panis fiet Sacrificium in Capitibus Sacerdotum, qui sunt in Ecclesia*.

127 Mysticè verò per eam significari Christum IESVM eleuatum in Cruce, de quo scriptum est: *Oportet exaltari Filium hominis*; & alibi; *cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, docet, cum alijs communitèr, S. Vincentius Ferrerius *in serm. feriæ 6. Parasc.* Mentem ideò subeant verba teneritudine plena Laurentij Iustiniani serm. de Corp. Christi: *Cùm in Altari Christus immolatur, clamat idem Redemptor ad Patrem, Corporales suas cicatrices ostendens, quatenus ab æternis supplicijs sua homines interpellatione custodiat*. Ad quod facit id D. Bernardi: *securum habemus ad Deum accessum: Filius ostendit vulnera.* Mente ergo dicamus: *respice in faciem Christi tui*: memento quod dixeris: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*: Ne ergo auertas faciem tuam à puero

tuo; vt conuertas nos ad te, & auertas iram tuam à nobis.

128 Non desunt, qui Christi Domini Resurrectionem à mortuis dicant repræsentari: nam, quia factus est obediens vsquè ad mortem &c. Deus exaltauit illum, Phil. 2. Plurima de hac re pietate sanè redundantia Bonauentura *de Myst. Missæ*.

129 S. Petrus Martyr, post eleuata Sacra Mysteria, assueuerat (teste Card. Bona *hic*) à Deo martyrium postulare, quod tandem obtinuit. Verba sunt notatu digna: *Absorbeat me mi dulcissime IESV plenitudo tuæ Diuinitatis, & præsta, vt amore amoris tui moriar, qui pro amore amoris mei dignatus es in ligno Crucis mori*. Nos ad eum imitandum internè excitemur, incruentum martyrium expostulantes.

130 A quacunquè de cætero vocali oratione abstinendum, & melius, ac veteri Ecclesiæ conuenientius esse, præsentiam Dominici Corporis *in altissimo silentio prostratos*, vt loquitur Synodus Augustana c. 18. venerari, certò credamus. Doctissimus, ac multa pietate refertus Mag. Grauina quendam audiuit in Hostiæ eleuatione dicentem: *Adoramus te Christe* &c. eum interrogauit post Missam, an ea verba rubrica proponeret? Respondit, se ex deuotione adiecisse. Tunc Grauina; maiorem ne deuotionem te illo putas habere, qui fecit rubricam? Licèt ergo Tabiensis *in summa V. Missa*, dicat, istiusmodi deuotionem non esse extinguendam, quia tunc vetita expresè non erat, * saltèm quia postmodum per plura Gen. Capitula interdicta est, eam prætermittamus, haud ignari, quod *melior est obedientia, quàm Victima*.

131 g *Dextera hostiam super Altare collocet*. Si-

cuti non desunt, qui piè comminiscantur, per manus dexteram, & sinistram, mediam Hostiam eleuatam tenentes, bonum, & malum latrones, Cruci hinc, & indè affixos, connotari, ità nec alij, qui affirment, dextera hìc super Altare Hostiam collocari; quia Christus IESVS ab amicis, per dexteram indicatis, è Cruce depositus fuit.

132 Dextera occupata in repositione tàm Hostię, quàm Calicis, seù in operiendo, vel discooperiẽdo Calice, nunquàm sinistra in aere suspensa, sed super Corporale posita teneatur: ità cùm alijs Castaldus, & Quartus *in banc rub.*

133 Cauendum autem est, ab inchoatione quidem Missæ, vt alibi cùm antiquo nostro Ordinario aduerti; sed potissimum à peracta Consecratione vsquè ad Communionem inclusiuè, ne Hostia, vel Calix reponantur extra Aram cõsecratam, quod Altare portatile, seù viaticum vocant, quando Altare fixũ, idest totum consecratum non est. Enim verò Doctores cũ D. Thoma *hìc ar. 3. ad* 2. iuxtà *dist. 1. de consf. c. Concedimus*, communitèr sentiunt, huiusmodi Aram ad Missæ celebrationem, sub peccato mortali, adhibendam esse. Ponere verò Oblata, hoc est Hostiam, aut Calicem extrà Aram consecratam, in loco consequentèr non sacro, idem, meo videri, censendum est ac illam non adhibere, cum iniuria illius, qui est fõs, & origo totius sanctitatis. Hoc, ad maiorem saltem cautelam, animaduersione dignum existimaui, quòd nonnumquàm, ob Sacristarum inscitiam, aut incuriã, Ara ipsa cum plano Altaris coniuncta, aut nimis distantèr collocata, non discernitur ab incogitante. In cuius rei gratiam addo, fas esse, Altare hoc portatile,

seù

seù amouibile, aliquantulum Mensæ supereminere, vt eius limites facilitèr à Celebrante dignosci possint, * & non distare à fronte ipsius Mensæ longiùs spatio dimidij palmi, vti præscribit specialis nostra rubrica post communes Missalis.

134 h *Pollicem, & indicem vtriusquè manus coniūgat, nec disiungat*, (*nisi ad Cruces faciendas*, subintellige, & quando Hostiam actu tractat) *vsquè post ablutionem*. Pertinet hoc, ex D. Thoma hìc ar. 5, ad 5. ad reuerentiam Sacramenti, vt, si qua particula digitis adhæserit, non dispergatur.

135 Hac ratione nec etiam ad Cruces faciendas Ritus Rom. eos disiungere rectiùs iubet. * Rubrica verò nostra satis reuerentiæ consultum existimans, præcipiendo, digitos intrà Calicem, quotiès Hostiam contrectarunt, excutere, mysterio de cætero alibi expresso fortasse inseruijt, iubens, eosdem, ad Cruces faciendas, disiungere. Fauet nobis aliquomodo Micrologus *cap. 16.* vbi cùm dixerit, Sacerdotem per totum Canonem, in manuum extensione, non tàm mentis deuotionem, quam Christi extensionem in Cruce designare, subdit: non ergò digiti sunt contrahendi semper, vt quidam præ nimia cautela faciunt, malè enim cauti sumus, si Christum imitari summopere non studemus: hæc ille; qui tamen non satis aduertit, contractis sic digitis, manus adhùc extensas remanere; ideòquè, & reuerentiæ, & mysterio fieri satis. Digitis prætereà sic contractis sua non desunt mysteria, in quibus explicandis multus est Durandus l. 4. cap. 43. * Historica verò, & fortasse vnica ritus nostri ratio est, quod eum olim commendaret praxis communis, teste Gauanto *hìc par. 2, tit. 2. litt. I.*

pro-

propterea Durandus *loc.cit.num.5. non disiunguntur*, inquit, *nisi quando oportet Hostiam tangi, vel signa fieri.*

TITVLVS XXII.

De Consecratione Calicis, eiusquè eleuatione.

RVBRICA.

Ad a Simili modo *discooperiat Calicem,& illicò digitos ambarum manuum,quibus Hostiam eleuauit, leuitèr excutiat in Calicem ad,*præclarum Calicem. *Ad,*in sanctas,*accipiat Calicem dextera manu per medium,& sinistra per pedē. Ad,*itemque tibi gratias agens,*parùm oculos, & Calicem eleuet,& statim deponat;& ad,*bene✠dixit,*sinistræ tribus extremis digitis firmatis super pedem Calicis, dexteræ alijs tribus digitis superiùs dictis,Crucem super Calicem à labio ad labium faciat,prosequens verba, quę sequuntur: & ad* accipite,& bibite ex eo omnes,*accipiat, dexterę digitis pollice, & indice coniunctis à parte anteriori, reliquis tribus à tergo, Calicis medium;quem parùm versùs se incuruans,ponat pollicem, & indicem sinistræ manus super pedem Calicis, reliquos tres digitos subtùs pedem,& sic retineat Calicem: & stans,inclinato capite,secretò,attentè, continuatè, deuotè,ac reuereatèr* b *proferat verba consecrationis. Quibus prolatis, reponat Calicem supra Corporale, & genuflexus*

Sanguinem reuerentèr adoret. Tùm se erigens, Calicem semper respiciendo, ambabus manibus, vt prius, c *eleuet, vt eum populus adoret; sic tamèn, vt pes Calicis caput Sacerdotis non excedat: deponens dicat;* d Hęc quotiescumque *&c. &* e *cooperiat eum, & genuflexus Sacramentum adoret.*

NOTÆ.

136 a Simili modo &c. Huiusmodi etiam verbis, in quibus eorum continuatur narratio, quæ Christus Dominus gessit in Cęna, Apostolos vsos fuisse, vsquè ad *in mei memoriam facietis*, colligitur ex Liturgijs Petri, Iacobi, & Clementis, & apertè afferitur ab Alcuino, Hugone Vict. & alijs, vti dictum est *tit.* 20.

137 *Simili modo*, hoc est, ex Magno Alberto *cap.* 12. simili bonitate, & charitate, & virtute. Bonitas namquè, ex sui natura diffusiua, fecit sanguinem communicare; Charitas nos Sanguine redimere; virtus Diuina vinum in sanguinem conuertere.

138 *Postquàm cænatum est*; *vtràquè cæna*, prosequitur B. Albertus, *scilicèt Agni typici, & Corporis sui: vltimò enim post omnes cibos hoc Sacramentum tradidit, vt arctius imprimeret memoriæ Discipulorum*. Vti enim docet D. Thomas 3. p. q. 73. ar. 5. in ò. *ea, quæ vltimò dicuntur, maximè ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur &c.* Conuenientèr prætereà, vt fusim ibidē probat D. Thomas, in propria specie ab Apostolis iam discessurus se ipsum in specie aliena reliquit, etiā vt, *quem*, iuxta Apost. Rom. 3. *proposuit Deus* pro-

propitiatorem in sanguine ipsius, semèl oblatum in pretium, iugitèr colerent per passionem.

139 *Accipiens & hunc præclarum Calicem, in sanctas, ac venerabiles manus suas.* Dicitur, *hunc*, ad significandum, idem peragi Sacrificium, quod fecit Christus, secundū illud Eccl. ex 1. Cor. 10. *de vno pane, & de vno Calice participamus:* quomodo in Ecclesia esse dicitur vnum Altare, & vnum Sacrificium, *proptèr vnitatem fidei*, ait Odo Cameracen. *& illius, cui, & in cuius honorem, fidelitèr offertur*. Sacerdos præterea repræsentat materiam, vt præsentem illi tempori, quo Christus primùm hoc Sacramentum confecit, vt notat Gonet *in D.Th.hic.* Præclarus dicitur, quia præalijs clarus, vel iudicio Odonis *hic*, propter præclarā illius maiestatem, cui offertur; vel, ex sententia etiam B. Alberti, ad comparationem eius, quem obtulit Melchisedech, & cæteròrum veteris Testamenti: *de quibus tanquàm non satis claris*, subdit Albertus, *dixit Matth.* 26. Non bibam amodò de hoc genimine vitis; *de isto autem*, vsquè dùm impleatur in regno Dei, *hoc est in Ecclesiæ confirmata potestate; & ideò Matth.* 26. *dixit:* vsquè dum bibam illud nouum vobiscum in regno: *hunc enim præclarum Calicem quotidiè bibit, & sibi imbibit in membris*, *Psal.* 22. Calix meus inebrians, quàm præclarus est. Calix verò dicitur Metonimicè id quod continet, pro eo etiàm, quod continetur, idest vas pro vino transubstantiando in Sanguinem: *Calix* aliàs ex B. Alberto, *dicitur* (iuxtà Græcam deriuationem) *calida potio*, *quia calore charitatis accendit*, *Psal.* 115. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.

140 *Item tibi gratias agens, de humani generis* (exponit

ponit B. Albertus) *per sanguinem redemptione: hanc enim in tantum desiderauit, quod etiam sanguinem in passione Crucis gaudens fudit: vnde Apostolus Hebr.* 12. proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta.

141 Cętera, quæ huius etiam loci sunt, tùm verba, tùm etiam actiones, exposita habes *titulo XX.* Quoad ritus praxim dumtaxat addo, ità parùm Calicem eleuandum esse, vt non suprà quatuor digitos distet à Corporali. *Hic autèm* (inquit Durand.) *parum eleuato Calice, Sacerdos illum deponens, non deferis eum, ad notandum, quod quilibet Apostolorum sic Calicem accepit, quod vnicuiquè Dominus ministrauit.*

142 b *Consecrationis verba proferat:* Hic est enim &c. Voces, *æterni Testamenti, & mysterium Fidei,* in Liturgijs Gręcorum non extant. In ordine etiam Rom. desiderantur verba, *mysterium Fidei,* quæ tamèn in antiquissimis Rom. Missalibus se legisse testatur Bona *hic.* In Missali Mozarabum dicitur: *Hic est Calix noui Testamenti in meo Sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In Liturgia Iacobi: *Hic est Sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & datur (& distribuitur;* in Liturgia S. Marci) *in remissionem peccatorum.* Apud Basilium, & Chrysostomũ in re idẽ dicitur verbo, *& datur,* excepto. sic & in Liturgia Æthiopum, quæ S. Matthæo adscribitur. In Liturgijs, quæ D. Petro à Lindano attribuitur, nec non S. Ioannis Euangelistæ, SS. Apostolorum, S. Eustasij, S. Ioannis Patriarchæ solùm dicitur: *Hic est Sanguis meus.* In Liturgia S. Matthæi Pastoris: *Hoc Sanguis meus est.* Cæterum, vt refert D. Thomas 3. p. q. 78. ar. 3. in arg. sed con-

contrà: *Ecclesia ab Apostolis instructa*(secundum quod & dicitur c.Cùm Marth.de cel.Miss.)*vtitur hac forma* (nostra scilicet)*in cõsecratione vini*.Extat eadẽ in versione Codini;& optima sanè est; quia continet sensũ aliarum formularum, quæ sunt apud Euangelistas, & Apostolum Paulum.

143 *Hic est enim Calix Sanguinis mei*(explicat D. Thomas loc.cit.ad primum) *est locutio figuratiua, & potest dupliciter intelligi: vno modo secundum Metonymiam, qua ponitur continens pro contento, vt sit sensus: Hic est Sanguis meus, contentus in Calice; de quo sit hic mentio, quia sanguis Christi in hoc Sacramento consecratur, in quantum est potus fidelium, qui non importatur in ratione Sanguinis, & ideò oportuit hoc designari per vas huic vsui accommodatum.* Illa itaquè verba idem significant,ac si diceretur,*Hic est sanguis meus*, sicut habetur Matth.26.& Marc.14.ideòquè haud dubiè vinũ, quamuis extrà Calicem,consecrari posset. *Alio modo* „ (prosequitur D.Thomas) potest intelligi secundum metaphoram, prout per Calicem similitudinariè intelligitur passio Christi, quæ ad similitudinem Calicis inebriat(secundum illud Thren.3. „ *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio;* „ vndè & ipse Dominus passionem suam Calicem „ nominat,Matth.26. dicens, *Transeat à me Calix* „ *iste,*)vt sit sensus,hic est Calix passionis meæ;de „ qua fit mentio in sanguine seorsum à corpore cõ„ secrato; quia separatio Corporis à Sanguine fuit „ per passionem.

144 Et hinc habemus in hoc Sacramento Sacrificium, importans de sui essentia actionem immutatiuam,& destructiuam rei oblatę. Licèt enim sub spe-

speciebus panis sit etiam Sanguis, & sub speciebus vini etiam Corpus, & totus Christus sub qualibet specie, nihilominùs, per se loquendo, & ex vi verborum, per transubstantiationem panis positum fuit solum Corpus Christi, & per consecrationem Calicis solus Sanguis, ità vt veluti per accidens sit, respectu consecrationis, quod post illam Sanguis reperiatur in Corpore Christi. Sicquè *per gladium verborum* (vt loquitur Cyrillus) Sacramentalitèr, & mysticè Christus mactatur, fitquè quædam in eo sanguinis effusio; vti Sacrificia vetera non sine vera, & reali sanguinis effusione, per victimæ materialem occisionem, peragebantur; natura enim sacrificij exprimitur, nonnisi per sanguinis effusionem, per quam protestamur, Deum esse auctorem vitę, & mortis. Propterea essentiam Sacrificij in sola Consecratione (vt tamen dicente ordinem transcendentalem ad sumptionem) recentiores Thomistæ sentiunt consistere, auctoritate Angelici sui Doctoris suffulti; & ipsis manifestè fauet *hic*, in expositione 7. partis Canonis: *Suprà quæ propitio &c.* vbi, *petit*, inquit, *hoc Sacrificium peractum, esse Deo acceptum.*

145 Per verba autèm sequentia; *Noui, & æterni &c.* ex eodem D.Thoma *loc. præcit.* designatur virtus Sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc Sacramento; cuius tres explicant effectus. Primus est adeptio vitæ æternæ, quam expectamus veluti hæreditatem per Christi Sanguinem, tanquam per testamentum morte eius sancitum: vndè dicitur: *Noui, & æterni Testamenti*; ne dùm in ritu, sed & in effectu æternæ gloriæ; Apoc. 21. *Ecce noua facio omnia*; Hier. 31. *Sanctum Domini non euelletur, & non destruetur vltrà*

trà in perpetuum: vetus autem Testamentum bona tantùm temporalia promittens, iàm adimpletum, habuit finem, sicut & bona, quæ promittebat. Secundus effectus est Fides, per quam in hac vita consequimur iustitiam gratiæ, secundùm illud Rom. 3. *quem proposuit Deus propitiationē per fidē in sanguine eius, &c. vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide IESV Christi;* idcircò subditur: *Mysterium Fidei,* sic antonomasticè appellatum, quia fides in nullo alio Christianæ Religionis mysterio magis elucet, quàm in hoc Sacramēto. *Mysterium* (exponit B. Albertus) *dicitur à græco mystin, quod est secretum; quia secretum fuit, qualitèr in morte vitam æternam, & in sanguine perficeret sanctitatem: ideò multis huius mundi sapientibus stultitia videbatur: vndè dicit Isa. 24.* Secretum meum mihi, secretū meum mihi; *Iob. 28.* profunda fluuiorum scrutatus est, & abscondita perduxit in lucem. *Fluuij enim sunt flumina vulnerum* &c. Tertius effectus est remissio peccatorum 1. Ioan. 1. *Sanguis eius emundat nos ab omnibus peccatis:* & Heb. 9. *Sanguis Christi emundabit cōscientias nostras ab operibus mortuis* (idest à peccatis.) *Et ideò noui Testamenti mediator est, vt, morte intercedente, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis:* & quantum ad hoc subditur, *qui pro vobis, & pro multis* (efficientèr, pro omnibus tamèn sufficienter) *effundetur in remissionem peccatorum:* in remissionem, inquam, peccatorum, *quia* (notat Albertus) *sedes animæ in sanguine est, qui est pretium redemptionis.*

146 Omnes dictas particulas esse de essentia consecrationis Calicis sentiunt non pauci Thomistæ, validis innixi rationibus, & conantur in sui sensum trahere D. Thomam *loc. mox cit.* Quo non obstante

ritibus Greco,alijsquè præmemoratis,& ab Ecclesia approbatis,seù toleratis,ritè,& rectè Sanguinis consecrationem effici,ex eo probare nituntur, quod forma hæc non sit determinata à Christo Domino quãtùm ad speciem, sed relicta Ecclesię determinationi; sicut non pauci DD.censent de formis Confirmationis,atquè Ordinis. Ex quo factum aiunt, quod iuxtà diuersas traditiones variæ editæ sint Liturgię,in quibus talis forma diuersimodè traditur. Disertè de hac sententia Mag.Gonet de Sacram. *disp.7.ar.2.* Magis nihilominus placet sententia B.Alberti Magni *hic*, Caietani, Soti,Nugni, Ioan:à S.Thoma,Marci à Serra, aliorumquè, qui mentem sui Angelici Doctoris *loc.cit.*explicantes aiunt,verba: *Hic est Calix Sanguinis mei*,vel *Hic est sanguis meus*,esse de essentia, reliqua de substantia, hoc est de integritate,sicuti satisfactio est pars integralis,non tamèn essentialis Sacramenti pænitentiæ,ac sicuti in eius forma verba, *à peccatis tuis*,substantialia,non essentialia censentur. Sed hæc ad Scholasticos.

147 c *Calicem eleuet*, modo de Hostiæ eleuatione proposito;hoc est motu continuato, graui,regulari,de loco Corporalis,vbi stat,perpendicularitèr, seù recta linea,non caput sursum, & vix altiùs, quàm vt scyphus Calicis pateat circumstantibus.In depositione verò Calicis pedem minimè exosculetur, vt aduertit Ciantes,ac cum Castaldo Rom.Missalis expositores communitèr.Cærem.Carmelitarum addit,eleuationem tàm Hostiæ,quàm Calicis potius parum festinantèr,grauitèr tamen, quàm morosè fieri debere,repositionem verò lentè.

148 Calicem eleuandi morem non esse valdè anti-

antiquum, apud Carthusienses non eleuari, neque in Ordinario nostro, quod indè sumptum refert, præcipi nobis, vt eleuemus, & complures esse Religiosorum Ordines, in quibus non præcipitur eleuari, illumquè dumtaxat eleuare, ne ab Ecclesijs sæcularium dissideant, enarrat Sotus *4. sent. dist. 13. p. 2. ar. 5. in fine*. Assertum ex eo probat, quod apud neminem eorum, qui ceremonias Missæ enucleatè explicarunt, mentio eius habetur, & omnium antiquorum nuperrimus Alexander Alen. eleuationem tantùm Hostię commemorat. Et motiuum fuisse addit, quod cùm in Hostia Corpus, & Sanguis Christi existat, & in eleuatione Calicis nonnihil crearetur periculi, satis Patres publicæ pietati consultum duxerant, Hostiam dumtaxat eleuatam publicæ adorationi exponere. Atquè ideò subdit, fortasse tempore D. Thomæ nondum hanc consuetudinem cępisse, ob idque illam subticuisse. Nequè obstat Dionysij *l. Eccl. Hier. cap. 3.* illud: *augustissima mysteria conficit, & quæ ante laudauerat, veneranda operta signis, atque abdita, in conspectum agit, diuinaquè munera reuerentèr ostendens &c.* Basilij item de Spiritu Sancto cap. 27. *Inuocationis verba, cùm ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum nobis scripto reliquit?* Hę namquè auctoritates pro Græcis ad summum probant, non pro latinis. In Gallię quidem regno Clictouęus *lib. 1. hymnorum Eccl.* & Durantus lib. 2. cap. 40. Ludouici 12. iussu factum referunt, vt, sub eleuationem Corporis, & Sanguinis, ad reprimendos hostium conatus, decantaretur: *O salutaris Hostia &c.* Et in Concilio Prouinciali Treueren. decretum legitur, in eleuatione Corporis, & Sanguinis Domini nullam antipho-

nam cãtare, sed silentèr flexis genibus passionis Christi commemorationẽ facere, ac Redemptori gratias agere : vndè Durandus synchronus D. Thomæ Calicis eleuationem *l.4. cap.42.* vt alicubi practicatam memorat : immò ipse D. Thomas, assuetus quotidiè nedũ sacrũ facere, sed & vni Missæ inseruire, solebat vt in nostro officiolo B. M. V. notatur, *post eleuationẽ Corporis, & Sanguinis* (sed fortasse post consecrationẽ) dicere, *Tu Rex gloriæ Christe*, &c. vsquè ad finem cantici, *Te Deum*, necnon alteram, quæ ibidem legitur, orationẽ: *Te deuotè adoro latens Deitas, quæ sub his figuris verè latitas &c.* Sed ex his non colligitur, hunc ritum esse valdè antiquum, infertur dumtaxat in quibusdam particularibus Ecclesijs vsu exceptum fuisse. Vniuersalitèr enim, nequè in præcepto, nequè in vsu, vti vult Sotus, ante Ordinis nostri fundationẽ fuisse, ex eo constat, quod nõ in Sacramentarijs MSS. & excusis, non apud Pamelium quid simile reperitur, quemadmodum nec in veteribus Ordinibus Romanis, nec apud Alcuinum, Amalarium, Vualfridum, & Rabanum, qui ordinem Romanę, seù Gregorianæ Missæ enucleatè persecuti sunt; nequè apud Micrologum, qui in eadem materia egregiam operam nauauit. Et licèt nec eleuationis Hostiæ dicti auctores meminerint, tamẽ, multò ante eleuationem Calicis, Hostiæ illã incępisse patet ex deductis *tit. anteced.* *Nil itaque miremur, quod in antiquis nostris Ordinarijs vsquè ad Generales Iustinianum, & Caballum impressis, hic ritus non præscribatur; & dicente Soto, ab Ecclesijs sæcularibus ad nostras, ne ab ipsis diffideremus, inductum fuisse, magis, ac magis erudiamur, non defuisse Religioni nostrę studium in Cęremonijs

(quæ

(quę præsertim sub populi aspectum cadunt,) vniuersalis Ecclesiæ praxi se conformandi.

148 Huiuscè eleuationis Calicis congruentiæ rationes assignari eędem possunt, quæ de Hostia *anteced. tit.* adduximus. Peculiaris altera, populi deuotione inspecta, esse fortasè potest, quod licèt in Hostia Corpus, & Sanguis Domini existat, tamen Sanguis seorsum consecratus magis expressè, ex D. Thoma *3. p. q. 78. ar. 3. ad* 2. passionem Christi repræsentat, quàm Corpus, quod fuit passionis subiectum; ideòquè ex eodem *q. 83. ar. 2. ad* 2. pro die, quo passio Domini recolitur, prout realitèr gesta est, reseruatur Corpus Christi consecratum, non autèm Sanguis. Cùm itaquè nedùm Sacramentum, sed & sacrificium hic peragatur, cuius ratio in Sanguinis consecratione elucet, vtrumquè communi pietati, atquè adorationi exponi consonum fuit. Nec fortasse abs re addiderim, iàm congruè hunc ritum vniuersalitèr inductum, ex quo Nouatores impiè, & hæreticè Euangelicum hoc Sacrificium neglexerunt, ac nescierunt.

149 Lis olim fuit, coopertum ne, an discoopertum Calicem eleuari fas esset? de qua plura Durandus, & Sotus *locis citatis*. Sed à praxi communi decisa, iam transijt in iudicatam: vndè, ex Durando, designatur, quod post institutionem huius Sacramenti Sanguis Domini separatim à corpore factus fuit visibilis, per ipsius effusionem in Cruce. Dici etiam posset, in eleuatione Calicis Domini resurrectionem, quæ ipsius occisionem, ac mactationem in Cruce subsequuta est, anticipatè (vt loquitur Gauantus hic) repræsentari; quæ tunc innotuit, quando Maria Magdalena vidit sublatum Lapidem à Monumento, per

Calicem significato; vt simul populus adorans opprobrium mortis, gloriam quoquè recolat Resurrectionis.

150 d *Dicat: Hęc quotiescunquè feceritis in mei memoriam facietis*; hoc est 1. Cor. 11. *mortem Domini annunciabitis donec veniat*, ad iudicium in fine Mundi; quovsquè hoc Sacrificium perdurabit. *O summè pia* (exclamat Bernardus serm. de Cęna Dom.) *& verè suauis memoria, annunciare mortē Domini, donec veniat. Mors Christi opus sine exemplo, humilitas sine modo; donum sine pretio, & gratia sine merito.*

151 *Hæc quotiescunquè feceritis*, hoc est, Corpus meum, & Sanguinem sacrificaueritis, *in mei* abeuntis ad passionem *memoriam facietis*; vt quę semel in Capite perfecta est; effectum suum iugitèr in membris sortiatur. Thren. 3. *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthij, & fellis*: & respondet Propheta: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Hæc recolens in corde meo, ideò sperabo.* Dixi, *hoc est, sacrificaueritis*; quia facere passim sacrificare significat, nedùm apud profanos auctores Varro. *l.* 5. *de lingua latina*, Plaut. *in Asin.* Cicer. *pro Muræna*, Virg. *Ecloga* 4. & alios, sed etiam in sacris Scripturis, Exod. 29. *hoc est, quod facies in Altari*. Leu. 15. *vnum faciet pro peccato, & alterum in holocaustum*, & 3. *Reg.* 18. *eligite vobis bouem vnum, & facite primi*. Sic Nu. 6. Iud. 6.

152 i Hoc Christi Domini mandatum, ac collatæ potestatis expressio, quæ in omnibus Liturgijs commemorantur; ad consecrationem tàm corporis referuntur, quàm Calicis; & vtriquè, ex Apostolo 1. *Cor.* 11. Saluator illa adiecit. Post consecrationis verò Calicis potiùs dicuntur, quia Calix, vci cum D. Thoma

ma mox diximus, passionem Christi, ac Sacrificij rationem magis expressè repræsentat.

153 Propterea ritu Rom. post Calicis consecrationem, ante Eleuationem, illa verba rectiùs dicuntur. * Rectè nos etiam Eleuationi ea postponimus, si continuatio potiùs attendatur cum sequentibus verbis: *Vndè & memores &c.* quibus, ait D. Thomas hic, *excusat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi* &c. Et tempore Durandi, vbi Calicis eleuatio fieret, sic fieri consueuisse, suspicari indè est, quod ille lib. 4. cap. 4. nu. 30. *hac clausula* (inquit) *post depositum Calicem debet dici*. Cùm tamen eam nos in deponendo Calicem dicere iubeamur.

154 e *Cooperiat eum*, subintellige, Palla, quam, pro regula habeat, non pollice, & indice accipere, sed illis coniunctis, alijs digitis. Semper etiàm, vt patet ex littera, prius Calicem cooperiat, quam genuflectat. E contrà verò Calicem contrectaturus prius eũ discooperiat, quam genuflectat.

155 Cooperitur verò Calix, semper quidem ob cautelam, ne quid cadat in ipsum, sed modò & ad cautelam, & ad mysterium, *ex Hug. Vict. l. 2. off. cap. 38.* quia in Calice deposito hìc repręsẽtatur Christus Dominus, vt in Sepulchro, opertus Syndone, Sudario, Lapide clauso, & signato. In Hostia verò, quia figuratur, vt in passione extrà Sepulchrum, ideò non illa vnquam tegitur: ità Durandus, & Gauantus, atquè his prior Hugo *loc. cit.*

TITVLVS XXIII.

De Can. post consecrationem parte septima, octaua, & nona: Vndè & memores *&c.* Supra quæ propitio &c. Supplices te rogamus *&c.*

RVBRICA.

Ad a Vndè & memores &c. b *extendat brachia plus solito,* c *mediocritèr tamèn, vsquequò ad signa Crucis deponere necesse sit.* d *Sinistrā manum super Corporale ponat ad,* e de tuis donis, ac datis, *& dexteræ tribus prioribus digitis extensis,* f *tres Cruces priores super totum Sacrificium faciat cùm dicit,* Hostiam † purā, Hostiam † sanctam, Hostiam † immaculatā, *nec non super Hostiam, dum dicit,* Pa†nem sanctum vitę æternæ, *& super Calicem, dum dicit,* Ca†licem salutis perpetuæ. *Ad,* g Suprà quæ propitio &c. *manibus eleuatis, & extensis more solito brachia extendat. Ad,* h Supplices te rogamus &c. i *inclinet profundè, cancellatis manibus ante pectus, brachio sinistro supposito dextro: ad* vt quotquot, *incipiat paulatim se erigere, vt ad,* ex hac Altaris participatione, *possit* l *exosculari dexteram partem Corpora-*

lis

lis, brachijs adhùc cancellatis. Quo facto erigat se, sinistram manum super Altare reponat, dextera verò in Hostiam benedicat, dum dicit, Cor✝pus, *& Calicem etiam, dum dicit,* San✝guinem, *& subdens*, omni benedictione cælesti &c. *ante ipsum etiam à fronte ad pectus, & humeros signum* Crucis *faciat, non tamen se tangens, nec tribus primis digitis, quibus Sacrificium signauit, sed pollice, & indice clausis tribus posterioribus digitis.*

NOTÆ.

156 a VNdè & memores &c. Domini Dei nostri tàm beatæ passionis &c. D. Thomas *hic*, cùm docuerit Sacerdotem ad ipsam consecrationem accedẽtem primò petere consecrationis effectum, per *Quam oblationem &c.* Secundò consecrationem peragere per verba Saluatoris *Qui pridiè* &c. *Tertiò*, prosequitur, *excusat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cùm dicit, Vndè & memores.* Quis enim aliàs id aggredi auderet, super quo, (meritò exclamat Bernardus in cęna Dom.) *stupet Cælum, miratur terra, contremiscit homo, & reueretur plurimum Angelica celsitudo.* Nihil ergo ex nobis, quasi ex nobis, præsumentes *Nos serui tui* (tuo ministerio addicti, alioquè modo mysterio cooperãtes) *sed & plebs tua Sancta* (mystici corporis cætera membra, quorum Sanctus sanctorum IESVS caput est), quæ de manu tua accepimus *offemus*

mus præclaræ (ad illud Christi alluditur : *Ego clarificaui te Pater super terram*) *maiestati tuæ*, nonnisi *memores vnigeniti Filij tui tàm beatæ* (idest ex B. Alberto, tàm excellentèr beatificantis) *Passionis, nec non &* quæ passionem subsequuta sunt, *ab inferis* (ex quibus eruti gratulantes dicunt; *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo Hostiam laudis*) *Resurrectionis, atque in Cælos gloriosæ* (per quam ignominia Crucis compensatur) *Ascensionis*: Vndè charitate per passionem, Fide per Resurrectionem, spe per Ascensionem muniri per ipsum præsumimus, qui nos confortat, dicens, & tribus his mysterijs maximè comprobans: *Ego sum via, veritas, & vita*. Quid enim magis charitatem in nobis accendat, quàm memoria, quod *ità Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret*? Quid magis in nobis Fidem firmat, quàm memoria, quod IESVS resurrexit à mortuis, & mors illi vltrà non dominabitur, sed mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit, vt sicut omnes in Adã moriuntur, ita in Christo omnes viuificentur? Quid magis in nobis amplificat Spem, quàm memoria, quod Redemptor ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, qui dixerat Io: 14. *vado parare vobis locum*. Disertè, & fusim de his Canonis verbis B. Albertus, quem, nonnisi breuitatis gratia, prætereo.

157 Hæc autem commemoratio Passionis, Resurrectionis, Ascens. Christi &c. habetur in Liturgijs S. Clementis, S. Basilij, S. Io: Chrysostomi, necnon, teste Menardo *in notis pag.* 19. in cæteris omnibus; eàque tangit S. Ambrosius l. 4. de Sacram. cap. 6. *& Sacerdos dicit: ergo memores gloriosissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectionis, & in Cælos ascensionis*.

158 Non

158 * Non omitto adnotare, in hac parte sacrũ Canonem, nostris insertum, in eo diuersum esse à Romanis Missalibus, quod in illis dicitur, *Domini Dei nostri*; particula autem, *Dei*, in Romanis deest: quæ quidem deest & in pluribus antiquis Sacramentarijs, sed habetur in impresso Parisijs opera Menardi, nec non in edito Coloniæ Agrippinæ opera Pamelij; immò notat idem Pamelius *in margine*, eandem particulam haberi in omnibus MSS. codicibus. Eam etiã habet Amalarius *l.3.c.25.* nec non ipsam B. Albertus Magnus ponit, & exponit *hic cap.13.*

159 b *Extendat brachia plus solito*; * nec priùs verba proferat, quàm brachia extenderit, vt aduertit in simili P. Quartus *hic*: quod & seruetur in profunda inclinatione ad, *Supplices te rogamus.* Extendat autem, non in altum eleuet, vt quidam faciunt; quibus quidem fauet expresè B. Albertus Magnus *hic c.13.* atquè antiquissimus Ecclesiæ ritus, quem ex Tertulliano, & Hieronymo recenset Durantus *l.2. cap.11. nu.6.* verùm ex littera, atquè ex infrà deducendis habetur, nonnisi extendenda esse.

160 Oculi verò iàm indè vsquè ad sumptionem sint semper, quantum fieri potest, ad ipsum Sacramẽtum intenti. Sic namquè exposcit reuerentia reali Christi præsentiæ debita; cùm maxime per oculorum intuitum cordis intentio, ac mentis concilietur attẽtio.

161 * Hanc verò brachiorum extensionem solito maiorem, qua à ritu Romano differimus, & cum Ambrosiano, nec non cùm Carmelitano adhùc conuenimus, memorant vti antiquam Cæremoniam, cum Titelmano, & Durando, plures antiqui Scriptores.

De

De ea D.Bonauentura in exposit.Miss.*manus*,inquit, *ad modum Crucis ad vtraquè cornua Altaris extendit, passionem Domini repræsentans ; & nihilominus per hoc insinuat,quod Christus Dominus pro Iudæis, & gentibus passus est,qui in vtrisquè cornibus altaris designati sunt.* Huiusmodi etiam extensionis meminit B. Albertus *cit. cap.* 13. & ad eandem reducit illud Psal. *Eleuatio manuum mearum Sacrificium vespertinum*,quod à Christo in vitæ vespere actú est.D.Thomas etiam hic ar.5 ad 5.*quod Sacerdos*,ait, *brachia extendit post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in Cruce.*Ideoquè externo etiã gestu,interniprotestatiuo Domini se præceptũ ostẽdit implere*: Hæc quotiescunquè &c.* Adderem, Resurrectionem etiam, necnon Ascensionem Domini continuò denotari, qui eleuatis manibns ferebatur in Cælum ; vt sic gestus congruat tribus,quæ voce commemoramus, mysterijs, ostendentes nos ea, ne dum verbis in oblatione recolere,sed & esse paratos operibus prosequi, ac comprobare,omnia præsumentes de eo, qui extensis in Crucebrachijs,*omnia*,dixerat,*traham ad me ipsum*. Hùc facit Mussij expositio apud Durantum l.2.c.42. nu.1.*Et iustas,& pias quasi exequias* (obsequia tamen) *celebrat Christo Crucifixo,& mortuo;ipsius autèm à morte resurgentis solemnes agit triumphos ; deniquè super Cælos ascendentis infert verbis, & signis memoriam sempiternam*. His etiam mysterijs fit satis per Ritum Romanum;licèt non velit manus extrà pectus, & extrà spatium,quod Corporali respondet,extendi,vt simùl intelligat Sacerdos (vt aiunt Rom.Missalis expositores) se debere totum intentum esse in Christum realitèr ibi præsentem,nempè interius corde,& exterius

rius oculis, atquè etiam manibus. Optimè quidem. Sed repetere cùm Ambrosio detur; *Quod alibi rectiùs seruatur, & nos rectè custodimus*.

162 c *Mediocritèr tamen*: * quod præadductis consonum est. Hanc mediocritatem proponunt etiã antiqua Ordinaria l. 2. p. 7. Non ergò totalitèr, & multo minùs vsquè ad violentiam brachia extendat. Placeat implere mysterium, sed & simul rubricæ obtemperare; cùm maximè expediat, in his, quę sub populi aspectum cadunt, quantum per illæsam nostri Ritus integritatem licet, Ritui nos vniuersali inseruire.

163 d *Sinistram manum super Corporale ponat*. Post consecrationem tùm hìc, tum quoties super Altare, vel vna tantum, vel vtraquè manus poni debet, valdè cauendum est, vt hoc fiat, non extrà, sed intrà Corporale, vti aduertunt Castaldus, & Quartus *hìc*, ob reuerentiam, & vt, si casu, vel aliqua ratione digitos disiungi contingat, quibus tactum est Sacramentum, cadat fragmentum, si quod fortè adhæserit, nonnisi super Corporale.

164 e *De tuis donis, ac datis*. In Liturgijs SS. Basilij, & Chrysostomi idem dicitur his verbis: *tua ex tuis tibi offerimus*. Hùc facit de præsenti expositio, quàm anticipatè, ac futurum attendentes, ex Magno Alberto dedimus *tit. 18. litt. E. nu. 19.* verbis: *hæc dona, hæc munera &c.* Quò & facit Odonis expositio *hìc*. Donum est ad dandum, etiamsi non detur, paratum. Datum verò, quod in alterius possessionem est iàm translatum. Corpus ergò, & Sanguis Christi sũt Dona à Deo nobis parata. Data, quando fiunt nobis de creatura panis, & vini. Dona in Cælo, Data in terra;

ra: Dona apud Deum in Christo, Data super Altare in Sacramento. Dona in Cęlo nuda, & aperta: Data in Altari tecta sensibilibus, & occulta: tamèn hic, & ibi eadem vera.

165 f *Tres Cruces super totum Sacrificium faciat, dũ dicit* Hostiam† puram; Hostiam † sanctam, Hostiam † immaculatam, *nec non super Hostiam dum dicit* Pa†nem sanctum, *& super Calicem dum dicit* Ca†licem salutis perpetuæ. Cruces hìc fiunt, non ad benedicẽdam, & veluti disponendam materiam consecrandam, vti ante consecrationem, iudicio Mag. Gonet *hic*, factum est, sed solùm ad commemorandum virtutem Crucis, & modum passionis Christi IESV, vti docet D. Thomas *hìc ar*, 5. *ad* 4. Qui propterea *ibidem ad* 3. *quartò*, inquit, *fuit ipsa passio Christi* (in re;) *vndè ad representandum quinque plagas Christi* (pendentis in Cruce) *fit quartò quintuplex Crucesignatio super illa verba*, Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternę, & Calicẽ salutis perpetuæ. Cuiusmodi expositio habetur etiam apud Stephanum Eduen. *de Sacram. Alt. c.* 17. & Florum Mag. *in expos. Miss.* ac Titelmanum *hic*.

166 In opusc. verò 66. idem Angelicus Doctor & Cruces, & verba aliter exponit sic: *Quartò quinque Cruces facimus, non quod eum, qui præsens est Sanctum sanctorum sanctificemus* (cuius rei intelligentia adeò vexauit Innocentium III. vt in ea potius discipulum fieri, quàm Magistrum se exhibere, se cupere affirmet l. 5. cap. 2. & 3.) *sed vt per eius pœnitentiam offeramus, & sumamus Hostiam salutarem, & eidem conformati sanctorum consortio mereamur admitti. Dominus enim IESVS in passione sua fuit Hostia pura, in resurrectione*

fuit

fuit Hostia sancta, in ascensione Hostia immaculata. Panis vitæ æternæ esurientibus, Calix salutis perpetuæ institiam facientibus: ei ergò assimilari, & conformari debemus, qui ad ipsum offerendum, & sumendum accedimus.

167 Dicimus etiam *Hostiam puram*, ad differentiam sacrificiorum gentium, quæ impura erant, & corrupta, *Sanctam* ad differentiam oblationum veteris legis, quæ non erant eatenùs sancta, vt animam sanctificarent, sicuti hæc nostra, quę tollit peccata Mundi. Et ideò subditur, *immaculatam*; ob id enim, quod Christus Agnus fuit innocens, qui peccatum non fecit, tollit peccata mundi, quod est homines sanctificare. Est ergo Hostia pura, & purificans, sancta, & sãctificans, immaculata, & maculas tergens: Hæc ex Soto *hic ar. 5.*

168 Quod demùm additur, *panem sanctum vitæ æternæ*, (ad illud alludens Io: 6. *Ego sum panis vitæ*. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum) *& Calicem salutis perpetuæ*, (de quo prædictum: *Calicē salutaris accipiam*) est, ex eodem Soto, definitio, & explicatio eiusdem. Vt enim Sacerdotes veteris legis de Sacrificijs edebant, quibus vitam temporalem sustentabant, sic & Christiani esu, & potu Sacrosancti Sacrificij spiritualem, atquè adeò sempiternam sibi vitam comparant, & salutem.

169 Huiusmodi verò verba habentur etiam apud Ambrosium *loc. cit.* immò tota hæc septima sacri Canonis pars, etsi Alexandro 1. à quibusdam in totum, à nonnullis in partem adscribatur, ab alijs tamèn Apostolicæ traditionis vestigium censetur; vt ex tunc mandatum Domini omnimodè impleretur: *Hac facite in meam commemorationem.*

170 g *Supra quæ propitio* &c. *Quartò* (prosequitur D.Thomas) *petit hoc Sacrificium esse Deo acceptum*, non quidem ex parte rei oblatæ; *nàm* Corpus, & Sanguis, cùm sint Diuinitati coniuncta, sunt suppositi infinitè grati; nequè consequentèr ex parte primarij offerentis Christi; de quo Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*; sed ex parte cæterorum offerentium: si enim in peccatis oblatio fiat, erit haud dubiè, vt dicitur Eccli. 34. *quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui*. Præterea vti cùm D. Gregorio *tit*. 19. dictum est, *Deus attendit non quantum in eius sacrificio, sed ex quanto offeratur*. Meritò ergo soliciti sumus, ne oblatio, quæ ex se Diuinæ est summè placita Maiestati, propter iniquitates nostras, ac propter deuotionis defectum, minus eidem placita efficiatur; sicquè spirituali, quod inde assurgit, lucro, excidamus. Idcircò præmittimus, *suprà quæ* (tua ex tuis nos tibi serui tui obtulimus) tùm *propitio* (quod est peccatis parcere, Ier. 31. *propitiabor iniquitati eorũ*) tùm *sereno vultu respicere digneris*; quod est deuotionis lumen infundere, secundum id Psal. 66. *illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri*. *Vndè Christus* (notat B. Albertus) *duo dixit oblatus pro nobis; primum Lucæ* 23. Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt: *ecce propitiatio: dixit etiam*: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, *hoc est spiritum Sanctorũ: ecce vultus serenitas*.

171 Conformitèr ad hæc explicans D.Thomas hìc ad 8. verba, quæ statim subnectuntur, *sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel* &c. licèt, ait, *hoc Sacramentum ex se ipso præferatur omnibus antiquis sacrificijs; tamen sacrificia antiquorum fuerunt*

Deo

Deo acceptissima ex eorum deuotione: petit ergo Sacerdos (vndè Lutheri os loquentis iniqua obstruit Bellarminus de Mis.l.2.cap.24.) *vt sic hoc sacrificium acceptetur Deo ex deuotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo*. Si namquè innocentia (vndè dicimus, *pueri tui iusti*) Abel, Abrahę fides, & Melchisedech sanctitas,(vndè hic Sacerdos,illePatriarcha denominantur) nō desit ex parte nostri,*placebit Domino*(Malachias c.3.)*Sacrificiū Iuda,& Ierusalē,sicut dies saeculi, & sicut anni antiqui*;vbi de cætero ly *sicut* vtrobiquè, ex B. Alberto *hic*,& Lyrano in *Malach.ibi*, analogiā dicit,seù talem similitudinem, qualis esse potest typi ad veritatem. Nam nostrum illi longissimè titulis omnibus antecellit; neque illud, nisi in fide nostri, fuit acceptum.

172 Ideo autem,ex D.Thoma opusc.66.de Patribus, qui ante legem fuerunt,pręcipuè ponitur horum trium memoria, quia in eorum personis, & sacrificijs,Persona,& Sacrificium Christi præfigurabatur.Abel enim, ex B.Alberto *hic cap.*14. manifestat oblati passionem; Abraham oblati vnigeniti dignitatem;Melchisedech ritum,& veritatem: quod egregiè explicat ibi Magnus Albertus.

173 Propterea quod subditur: *Sanctum Sacrificium;immaculatam Hostiam*; nonnulli cum statim præcedenti connectunt, ad sacrificium Melchisedech referentes; quod sanctum,& Hostia immaculata,secundum id,cuius erat figura,dici potest;rectiùs tamen ex Titel.& Odone ad principiū alij referunt hoc modo: *supra quæ*,nempè *sanctum*, (& sanctificans)*sacrificium, & immaculatā* (ac maculas tollentem)*Hostiam* &c.vt ex his epithetis mox tacta proportio appareat.Quā

clausulam D. Leonem addidisse vnanimitèr historici affirmant, Author libri Pontificalis *cap.46.* Beda *in Martyrol.* Sigebertus *in Chron.* Micrologus, Marianus Scotus, Vualafridus, & cæteri.

174 h *Supplices te rogamus &c. Quintò* (prosequitur D. Thomas) *petit huius Sacrificij, & Sacramenti effectū: primò quidem quantum ad ipsos sumentes, cū dicit, Supplices &c.* Nam introire hęc in conspectu Diuinę Maiestatis, seù, vt legitur Eccl, 33. nubes penetrare, est, nos per ipsa Deo placari, & exauditionę eorū, quæ postulamus, bonorum obtinere: sicuti oratio ad Deū, si non exauditur, à conspectu Dei arcere dicitur. Vndè in psalmis petitur introire oratio, siuè clamor in conspectu Domini, quæ exaudita mittit postulanti, quod postulat: & introire poscitur gemitus compeditorum in conspectu Dei, vt pro remuneratione, & iusta vindicta exaudiatur.

„ 174 Neque enim Sacerdos petit (vt Luthori calūniam præuidens, ac prosternens aduertit D. Thomas *hic ad.9.*) neque quod species Sacramentales deferantur in Cęlum, neque Corpus Christi verum, quod ibi esse non desinit, sed petit hoc pro corpore mystico, (quod scilicèt in hoc Sacramento significatur,) vt scilicèt orationes Sacerdotis, & populi Angelus assistens Diuinis Mysterijs Deo repræsentet, secundum illud Apocal. 8. *ascendit fumus incensorum de oblationibus Sanctorum de manu Angeli.* Sublime autem Altare Dei dicitur vel ipsa Ecclesia triumphans, in quam transferri petimus, vel ipse Deus, cuius participationem petimus: de hoc enim Altare dicitur Exod. 20. *Non ascendes ad Altare meum per gradus,* idest in Trinitate

„ tate gradus non facies. Vel per Angelum intelli-
„ gitur ipse Christus, qui est Magni Concilij Ange-
„ lus, qui Corpus suum mysticum Deo Patri coniũ-
„ git,& Ecclesiæ triumphanti. Et propter hoc etiam
„ Missa nominatur ; quia per Angelum Sacerdos
„ preces ad Deum mittit, sicut populus per Sacer-
„ dotem; vel quia Christus est Hostia nobis Missa
„ à Deo. Vndè & in fine Missæ dicitur, *Ite, Missa est*, scilicèt Hostia ad Deum per Angelum, vt sit
„ Deo accepta.

175 Angelus Dei sanctus, *assistens Diuinis mysterijs*, vt ibi loquitur D.Thomas,& per cuius manus (hoc est, vt notat Albertus, per operationes) hæc rogamus deferri in sublime altare Dei, D. Michael catholicæ Ecclesiæ tutelaris à nonnullis perhibetur, probabilibus innixis rationibus, à me deductis in libro, quem de ipso Angelorum Principe, ac populi Dei patrono typis dedi, inscriptum : *Il pellegrino al Gargano*. Alij tamèn hoc munus Angelo adscribunt, quem cuiquè peculiarem Sacris operanti assistere asseuerant, comprecando, dirigendo, &c. siue Angelus sit ad custodiam personæ celebrantis deputatus, siuè Altaris, siue Ecclesiæ custos, in quibus fit sacrum; cũ & his, consecratione insignitis, Angelum astare nonnulli existiment, prout in Prato spirituali c.4. Abb. Leontio Angelus dixisse legitur : *ex quo sanctificatũ est Altare istud, ego iugitèr illi astare iussus sum*.

176 Angelos quidem fidelis populi orationes Deo repræsentare, quod est sua comprecatione promouere, ex Scripturis sacris habetur, & signantèr Tob.12. vbi Angelus Raphael: *Ego obtuli orationem tuam Domino*. Angelos insuper, quicunquè illi sint

(*omnes* enim *sunt administratorij spiritus in ministeriũ missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*) Sacrificio interesse, verbis altisonis, quæ terrorem legenti, à fortiori Celebranti, incutiunt, produnt Gregorius *l.4. Dial. cap.* 58. Ambrosius *in cap. 1. Luc.* Chrysostomus *hom. 3. in epist. ad Eph.* & pluribus alijs in locis. Et B. Albertus Magnus *hic*, quia fortasse suo tempore ad clausulam, *per Christum Dominum nostrum* in Canone, *Amen* omittebatur: *nemo*, inquit, *respondet* Amen, *quia hoc, sicut in alijs secretis, Angelis relinquitur, qui assistunt Sacramento.* His addo, S. Euthymium (Cyrillo Eremita in eius vita referente) vidisse frequenter terribilem Angelorum visionem vnà secum Deo ministrantium, & sacra contrectantium: quod & præstabant, D. Ioan. Chrysostomo sacrum faciente, teste S. Nilo *in eius vita*; quod idem referunt de S. Basilio Gregorius Nazian. ac de Sampsone Episc. Dolen. S. Antoninus. Et quod ad rem nostram peculiarius est, legitur in Speculo magno exẽp. dist. 9. exẽp. 188. Sacerdote hanc orationem dicente: *Supplices te rogamus* &c. Hostiam Angelum visibilitèr sublatam ante Diuinæ Maiestatis conspectum transtulisse, ac statim reddidisse Altari: quod de Calice etiam in altum per Angelum sublato, ac statim Altari reddito, Proculo celebrante, enarrat Petrus Episc. Aquilin. *l. 1. cat. SS. c.* 15. Manus de cętero Angeli, seù precum delatio, de quibus *hic* sermo, sunt, vt aiebam, & notat Durantus *hoc loco*, Angelicæ societatis charitas, quâ precum nostrarum imbecillitatem sua extollunt comprecatione. *Contemplare ergo* (concludat Chrysostomus loc. cit.) *obsecro, adstat mensa regia, adsunt Angeli mensæ huius ministri, adest Rex ipse, & tu*

oscitans

oscitans adstas? Et tu igitur (monet idem Chrysostomus hom.36.in 1. ad Cor.) *ante illud horrendum tempus animo tremisce, animo commoueare, priusquam vela reducta, & chorum Angelorum progressum vides, in ipsū vltrò Cælum ascende.*

177 Hęc autèm octaua Sacri Canonis pars est Missæ antiquissima. Habetur enim consimilis apud SS.Clementem,& Ambrosium,necnon in Liturgia S.Petri.Prætereà verba, *vt quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum Filij tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus &c.* ab Ecclesiæ primordio institutam demonstrant,quando omnes,qui Missæ intererant,communicabant, vt notat Bona *hoc loco*. Sed tamen,vt aduertit Bellarminus *loc. cit.* ly *quotquot* connotat siue vnum,siue plures;& *ly ex hac Altaris participatione*,eos etiam comprehendit, qui alibi sumunt;immò ad totum extenditur Ecclesiæ corpus mysticum spiritualiter communicans: ideòque tunc Sacerdos,ex B.Alberto,osculatur Altare,quasi dicens, *participem me fac Deus omnium timentium te,& custodientium mādata tua.*

178 i *Inclinet profundè, cancellatis manibus ante pectus,brachio sinistro supposito dextro.** Legebant quidam(vt notat P.Ioan.de Palencia in notis ad Ordinarium) *superposito*, sed malè. Habemus enim etiam in antiquis libris,& bene correctis, *supposito.*

179 * Inclinationem hoc loco profundiùs solito(fortasse ob realem Christi præsentiam) exhiberi nostram rubricam velle, ex eo colligitur, quod antiqua Ordinaria ad cęteras inclinationes profundas addunt, *genibus non curuatis*, hìc verò simplicitèr dicunt, *inclinet profundè*,& subnectunt, *incipiat paula-*

tim se erigere, vt ad, ex hac Altaris participatione, *possit exosculari dexteram partem Corporalis*. Quod quidem sic nonnulli intelligunt, vt infrà mensam Altaris corpore sese deijciant, quasi Angelorum ministerio omninò Oblata derelinquentes: sed priuato meo (saluo semper legitimo) iudicio, dedecet, vt alibi dictum est, Oblata celebrantis intuitu sic destitui, ac populi aspectui omninò exponi. Ità ergò rubricam intellige, vt velit profundè se inclinare, quantum fieri potest, Oblatis intuitum inclinati non effugientibus; ac deinde paulatim se erigere, dum interim Altari magis appropiat, vt, quemadmodum fert gestus naturalis, (nequè enim reptando accedere par est) possit ad, *ex hac Altaris participatione*, caput, & humeros iterum flectens, exosculari dexteram partem Corporalis.

180 * Qui autem ad hanc profundam inclinationem retrahunt se versus cornu Euangelij, vel alio modo corpus extorquent, quibus fauere videtur Porrecta hìc, se sciant rubricam pariter extorquere. Absolutè enim hæc loquitur: *inclinet profundè*; quod haud dubie intelligendum est, directè contrà Altare: vbi namque non est exceptio, suum robur regula retinet: regula autem est tùm in antiquo Ordinario p. 2. tùm in Missalibus in rubrica *de Missis solemnibus*, (cui conformari in priuatis ipsa Ordinaria iubent, vbi, pro solemnitate, alitèr non præscribitur) hæc est: *inclinatus non ex transuerso, sed in directum versus medium Altaris (quod semper obseruandum est in huiusmodi inclinationibus) dicat &c.* Mysteriū verò quod de Domini extorsione in Cruce, comminiscuntur, in eo potiùs directè inclinantes, atque Altare exoscu-

lan-

lantes, agnoscant, quod IESVS, vt nos ad Cælum perferret, humiliauit semetipsum vsquè ad mortem.

181 * Quo attinet ad ritum, quo à Romano differimus, cancellatis manibus, hanc exhibendi inclinationem, (quæ vnica, ex quinque olim in vsu, reliqua est,) non fuit nostrorum inuentum. Ambrosianus enim, ac Carthusiensis, qui nostrum præcesserunt, idem præscribunt; Ambrosiano sic iubente: *inclinet se versus Sacrificium manibus in modum Crucis positis*; Carthusiensi verò sic; Ad, supplices, *cancellatis manibus, ità quod sinistra sit inferior, & iunctis digitis, quibus Hostiam tenuit, inclinatur ante faciem Altaris*. Et fortassè tempore Durandi communis eum praxis commendabat, postmodum proscripta, vt reuerentiæ Sacramenti omninò consuleretur, manibus intrà Corporale cōtinuo retentis. Nam *lib.4.c.44.* indefinitè ille sic loquitur: *considerari etiam oportet, quod Sacerdos dicendo,* Supplices, *stat inclinatus, cācellatis manibus ante pectus.*

„ 182 Designatur per hoc, prosequitur ibi Du-
„ randus, quod orationis humilitas, per inclinatio-
„ nem designata, tunc demùm, & non aliàs, exaudiri
„ digna est, si ex fide procedat pectoris, idest mentis.
„ Fide, dico, per dilectionem operante. Quia verò
„ quædam sunt opera vitę actiuę, quædam verò vitę
„ contemplatiuæ, sed opera vitæ actiuæ quodammo-
„ do cancellatim ad opera contemplatiuæ vitæ, sicut
„ sinistra ad dextram comparantur, eo quod opera
„ actiuæ sicut supposita, seù inferiora ad opera con-
„ templatiuæ disponunt, & opera contemplatiuæ si-
„ cut superposita, & altiora illa perficiunt, & con-
„ firmant: & ideò in ipsa manuum cancellatione (*en quomodo speciali hoc titulo nobis congruit, qui conte-*

platiuam, & simul actiuam vitam profitemur,) dextra
„ superponitur sinistrę. Rursus orat cancellatis ma-
„ nibus ante pectus, quasi ipso facto: obsecro te per
„ Crucem, & passionem tuam, vt iubeas hæc perfer-
„ ri &c. Cancellatio enim manuum passionem Chri-
„ sti figurat, & dextera, per quam resurrectio, læuæ,
„ per quam passio designatur, superponitur, vt per
„ hoc Christi resurrectio à mortuis insinuetur. Hęc
„ ille.

183 l *Exosculari dexteram partem Corporalis.* Dexteram intellige, habito respectu ad Celebrantem, vti intelligendi antiquis, nostro præsertim Ordinario, mos fuit, sicut alibi dictum est.

184 Verba, *vt quotquot ex hac Altaris participatione*, quæ tunc proferuntur, exposcunt, vt, cùm Altare consecratum non fuerit, Lapidi consecrato, seù Altari portatili, vt appellant, osculum figatur; ità aduertit Cæremoniale Carmelitarum *in hanc rub.* * A Cruce verò osculo præmittenda abstineamus, non illam rubrica, nec etiam Missalis Xauierre, proponẽte: cùm namquè Sanctus Sanctorum Dominus realiter pręsens sit, cessat ratio, ob quam primo osculo crucem præponendam diximus tit. 7. litt. D. nu. 54. cùm Durando *lib. 4. cap. 39.*

185 Dexteræ verò parti hoc secundum osculũ, ad differentiam primi, imprimitur, ob reuerentiam quidem Christi Domini in medio existentis, sed etiã ob mysterium. Sublime enim Altare in conspectu Dei, ex Durando, est Christus Crucifixus sedens ad dexteram Patris: seù etiam, ex doctrina præallata D. Thomæ, sublime Altare Dei dicitur Ecclesia triũphans, cui dextera congruit. Vndè & Ecclesia in sini-
stra

stra militans huius mundi, per hanc Altaris participationem Diuinis refecta mysterijs, viam sibi sternit ad omnis benedictionis cælestis, & gratiæ, quam petit, consequutionem; quod est de pace temporis, per pacem pectoris (quę per hoc secundum osculum, ex Innocentio l.3.cap.11. significatur) transire ad pacẽ ęternitatis.

186 m *Hostiam benedicat cùm dicit,* Corpus, *&* *Calicem, cùm dicit* Sanguinem, *& subdens,* omni benedictione cęlesti, *ante ipsum signum Crucis faciat &c. Quintò* (prosequitur D. Thomas hic ar.5. ad 3.) *repræsentatur extensio Corporis, & effusio sanguinis, & fructus passionis, per trinam Crucesignationẽ, quæ fit super illis verbis,* Corpus, & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione &c. Et tertiam ante se ipsum facit Sacerdos, vt denotet quidem, in totum Ecclesiæ corpus mysticum fructum passionis dimanare; sed & simul, ex B. Alberto, in se ipsum, vt in hominem, infirmum, in necessitate constitutum, vt docet Apostolus, offerendi, quemadmodum pro populo, ità & pro se ipso. Fructus autem est benedictio, & ros gratię cęlestis, quibus dignè sumentes Corpus, & Sanguinem Domini replentur, & acceptantur ad gloriã; nonnisi *per eundum Dominum nostrum*, in quo Pater, iuxta Apostolum Ephes.1. *benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus.*

Signũ hoc fiat, ait rubrica, *pollice, & indice clausis tribus posterioribus digitis,* vbi sensum amphibologicum reddi videtur, defectu virgulæ, quæ esse deberet ante, vel post ly *clausis.* In ãtiquioribus Ordinarijs nil aliud dicitur, nisi: *faciat tertium* (hoc est signum Crucis,) *ante faciem suam* Rubrica verò Missalis Rodulphij ponit

ponit virgulam ante ly *clausis*. Ceterùm quia rubrica Missalis Xauierre ritui Rom. conformis eam postponit, quicquid sit de rationibus, quæ in contrarium militare videntur, sic rubrica intelligenda est, vt velit pollice, & indice clausis, fieri signum crucis, cum tribus posterioribus digitis, * ante faciem, non se tangendo, nedùm ob reuerentiam, sed etiam fortasse, vt Crucifixum ob oculos ponat, quem cùm intuetur, cùm sit ille Serpens in palo, à morsu antiqui Serpentis sanatur; quod est fructum passionis percipere.

TITVLVS XXIV.

De Canone post Consecrationem parte decima, & vndecima; Memento Domine &c. Nobis quoque peccatoribus &c.

RVBRICA.

Ad a Memento etiam Domine famulorum, famularumquè tuarum, qui nos præcesserunt cũ signo Fidei, & dormiunt in somno pacis b *N.N.* c *iungat manus ante pectus, & memoriam mortuorum mente recolat, vt de viuorum memoria dictum est; & posteà, apertis manibus, prosequatur:* ipsis Dominę, & omnibus &c. *Ad* d Nobis quoquè peccatoribus, *pectus leuitèr tundat, dexteræ tribus vltimis digitis. Ad* e Per quem hæc omnia, *cùm dicit,* bona f creas, *sinistram manum super Altare deponat, & ad* Sã†ctificas, viuifi†cas, bene†dicis, *dexteræ prioribus digitis pollice, indice, & medio,* g *totũ Sacrificium tribus vicibus signet: Calicem discooperiat, & dicto,* & præstas nobis, *genuflexus Sacramentum adoret; mox se erigat, & indice sinistræ manus Hostiam leuitèr deprimat, vt ex altera parte attollatur: pollice, & indice dexteræ*

caus

h *eã accipiat, & statim tribus posterioribus digitis sinistræ manus pedem Calicis firmet super Altare, & dextera manu cũ Hostia ad,* i per† ipsũ, & cũ † ipso, & in† ipso, l *tres Cruces super Calicem formet,* m *primã exteriùs à labio Calicis ad labium, secundam intrà Calicem à labio ad labium, tertiam profundiùs, quàm secundam; quartam verò ad,* est tibi Deo † Patri, *ante labium Calicis in alto aliquantulum: qua facta, sinistram manum à pede Calicis reducat, & super Corporale collocet, & crucem ad,* in vnitate Spiritus† Sancti, *ante pedem Calicis in imo signet: qua facta, Hostiam,* n *reuerentia capite aliquantulum exhibita, super Corporale reponat suo loco, non tamèn populo ostendat, &, illis duobus digitis dexteræ super Calicem excussis,* o *eundem cooperiat, & genuflexus Sacramentum adoret. Ad* p *per omnia sæcula sæculorum &c.*

NOTÆ.

187 a MEmento etiam Domine. Secundò,* (prosequitur D. Thomas,) *petit huius Sacrificij effectum, quantùm ad mortuos, qui iam sumere non possunt, cũ dicit;* Memento etiam Domine &c. Vbi coniunctio *etiam* continuat sequẽtia proximè præcedentibus; vt sẽsus sit, *supplices te rogamus &c.* vt prosit quotquot ex hac Altaris participatione &c. sumpserint, sed & qui iam sumere non possunt: quibus proindè per modum sacri-

sacrificij prodest; secundùm quod scriptum est: *qui pro vobis* sumétibus, *& pro multis*, scilicèt alijs, *effundetur in remissionem peccatorum*: de quo plura tit. xix.

188 Et hinc habes, cur, cùm viuorum memoria anteponatur, defunctorum illa post iam confectum Sacramentum fiat? Cùm enim viui sumere possint, vti in primitiua Ecclesia, quotquot aderant, sumebant, potior hic locus ijs debetur, qui iàm sumere non possunt. Qua fortasse ratione sub pontificatu D. Dionysij, cùm viuorum memoria præteriretur, adhùc fiebat defunctorum, vti S. Maximus *in scbol.* ex eo deducit, quod ille Diuinæ liturgię mysteria edisserens, nonnisi defunctorum commemorationem recenset. Quæ quia ante consecrationem fiebat, sancitum est, vel à Sixto I. vt nonnulli enarrant, vel à Pelagio II. vt alij, Consecrationi postponi. Et cùm quædam Ecclesię primæuæ consuetudini adhęsissent, illam Innocentius redarguit *cap. de Nominibus de cons. dist.* 1.

189 Exemplum Christi Domini in hoc habemus, qui peracta Cęna, cùm in Hortum secessisset, *orauit tertiò*; pro animabus Purgatorij, ex August. loc. cit. quarum sæuos dolores mente obuoluens, *factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis*. Præterea in Sacrificio Crucis, cuius Eucharisticum est applicatio, obtulit se ipsum etiã pro defunctis, scilicèt pro omnibus, qui à mundi principio ante illum piè defuncti erant. Pręcesserat & exemplum in lege Mosaica 2. Machab. 12. vbi, *fortissimus Iudas, facta collatione duodecim millia drachmas argenti, misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*; eiusquè factum Scriptura commendans subdit: *Sancta ergò, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur:*

tur: Quòd si salubris semper fuit hæc cogitatio, saluberrima sanè erit in Euangelico sacrificio, de quo dictum est : *munus absconditum extinguit iras*, munus absconditum *est Christus in Eucharistia*, (glossat D. Thomas opusc. 58) *extinguens iras Dei, idest pœnas Purgatorij, alleuiando pœnam illorum, & abbreuiando* : sic Tobię 4. dicitur; *panem tuũ, & vinum super sepulturam iusti constitue*: hoc est, ex D. Ambrosio, Corpus, & sãguinem Christi pro animabus Purgatorij offer. Vndè Tridentinum sess. 25. in decreto de Purgatorio ait; *Animas in Purgatorio detentas, fidelium suffragijs, potissimum verò acceptabili Altaris Sacrificio iuuari*..

190 Fuit hic perpetuus vniuersæ Ecclesiæ ritus, testante Augustino libro de cura pro mortuis gerenda cap. 1. *In Machabæorum libris legitur oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquàm in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, vbi in precibus Sacerdotes, quæ ad Altare Domino Deo funduntur, locum suum habet & cõmendatio mortuorum.* Consonat Liturgiarum Iacobi, Matthæi, Marci, & quotquot extant, praxis nunquàm intermissa. Consonant Patrum testimonia, Clementis *l. 8. const. cap. 9.* Tertulliani *l. de corona Mil. cap. 3.* Cypriani *l. 5. epist. 9.* Cyrilli *cathec. 5. mystag.* Ambrosij *in orationibus de obitu Theodosij, Valentini, & Satyri Fratris*; atquè aliorum, quæ congerit Durantus *lib. 2. cap. 43.* Et Chrysostomus hom. 3. in epist. ad Philipp. *Non frustra, ait, instituerunt Apostoli, vt cùm tremenda mysteria celebrantur, fieret eorum commemoratio, qui ex hac vita decesserunt. Sciebãt enim, magnum inde lucrum, multamquè vtilitatem eis prouenire. Cùm enim adsit populus vniuersus, & collegium Sacerdotale*

tale manus attollat, & coram posita sit tremenda Hostia, quo modo iram Dei non placabimus?

191 Patrum itaquè inhærentes vestigijs, in hoc, vt cum D. Thoma toties diximus, totius Ecclesiasticæ vnitatis Sacramento, spiritu coniungamur membris illis, quorum Christus caput est: *Nequè enim*, teste August. l. 20. de Ciu. cap. 9. *piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est regnum Christi*. Clamãt illæ: *miseremini mei saltem vos amici mei; in terra captiuitatis*, (vt loquar cùm Augustino ep. 122.) *constitutæ, vbi, nec ferre oblationem ad Altare Dei possunt, nec inuenire ibi Sacerdotem, per quem offerant Deo*; viscera ergo pietatis exhibe: offer pro illis. *frange esurienti panem tuum*, hoc est, ex S. Antonio serm. de cœna Dom. *pars fiat pro fidelibus in sepulchris quiescentibus*. Dicẽte Domino, *caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus, fer*, Daniel 14. *prandium, quod habes, Danieli, qui est in lacu leonum*, hoc est cætui fidelium in Purgatorij lacu merso (ex Gers. *tract. 9. in magnif.*) nam id eueniet, quod ibi dicitur: *venit Rex. Et extraxit eum de lacu Leonum*. Memineris, *quoniam*, iuxtà Apostolum Eph. 3. *sumus inuicem membra*, & 4. Cor. 1. 12. *si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra?* Clamant illa tormentis intantùm obnoxia, vt (D. Cyrillo in epist. inter opera S. Hieron. to. 9. enarrante) *mallet quilibet viuentium, si Purgatorij experientia nosceret pœnas, vsquè ad finem mundi sine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adã hucusquè sigillatim pertulerunt, quàm vna die in Purgatorio, minori, quæ illic habetur, pœna torqueri*: quod & sẽtire videtur Augustinus, pęnas illas percensens *serm. 42. de sanct.* omni cogitatu maiores. Tanto quæso ma-

lo

lo, remedio, quo ex Bonau. de *Miss. cap.* 8. nihil efficacius, occurramus, hoc est Sacrificij oblatione. Aliàs nos dignos sciamus, qui increpemur, Iob. 6. *Fratres mei præterierũt me, sicut torrens, qui raptim pertransit in conuallibus*, & Iob. 9. *derelinquerunt me propinqui*, & ab Augustino ferm. 41. de Sanctis: *O quam grandis crudelitas fratres mei! O quam grandis inhumanitas! cadit asinus, & omnes eum subleuare festinant: sed clamat in tormentis fidelis, & non est, qui respondeat.* Sequamur itaquè Bernardum, *Surgam ergo*, dicentem ser. de 5. negoc. col. 1719. *in adiutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspirijs, orationibus intercedam; satisfaciam Sacrificio singulari, si forte videat Dominus, & iudicet, vt laborem conuertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam.*

102 Nunquam satis pro meo genio, ac debito illis obsequio, dixerim de hac re. Sed nolo mihi, & illis in tantum indulgere, vt prædicationi potiùs, quã Liturgiæ operam nauare videar. Et hoc dumtaxat donetur, quod ex D. Thoma de Villanoua subnecto: *Benefacere animabus in Purgatorio detentis non solum eis prodest, verum etiam illis, qui bona ipsa operantur. Prodest enim ei, qui tale opus præstat, ad exeundum à peccatis, & ad impetrandum multa alia bona in hac vita: vt salutẽ corporis, bona temporalia, victorias ab hostibus, liberationem, & similia.* Enim verò pauperrimæ pro eo statu illę sunt, & ad summum egenę: *beatus* autèm *vir, qui intelligit super egenum, & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus &c.* Si namquè *introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum*, ex Purgatorio, cũ hi cęlestem patriam attigerint, incessanter clamabũt: *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum. Quod si*

ibi

ibi non fuerit filius pacis; operā nec perdidisti:*pax vestra ad vos reuertetur.*

192 Qui autem sint, quibus è vita functis istiusmodi suffragia prosunt, denotatur per verba, *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Memento Domine, *hoc est*, ex B. Alberto hic cap. 16. *non sicut de his, de quibus nullam vis habere memoriam, & nullam notitiam; de quibus dicit psal. nomina eorum non recordabor per labia mea: illi enim in Dei memoria non sunt, qui non sunt in libro vitae; sed sint in notitia tua, sicut dixit Exod. 33. noui te ex nomine, inuenisti enim gratiam coram me.* Famulorũ, famularumque tuarum, *qui* (sequitur Albertus) *tibi in obedientia mandatorum in hac vita famulati de familia, & domo tua adhuc sunt*, hoc est, qui ex numero signatorum Ap. 4. cursum consummarunt, fidem seruarunt: fidem nempè quā in Baptismo susceperunt operibus comprobarũt, vsquè in finem perseuerantes: vndè subditur nedùm: *qui nos praecesserunt cũ signo fidei*, sed & *qui dormiunt in somno pacis*; mors namquè iustorum ex vita, quae est militia super terram, migrantium, somnus dicitur in psal. *cùm dederit dilectis suis somnum: in pace in idipsum dormiam, & requiescam*, & ab Apost. 1. Thess. 4. *de dormientibus nolo vos ignorare fratres*. Et hi sunt, quorũ (vt docet Augustinus l. 21. de Ciu. Dei c. 24.) *nec vsquè adeò vita in corpore male gesta est, vt tali misericordia iudicentur digni non esse; nec vsquè adeò benè, vt talem misericordiam reperiantur necessariam non habere*; quiuè, vt alibi Augustinus, *cùm viuerent, vt haec sibi postea prodesse possent, meruerunt.*

193 b N. & N. * Has litteras Missale nostrum

Bb habet

habet post, *in somno pacis*, quia tunc pausa fit, ex libro Sacram. D. Gregorij; & fieri tunc debere Ritu etiam Romano enarrat Gauantus *in hanc. rub.* post Alcuinum *off. de cel. Mis.*

194 Etiam hoc loco ex diptychis, de quibus titulo 19. ex Apostolica traditione, seù institutione ex ambone vel ad tempus, vel etiam perpetuò nominabantur, qui aliqua speciali nota digni è viuis excesserant. Qui ritus innumeris proditur veterum monumentis, & nonnunquàm grauium inter Ecclesias concertationum fuit occasio; alijs quorumdam memoriam excolentibus, alijs ex aduerso damnantibus, seù è diptychis eradētibus: sicut cōtigit, vt alios omittam, in S. Ioanne Chrysostomo, cuius memoriā Romana Ecclesia venerabatur, Alexandrina è contra, dùm vixit infensissimus Chrysostomi persecutor Theophilus, execrabatur. Nota etiam sunt dissidia Ecclesiarum Orientalium cum Romana, dùm hęc Acacij memoriam, tanquàm hæretici (vt verè erat) execrabatur, illę verò ab eodem seductæ excolebant. Et quia Euphemius Constantinop. Episcopus, vt prodit Theophanes, & Nicephorus hist. nomen Acacij de tabulis Ecclesiasticis, hoc est de diptychis eradere pertinacitèr recusabat, (quod tunc erat aliquem post mortem declarari excommunicatum) Apostolicæ Sedis communione, vti schismaticus, excidit.

195 Huius autèm commemorationis non semper scopus erat, vt peteretur huius Sacrificij effectus: nam aliquando nominabantur Sancti etiam martyres, de quorum æternę felicitatis possessione, statim post obitum, nullo vnquàm tempore superstitit dubitatio; immò ex Dionysio *cap. 3. Eccl. Hier.* habetur,

hanc

nanc fuisse pro Episcopis speciem quandam canonizationis; sępè ergo nominabātur obgratias Deo reddendas pro donis ab ipso eisdem collatis, seù, vt illis gloria hinc accidentalis eueniret : quo sensu & nunc dicimur pro Sanctis sacrificium offerre, vt alibi dictum est.

196 Itaquè, vt ad nos redeamus, diptychorū hoc loco vestigium reliquum est, quod defunctos, quibus speciali aliquo titulo iustitiæ, obedientię, vel charitatis addicimur, memoramus; iuxtà tabellam, quæ in Sacristijs exponitur, atquè nostro officiolo Beatiss. Virginis inserta extat. Plura de hac re, quæ huius etiam, respectiuè, loci sunt, deducta habes *tit.* XIX. *de secunda parte Canonis per totam*, & ideò omissa hìc facio.

197 c *Iungat manus ante pectus*; sed *oculi nostri ad Dominum Deum nostrum*, ideſt aperti, & Sacramento intenti sint, vt addit Ciantes *in nostram rub.* & Castaldus, & Quartus *in Rubr. Missalis Rom.* Modum de cætero seruet pro Memento viuorum expressum, vti ipsa rubrica præcipit; *ex qua proindè colligi videtur, manus iunctas tenendas esse vsquè ad : *Nobis quoque peccatoribus*.

198 d *Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus &c.* Ipsis, ad quos nominatim mens fuit directa, ex peruetusto Ecclesiæ ritu, reliquorū in Christo quiescentium generalis commemoratio subnectitur. *Non sunt prætermittendæ* (inquit Augustinus lib. de cura pro mortuis ca. 4.) *supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcumquè sub generali commemoratione suscepit Eccle-*

sta: vt quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut quicũque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeatur Matre communi.

199 Dicitur *omnibus in Christo quiescentibus*, nã damnatis, quorum Christus iàm amplius caput nõ est, membris à Corpore mystico irreparabilitèr abscissis, Missa, aliaquè suffragia minimè proficiunt. Et narratio de anima Traiani Augusti, precibus D. Gregorij ab inferis liberata, falsissima, & fabulosa est, vti disertissimè probat Emin. Capisucchius *tom. controu. contr. 7. §. 1.* Quod idem dic de eo, quod de Falconilla, ac Cranio arido interrogato à Machario vulgò fertur.

200 Pro omnibus itàquè in Purgatorio patiẽtibus, quorum sumus inuicem membra, compatientes, quotquot in huius Sacrificij oblatione vnimur, *deprecamur*. Ad quid? *Vt indulgeas*. Scimus enim scriptum Matth. 5. *Amen dico tibi non exies indè* (idest è Purgatorio, ex Tertulliano *de anim. cap. 35. & vlt.* ac Cypriano *epist. 52.*) *donec reddas nouissimum quadrantẽ: deprecamur* ergo *: non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*; sed *indulgeas*, hoc est ex indulgentia, de Purgatorij igne eos educas, qui (Augustino referente serm. 42. de Sanct.) *durior est, quam quicquid potest in hoc sæculo pænarum videri, aut sentiri, aut cogitari*, atquè in locum introducas, vbi è contrà *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Locum sanè refrigerij*: vbi gratulantes dicunt, *transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*: vbi *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis*

tabis eos: locum *lucis*, cõtrà tenebras, de quibus Matth. 23. *Mittite eum in tenebras exteriores*: locus lucis, vbi claritas Dei se facie ad faciem ostendentis illuminat, *& lucerna eius est Agnus*: locus & *pacis*, quem *Deus pacis* inhabitans, posuit fines suos pacem, & seras portarum suarum confortauit, vt & vermis conscientiæ de quo Isaiæ cap. 66. & quicquid multitudinem pacis turbare possit, perpetuò eliminetur.

201 Nequè verò pacem *ipsis* petens Sacerdos, id petit, quod asseruit iam habere, dicendo, *dormiunt in somno pacis*. Pacem enim, qua nos caremus in hac militia super terram, animi perturbationibus vexati, vitiorum stimulis lancinati, illi iàm in termino fruuntur, vitam æternam omni cum securitate expectantes: vndè in somno pacis dormire merito dicuntur. Sed quia pacem patriæ, quam certò futuram habent in desiderio, quo præcipuè anguntur, nondùm possident de præsenti, vt Dominus hanc illis indulgeat, deprecamur. *Per Christum Dominum nostrum*, qui, vt notat Albertus, *defunctos in fide sua liberauit à locis pœnarum*: Per Christum Dominum nostrum; quia Eph. 5. *habemus redemptionem per Sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius*: qui, vti aduertit Origenes in cap. 27. Matthæi, *solus educit vinctos in fortitudine; & potest eos liberare*, idcircò inquiens, *circa mortuos magis eam pecuniam* (pretium scilicèt appretiati) *conuenisse expendi, quia pretium Sanguinis Christi erat*.

202 e *Nobis quoque peccatoribus* &c. *Pectus tundat*. Qui petijt huius Sacramenti, & Sacrificij, respectiuè, effectum pro omnibus sumentibus, & pro defunctis, qui iam sumere non possunt, *tertiò*, (prosequitur D.

Thomas, cui subscribit Bellarminus de Miss. l. 2. cap. 26.) *eundem petit quantum ad ipsos Sacerdotes offerentes, cùm dicit: Nobis quoquè peccatoribus &c.* Quæ etiã oratio in Liturgia S. Petri, alijsquè peruetustis non desideratur.

203 Hęc verba paululùm expressa voce, percusso pectore Sacerdos proferens, indicat ex Porrecta *hìc*, Innocen. & Durando contritionem, & confessionem Latronis in illo passionis Dominicæ articulo increpantis alterum: *Nos digna factis recipimus; hic autem quid mali fecit?* nec non dicentis ad IESVM: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum*; propter quod dixit illi IESVS: *Amen dico tibi: hodie mecùm eris in Paradiso*. Rursus ex eisdem, ac Duranto cap. 44. exprimitur, quod dicitur Matth. 27: *Centurio autèm, & qui cùm eo erant custodientes IESVM, viso terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valdè dicentes: Verè Filius Dei erat iste:* atquè vt dicitur Lucæ 23. *percutientes pectora sua reuertebantur.*

204 Pectoris aliàs tunsio, ac vocis eleuatio verbis consonant. *Eleuat vocem* (docet Magnus Albertus,) *& tundit pectus, quia tunsio, per hoc, quod ictus est, inferens afflictionem, significat satisfactionis laborem; per hoc, quod sonus est, cum sono vocis significat confessionem; per hoc autem, quod cum gemitu est, significat contritionis compunctionem. Nequè enim* (docet Augustinus in psal. 143.) *pectoris percussione ossa, sed ipsum nos cor conterere significamus, vt à Domino dirigatur, qui sanat contritos corde: propè enim est Dominus his* (alibi notat) *qui cõtrito sunt corde.* Item in tract. de doctrina Christ. cap. 20. *Erubescamus saltèm, confiteamur, & pectora tunda-*

mus:

mus. non vt super peccata nostra pauimentum solidemus: nàm qui tundit pectus, & non corrigitur, solidat peccata non tollit. Tundamus pectus, & cedamus nos, & corrigamur à nobis; Pectus ergo tundimus, quasi peccata intùs inclusa contundentes. vt idē ait Augustinus serm. 8. de verbis Domini secundùm Matthæum: *tundere pectus quid est? nisi arguere, quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum*; vt sic ad instar Publicani Lucæ 18. pectus suum percutientis, & dicētis. *Deus propitius esto mihi peccatori*, descendamus, vt ille, iustificati. Aliàs tandèm, vt post Eutymium notat Gauantus, se tunc Sacerdos ad flagella, & persecutiones paratum protestatur, vt Sanctorum fiat dignus consortio, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in Sanguine Agni.

205 Dicimus autèm *Nobis quoquè*: hoc est, quem in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, & pacis imploraumus, nobis etiam in hoc corporis ergastulo laborantibus, passionum tenebris obuolutis, in hac vita, quę est militia super terram, animi perturbationibus vexatis indulgeas. *Peccatoribus*; quia, etsi ex ministerij meritis sancti, ac dij nominemur, & simus, secundùm naturam tamen homines, peccatis cōsequenter obnoxij, & ipsi sumus, (vt Apostoli vsurpem verba *Heb.* 5.) circumdati infirmitate, atquè in necessitate constituti, quemadmodum pro populo, ità etiam & pro nobismetipsis offerre pro peccatis. *Si enim dixerimus, quoniā peccatum non habemus* (Ioanne teste ep. 1. cap. 1.) *ipsi nos seducimus. Nemo habet de suo* (dicitur in Concilio Arauxicano 2. can. 22.) *nisi mendacium, & peccatum: si quid autem habet homo veritatis, & iustitiæ ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac Eremo.*

206 Non verò comprehendit hæc vox eorum *abominationem pessimam stantem in loco sancto*, qui lethalis criminis sibi conscij hæc sacrosancta mysteria audent peragere; de quibus sanctus Petrus Damianus l.4.epist.14. *certè*, ait, *qui Dominicum Corpus pollutis tractare manibus non veretur, cruci figentium IESVM particeps esse conuincitur*; immò ex Augustino alibi cit. *grauius peccant*. Propterea D. Bonauentura de præp. ad Miss. c.4. ait. *Si hoc Sacrificiũ* (ex parte operãtis intellige, nõ ex parte operis) *suscipit Deus, audeo dicere mendax est, & socius peccatorũ*. De illis ergo sermo est, qui iuxtà Spiritus Sancti dictamẽ, de propitiato peccato nõ sunt sine metu, & qui cũ Apostolo 1.Cor.4. dicere possunt; *nihil mihi conscius sum*; & tamèn cum eodem fateri necesse habent, *sed non in hoc iustificatus sum*: seù cum Apostolo ipso Rom. 7. *Ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati*. Idcircò subditur, *Famulis tuis*.

207 Restat itaquè, vt nihil ex nobis, quasi ex nobis præsumentes, spe duce, fontem adeamus, *quem debemus sitire in hac Eremo*, de quo in psalmo: *secundũ multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*: vndè subdimus: *de multitudine miserationum tuarum* (quas in auxilia præuenientia, concomitantia, ac subsequentia distinguunt Theologi) *sperantibus*. Enim verò nonnisi per eas fieri potest, vt in eorum album referamur, de quibus Apostolus Col.1. *dignos nos fecit in partem sortis sanctorum*, atquè cum ipsis societatem vitæ, & beatitudinis eternæ in futuro assequamur, quibus nunc (vt notant Alcuinus, & Florus) sociamur per communionem fidei, quorum nunc memoriam veneramur, in quorum nunc communione,

&

& vnitate hæc diuina mysteria peragimus. Quò tendunt verba: *partem aliquam, & societatem donare digneris cum tuis Sanctis &c. donare digneris: quia gratia Dei vita æterna; & de suo nemo aliquid in bonis influit*, inquit B. Albertus *hic* cap. 17. versus adducens: *Quicquid habes meriti, præueniens gratia donat: Nil Deus in nobis, præter sua dona coronat.*

208 Consequenter subnectimus; *intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte*: hoc est, secūdū quæ habentur ex psalmo 102. redimas de interitu vitam nostram, corones nos in misericordia, & miserationibus &c. Non autem secundum peccata nostra facias nobis; neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.

209 Neque est, cur prædictæ petitionis modum improperet Lutherus, quod dicitur, *partē aliquam, & societatem donare digneris*, non capiens, quomodo à Deo, qui est omnia in omnibus salus, & præmium, & gloria singulorum, non omnes sint eundem denarium accepturi. Enim verò ipse Dominus ait Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*: hoc est, vti iam docuerat Innocentius III. *l.* 5. *cap.* 8. licèt vnū & idem sit præmium singulorum, videlicet ipse Deus, in cuius cognitione salus æterna consistit, Io: 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & hunc, quem misisti IESVM Christum*; tamèn secundum differentiam meritorum magis, & minùs gloriæ lumine ditati diuina visione fruūtur: eo exēplificatiuè modo, quo Sol cùm vnus sit, eius lumine diuersimodè vniuersi participant, secundum differentiam intuentium.

210 Sanctorum verò consortium, ac præmij participationem potiùs quàm merita, & patrocinium in

in hoc poſteriori catalogo, ad prioris differentiam, memoramus; quia Mediator IESVS iàm Sacramentalitèr præſens eſt, cuius meritis Sanctorum illa in infinitum exceduntur; ac ideò vix apparent, vix diſcernuntur: Stellæ hi, quæ fulgebunt in perpetuas æternitates; Sol ille iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

211 Cæterùm vtriquè Canonis parti Sanctorum congruit memoratio, vt tanquã cæleſtes aulici, præeũtes illi, ſubſequentes iſti, Regi noſtro obſequium comitatus perſoluant, & vtrobiquè adſint Virgines, quæ *ſequũtur Agnum, quocunquè ierit*. Huius ritus ſpecimen præceſſit in Sacerdote legali, qui & in logio, & in ſuperhumerali ſcripta Patrum nomina habebat, vt notat poſt Eduenſem cap. 18. Durantus *hic*, immò Hidelbertus Cenoman. ab anno 1092. cecinerat.

Nos etenim gerimus logion, cùm nomina Patrum
Circà principium Canonis exprimimus.
Nos humeralis onus gerimus, cùm nomina Patrum,
Hac in parte ſacri Canonis inſerimus.

212 Ex Sanctis, quos memoramus, quidam Apoſtoli ſunt, *non à Deo*, notat B. Albertus, *ſed potius ſorte, vel ſigno aliquo Spiritus Sancti electi*: omnes verò martyres ſunt (vndè addimus, *& martyribus*) in Fidei teſtimonium Chriſti *paſſionis ſocij effecti*. Plura, quæ huius etiam tituli ſunt, adducta habes *tit.* XIX. *litt. I. num.* 69. *& infrà per totum*.

213 Quindecim autem in hoc ſecundo ordine, ex perpetuſta traditione, vt ibidem diximus, ob id recenſeri dici fortè poteſt, quod Chriſtus IESVS, cuius illi, vt loquitur Apoſt. 1. Cor. 5. *paſſionis ſocij effecti cõfigurati ſunt morti eius*, totidem horis fuit in triſtitia, à totidem, & in totidem locis, & in totidem partibus

ſui

sui Corporis, & per totidem instrumenta passus est, vti in re alia obseruauit Michael de Insulis *de Frat. psalt.* Verùm D.Thomas *opusc.66.* quindecim ideò nominari affirmat, *vt per virtutem Sacramenti, quod tractamus, & offerimus, eorum adiuti precibus, & meritis quindecim charitatis gradus ascendamus, & inuicti ad Sanctorum consortium transeamus.* Et ex his octo viri, septem mulieres computantur, *quia per hoc Sacrificiũ* (ait post Honorium *in gemma animę* Durandus l. 4. cap.46.) *septem charismata gratiarum, & octo beatitudines iunguntur in nobis.*

214 Primus, qui recensetur, est Ioannes, quem esse Euangelistam cum Durando *hic* censent nonnulli, bis asserentes in Canone nominari, ob duplicem prærogatiuam, Apostolatus, in quo præ cæteris dilectus suprà pectus Domini in Cæna recubuit, & Virginitatis, quæ indè maximè commendatur, quia Christus in Cruce Matrem Virginem Discipulo virgini commendauit, ideòquè & Stephano hic associari propter priuilegium cælibatus. Cæterum B. Albertus, cui subscribit communius Liturgicorum placitum, non bis eundem, sed in primo ordine Euangelistam, in hoc secundo Baptistam censet nominari; prout expresè post consecrationem Baptista nominatur in Liturgijs SS.Basilij, & Chrysostomi.

245 Et quidem meritò hic post Consecrationem locus Ioanni Baptistæ reseruatur, quando iam realiter Agnus præsens est, quem ille digito meruit demonstrare: *Ecce qui tollit peccata mundi,* quorum veniam hoc loco petimus. Præterea cęlestis regni gloriam *hic* expostulamus: *à diebus autem Ioannis* (legitur Matth.11.) *Regnum Cælorum vim patitur,*

&

& violenti rapiunt illud.

216 Quod autem Stephanus Ioannem sequatur, ideòquè Matthię pręponatur, indè est, quod ordo martyrij, non dignitatis, seruatus est. Ratio namquè martyrij potissimùm meritò attenditur, vbi recolitur memoria passionis eius, cuius socij illi effecti sunt, dum lauerunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni,

217 Nequè etiam miremur, non in primo cum cæteris Apostolis, sed in hoc potiùs ordine Matthiã collocatum, quia post Christi passionem, & mortem *sorte electus est* (vt dicitur act. 1.) *in Apostolum, vt abiret in locum, de quo præuaricatus est Iudas, vt esset testis resurrectionis Christi*: Nequè enim priuilegio Pauli Matthias gaudet, quod est nunquàm à Petro disiungi.

218 Sequitur *Barnabas*, qui etiam signo, quod dedit Spiritus Sanctus, segregatus est in officium Apostolatus: hic primus cum Paulo fuit Apostolus gentium, & ideò à gentium reliquijs specialitèr honorandus, de quo Isai. 49. *dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsquè ad extremum terræ*. Et *Ignatius*, qui gloriosissimus fuit martyr contemporaneus Apostolorum, pedissequus Beatissimæ Virginis, cuius etiã Cappellanus fuit, atquè in multis epistolis encomiastes; qui, vt scribit Dionysius, in ore aliud non habuit, nisi: *Amor meus Crucifixus est*; eiusquè cor cum partibus multis diuisum esset, nomen IESV in singulis partibus aureis litteris scriptum inuentum est: hæc ex B. Alberto *hic cap.* 17. vbi & reliquos Sanctos suis prosequitur laudibus.

219 Intermiscetur huic orationi solita clausula.

Per

Per Christum Dominum nostrum, quia ipse dixit: *nemo vadit ad Patrem, nisi per me*. Ipse enim, vt habetur Ioã: 10. est Pastor ouium, & ouilis Ostium, per quem qui introierit, saluabitur; & per quem quisquis non ingreditur, sed ascendit aliundè, condemnabitur. Ipse est, per quem nobis ostium illius iucundissimi ouilis, dico regni cælestis, patefactum fuit ad introitum; quod fuerat clausum, vsquè dum veniret Pastor ipse bonus, qui pro ouibus animam ponens, & vitam, sui sanguinis effusione, caularum patefecit introitum.

220 e *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas &c. Ly per quem* connectitur clausulæ immediatè antecedenti, *Per Christum Dominum nostrum*; idcircò, ex rubrica, *Amen* interponi non debet, vti notant Biel.*cap*.60. & Gauantus *hic*. Argumentum hinc est, non finiri, sed omninò continuari orationem. Meritò ergo D.Thomas, cui consonat Durandus, non hanc tamquàm distinctam Canonis partem considerauit.

221 *Hæc omnia &c*. Card.Bona *rerum liturg.lib.*2. *ca*.14. multus est in probando, morem antiquis fuisse, post vltima verba antecedentis petitionis, nouas fruges, aut quælibet alia humanis vsibus inseruientia ante Altare collocari, àtque à Sacerdote benedici; & terminata benedictione solita clausula, *per Christum Dominum nostrum*, verba subnecti, *per quem hæc omnia Domine semper bona creas &c*. quæ proindè ex Luca Dacherio *in præfatione ad lect.tom*.4.*sui spicilegij*, non solum referebantur ad Oblata, sed etiam ad res tunc benedictas, quas omnes Deus, semper, idest continuò, creat, siuè producit, per Christum, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil: quæ licèt in se bona sint, & vt dicitur Gen.3. *valde bona*, adhùc tamen

mèn Dei benedictione indigent, humanis vsibus pro futura.

222 Huius rei historiam non inficiabitur quisquis non ignorat, hanc maioribus nostris religionem fuisse, vt benedictiones, & quæcumquè sacræ, & Ecclesiasticæ functiones intrà Missarum solemnia peragerentur; haud ignaris, omnium vltimam perfectionem, ac consummationem Eucharistiam esse, à qua vim energeticam, & sanctitatem accipiunt. Siuè fędus sanciendum foret, siuè ineunda concordia, siuè aliquid Deo offerendum, siuè hæretici excommunicandi, siuè Sanctorum natalitia, alięquè festiuitates denunciandæ, siuè indicenda ieiunia, & litanię, siuè reconciliandi pænitentes, siuè imponendæ manus super initiandos, siuè Episcopi consecrandi, siuè Reges inũgendi, siuè Chrisma conficiendum; hęc, & alia eiusdẽ generis, quorum iàm plura, tepescente feruore, paulatim à Missa, ne prolixior euaderet, seiuncta sunt, ab Eucharistia auspicari olim solebant, nec quidquam sine Sacrificio rectè institui existimabant.

223 Cæterùm, quod ad rem nostram pertinet, certo certius est, hæc verba, & si quæ alia sunt, ex peculiari aliqua ratione, & contingentia Missæ adiecta, ea cessante, adhuc ab Ecclesia post plures Missalis recognitiones iure optimè merito retenta fuisse; quoniam in ipsis optimas alias congruentias, altissimaquè mysteria agnouit, sicuti in casu nostro, vt mox dicemus.

224 f *Creas, sanctificas, viuificas, benedicis, & præstas nobis*. In his vltimis sacri Canonis verbis, rhetorum more, in Epilogum rediguntur, quæ vsquè hùc in Missa actitata sunt magnalia Dei. Nam ly

creas

creas refertur ad panem, & vinum materiam remotã Sacrificij; *sanctificas*, ad eadem Deo oblata in Offertorio; *viuificas* ad ipsa in Consecratione transubstantiata in Corpus, & Sanguinem Christi; *benedicis*, ad illamet causantia cæleſtem in nobis benedictionem; *& præstas nobis*, ad eadem in Communione sumenda. *Creas* itaquè, vt sint, *sanctificas* tibi deputando, *viuificas* animando, *benedicis* accumulando gratiam, *& præstas nobis* communicando, vt Christus in nobis sit, & nos in Christo.

225 Vlterius commendatur per hæc verba (ex „ D. Thoma *Opusc. 66.*) Persona Filij per multipli- „ cem potestatem, ostendendo, eum esse primò Deũ „ naturæ, secundò Deum veniæ, tertiò fontem vitæ, „ quartò Regem gloriȩ. Prima potestas est, quia „ potest omnia ex nihilo creare; secunda est, quia „ potest peccata dimittere; tertia est, quia potest „ gratiam, & virtutem dare, & augere; quarta, quia „ potest emendatos, & perseuerantes in bono, glo- „ ria, & beatitudine coronare. *Et per quem Domine* „ *hæc omnia semper bona creas*; ecce Deus naturȩ; „ *sanctificas*, ecce Deus veniæ; *viuificas*: ecce Deus „ Fons vitæ, & plenitudo virtutis, & gratiæ; *benedi-* „ *cis*: ecce Rex corona æternæ gloriæ.

226 Eisdem prætereà verbis commendatur, ex eodem D. Thoma *ibidem*, Pater, dicendo *hæc omnia Domine*, Filius, *per quem creat, sanctificat &c.* & Spiritus Sanctus, per multiplicem largitatem, vbi dicimus, *& præstas nobis*.

227 Has, & alias, quas in gratiam breuitatis omitto, rei, quæ agitur, mirè quadrantes expositiones, ignorauit animalis homo. Lutherum dico, qui verba

verba ista calumniatur, quasi Christum nos creare existimemus.

228 Dicta autèm verba memorat S. Cyprianus *serm. de Cœna Domini.* Et mentiri Lutheri discipulum Kemnitium asserentem, eadem ante Consecrationem olim collocata, ex errore fuisse postposita, ex omnibus vetustis exemplaribus, ex Alcuino, Amalario, & quotquot sacrum Canonem exposuerunt, manifestum fit.

229 g *Totum Sacrificium tribus vicibus signet. Sextò* (Crucium expositionem prosequitur D. Thomas ar. 5. ad 3.) *repræsentatur triplex oratio, quam fecit Christus in Cruce, vnam pro persecutoribus, cùm dixit:* Pater ignosce illis; *secundam pro liberatione à morte, cùm dixit:* Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? *tertia pertinet ad adeptionem gloriæ cum dixit;* Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. *Et ad hoc significandum fit trina Crucesignatio super illa verba,* sanctificas: viuificas, benedicis.

230 Ad, *creas*, verò omittitur signum Crucis, quia, ex eodem D. Thoma opusc. 66. natura humana ex prima ratione creationis pollebat naturali ratione, gaudebat arbitrij libertate, per se autem non poterat stare, nec proficere sine gratia adiutrice, & sanctæ Crucis virtute, per quam sanctificatur, viuificatur, benedicitur. *Sanctificatur*, hoc est, ex Porrecta, per Christi Crucem, & passionem peccatorum remissioné consequitur, indè gratiam Diuinam, per quam *viuificatur*, ac demùm gloriam æternam, per quam *benedicitur*, quod est in statu constitui, omnium bonorum aggregatione perfecto.

231 Ex Magno, quoquè Alberto *hic cap.* 18. rationem

tionem alteram habemus, cur duo verba *creas, & præstas*, Crucis signatione destituantur: sed nolo cętera præterire, quæ ad rem hanc totam ex eodem habemus. Dicit itaque: *Per quem*, sicut mediatoré,
„ qui se rem facit tanti Sacramenti, *hæc omnia*, tàm
„ de frugibus oblata, quàm de eis, qui in Sacramen-
„ ti offeruntur oblatione; *semper*, vt omni tempore
„ offerri possint, *bona*, quia, quæcunquè sunt à bono,
„ bona sunt Gen. 1. *vidit Deus omnia, quæ fecerat, &*
„ *erant valde bona, creas* per naturam, quã instituisti,
„ & ideò culpa carent: dicit enim Augustinus; quia
„ bonus est, sumus; & in quantum sumus, boni sumus;
„ sicut enim dicit Dionysius, boni est, optima addu-
„ cere. Et quia ista bonitas creaturæ indita est om-
„ ni creaturæ, ideò nulla Crux fit super hoc verbũ.
„ Hæc autem, quæ ad fructum omnium, te optimo
„ Deo, creata sunt, in Sacramento *Sanctificas*, dùm
„ idonea facis ad sanctitatem Sacramenti, 1. Tim. 4.
„ *Sanctificatur autem per verbum Dei, & orationem; vi-*
„ *uificas*, quia transubstantias in Corpus viuum, &
„ gloriosum, & Diuinum. Ezech. 47. *Et omnis anima*
„ *viuens, quæ serpit, quocunque venerit torrens, viuet.* Sic
„ enim dicit Filius Dei, qui habet vitam in seme-
„ tipso Ioan. 14. *Ego viuo, & vos viuetis*; & Ioan. 10.
„ *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt*: ergo, quo-
„ ad speciem Sacramenti, sanctificat, quoad rem autẽ
„ contentam, quæ est Sacramenti res, *viuificat*, quæ
„ est Corpus Christi verum, & viuum, quod de Vir-
„ gine traxit: quo ad rem autem Sacramenti, *bene-*
„ *dicis*, quia hæc est res contenta, & significata, om-
„ nibus præstans gratiam, Psal. 128. *benedictio Do-*
„ *mini super vos, benediximus vobis in nomine Do-*

„ *mini*: quoad liberalitatem dantis hoc Sacrificium
„ dicit, *ac præstas nobis*; ipse enim paratus est dare
„ omnibus omnia superabundantiùs, quàm petimus,
„ aut intelligimus, quia ipse ex liberalitate sua lar-
„ gitor est omnium bonorum. Hęc igitur sunt ex
„ parte Sacramenti. In omnibus autèm his, præter-
„ quàm in primo, quod facit Deus ex se sine nobis, &
„ prçter vltimum, quod iterùm facit Deus propria
„ bonitate, fit Crux, vt virtus Crucis intelligatur
„ facere: & quod hæc virtus à primo perfectore san-
„ ctitatis intelligitur procedere in Sacramentali-
„ bus, psal. 144. *aperis manum tuam, & imples omne*
„ *animal benedictione*: libera enim manu largitur
„ suas benedictiones.

232 h *Eam accipiat*, hoc est Hostiam, non omninò à parte inferiori, sed aliquantulum infrà medium. Et, in formandis Crucibus, Hostiæ partem, in qua impressa extat Crucifixi figura, vniformitèr versus se continuò retineat: ita Romani ritus expositores *in hanc rub.*

233 l *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso.* Huiusmodi verba habentur etiam apud S. Ambrosium *l. de Sacram. cap.* 5. nec non in Liturgia græca S. Petri, & desumpta videntur ex Apostolo ad Rom. *c.* 11. *in fine*.

234 *Per ipsum*: hìc tangit) prosequitur Ma-
„ gnus Albertus) Trinitatis in Sacramento in-
„ diuisas, & tamèn appropriatas operationes. Pri-
„ mò autem tangit operationem, quæ est Filij,
„ quando dicit, *Per ipsum*, quod notat causã mediam;
„ mediator enim vnus est Dominus IESVS Christus
„ 1. Tim. 2. *Cum ipso*, hoc attribuitur Patri, qui cum
„ Filio semper operatur redemptionis opera, vt in-

,, ter Patrem, & Filium consensus notetur; sicut ipse
,, dicit Ioan. 5. *quæcunque Pater facit, hæc & similitèr*
,, *Filius*; vndè dicit etiam Ioan. 14. *Pater autèm in me*
,, *manens ipse facit opera. In ipso*, dicit propter Spiri-
,, tum Sanctum, quia in illius bonitate omnia perfi-
,, ciuntur opera, & dicitur *in ipso*, propter continen-
,, tiam; vndè Rom. 11. *quoniam ex ipso, per ipsum*, &
,, *in ipso facta sunt omnia; ipsi honor, & gloria in sæcu-
la sæculorum*. Hæc ille. Breuius exponi aliàs, cum Innocentio l. 5. cap. 9. & alijs, illa verba sic possunt: *Per ipsum* tanquàm per mediatorem; *cum ipso* tanquàm cũ coæquali; *in ipso* tanquàm in consubstantiali. In Patre quippe notatur auctoritas, in Filio çqualitas, in Spiritu Sancto communitas. Auctoritas in Patre, propter principium; æqualitas in Filio, propter medium; Communitas in Spiritu Sancto propter consortium.

235 Plana magis altera Soti expositio fortassè est: *Per ipsum*, scilicèt Christum, per quem tanquàm per Sapientiam cuncta creasti, & per quem Filium nos redemisti, *est tibi honor, & gloria*; nàm si mundum non creasses, & redemisses, nulla tibi gloria ab hominibus proueniret. Idem autem honor est tibi *cum ipso*; nàm ipse ait: *omnia tua bona sunt*; quicquid enim Pater possidet, Filius possidet, idemquè honor, & gloria est tibi *in Filio*, iuxtà illud: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Itaquè quicquid Deus facit, facit *per Filium*, & possidet *cum Filio*, & consummat *in Filio*.

,, 236 *Per ipsum* deniquè, ex D. Thoma opusc.
,, 66. intelligitur creatio; in eo, quod dicitur *cum*
,, *ipso*, intelligitur operatio; in eo quod dicitur *in*
,, *ipso*, intelligitur conseruatio. Per Filium enim Pa-

„ ter creauit,& creat vniuersam creaturam, cum Fi-
„ lio Pater &c. Cum Spiritu Sancto regit, & dispo-
„ nit,& conseruat,vndè dicitur:*est tibi Deo Patri om-*
„ *nipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis bonor,&*
„ *gloria.*

236 l *Tres Cruces super Calicem formet, & duas alias &c. septimò*(prosequitur D. Thomas)*repræsentantur tres horæ, quibus Christus pependit in Cruce, scilicèt à sexta vsquè ad horam nonam, & ad boc significandum fit iterùm trina Cruce signatio super illa verba*, per ipsũ & cum ipso, & in ipso. Et in eo, quod Palla tunc à Calice fuit remota, Velum Templi, cum Innocentio lib. 5. cap. 10. & Durando *hic*, agnosce, scissum à summo vsquè deorsum: nec non apertum, quod de Christo Domino iam scriptum, hactenùs clausum erat; sicut dicitur de quibusdam Luc. 18. *Et illud verbum erat absconditum ab eis*, vbi consũmatum etiam reuelatum est. Nam lignum, (Exod. 15.) missum in Marath aquas dulcorauit amaras. *Octauo autem* (subdit D. Thomas) *repræsentatur separatio animæ à corpore per duas Cruces subsequentes extrà Calicem factas*. Cum enim, vt notat Innocentius *lib. 5. cap. 9.* ex tribus substantijs, quæ sunt in Christo, duæ tãtùm, scilicèt Corpus, & anima fuerint in morte diuisæ, diuinitas à neutra illarum, meritò non tribus Crucibus, sed duabus mors Domini designatur.

237 m *Primam exterius, secundam intrà Calicem, tertiam profundius, quartam ante labium Calicis, quintam ante pedem Calicis in imo.* * Ritum hunc nostrum, cui assimilatur Carmelitanus, Paris Crassus apud Gauantum *part. 2. titul. 9. num. 3. litt. H.* ab omnibus practicandum senserat. Eundem recen-

set,

fet, ac laudibus effert Durandus *lib. 4. cap. 46. nu. 18.* in prima, subdens, significari, quod Deus est extrà omnia non exclusus; in secunda, quod Deus est super omnia non elatus; in tertia, quod est inter omnia non inclusus; in quarta, quod omnia, quæ in missa aguntur, in fine nobis ante oculos ponentur; in quinta, quod Deus est super omnia non compressus, seù prostratus. Vlterius idem Durandus ibidem, *dictæ tres Cruces*, addit, *significant tres cruciatus, quos Christus sustinuit tribus temporibus, videlicèt ante mortem, alapas, flagella, sputa, & huiusmodi: in morte crucifixionem: & post mortem lateris perforationem. Prima* (extrà Calicem qui Christi crucem, & passionem significat, vt alibi dictum est) *significat primum: secunda* (intrà Calicem) *secundum: tertia* (profundiùs) *tertium. Quarta verò* (ante labium Calicis) *separationem animæ a corpore Christi:* quinta (ante pedem Calicis in imo) *descensum in Limbum, vel cruciatum in pedibus.*

238 * Rursus ritum hunc nostrum memorat etiam Alexand. 4. *p. qu. 37. membr. 3. ar. 3.* docens, per tres primas Cruces significari diuturnitatem, acerbitatem, & integritatem passionis. *Sed profectò nescio* (inquit Sotus hìc ar. 5. §. 7.) *cur Crux diuturnitatis fiat altior, quàm aliæ. Mysterium ergo* (prosequitur) *nullum, vt conÿcio, est aliud, quàm quod, cùm Calix illic significet Crucem, prima crux super Calicem significat eleuationem Christi in Crucem, secunda, qua tanguntur labia Calicis, quod eidem fuerit Cruci affixus; & tertia intra Calicem, quod fuerit verè mortuus, & sepultus.* Consequenter, ex eodem Soto ibidem §. 8. *duæ Cruces exteriores nihil circa Christi passionem significant, sed quia fiunt in inuocatione Patris, & Spiritus Sancti, qui*

non sunt passi in Cruce, fiunt extrà Calicem: & vltima in imo fortaſsè fit, quia Spiritus Sanctus miſſus eſt in Mundum.

239 Sed ſtemus cum Porrecta *hic* in doctrina mox adducta D.Thomæ. *Per tres cruces*, ait S.Doctor *repræſentantur tres horæ, quibus Chriſtus pependit in Cruce:* fiunt ergò deſcendendo; quia Chriſti IESV tenerrima caro, clauis dilacerata, de hora in horam magis, ac magis, ſuo deorſum pondere trahebatur. Quia verò anima ſanctiſſima Chriſti extrà Corpus per realem ſeparationem fuit, atquè ad inferora deſcendit, extrà Calicem duę aliæ (quarum altera in imo fit) cruces, quæ ex eodem ibidē D.Thoma, hanc diuiſionē denotant, peraguntur. Et tunc Sacerdos dicens: *eſt tibi Deo Patri omnipotenti omnis honor, & gloria*, noſtræ opus ſalutis per Chriſti mortem conſummatum portendit, quod in Dei gloriam redundat. Plura de hoc noſtro ritu habentur in opuſc. *66.* eiuſdem Doctoris Angelici. Ritu verò Romano fiunt Cruces ter à labio ad labium Calicis, bis inter Calicem, & pectus incipiendo à labio Calicis. Optimè quidem. Cùm namquè Calix paſſionem Chriſti deſignet, Sacerdos ſic faciens has Cruces cum Hoſtia ſuper Calicem, ſignificat, quod ſuper patibulum tres cruciatus ſuſtinuit, paſſionem in corpore, propaſſionem in corde, compaſſionem in mente: ita Innocētius III. l.5. c.10. Durandus *loc. cit.* Duæ alteræ deſignant duo Sacramenta, quæ de latere Chriſti profluxerunt, videlicèt aquā regenerationis, & Sanguinē redemptionis &c. Fuſim de his Durandus; & alij plures Rom. Miſſalis expoſitores.

Superſtat dubium, quoad ritus noſtri praxim,

xim,an duæ postremæ Cruces formandæ sint inter Calicem, & pectus,hoc est ducendo Hostiam versus se,vti fit Ritu Rom.an potius à summo deorsum, vti faciunt Carmelitæ?Et quidē ex B.Alberto *hic ca.*13. & Durando l.4. cap.18. hoc potius secundum an. à quo nostro ritui conforme suadetur ; accedunt & quædam aliæ coniecturæ: sed hæ, atquè illę tanta vi non præpollent, vt satius non existimem,legitimum expectare iudicium, & interim non discedere à generali regula,quæ est, rubrica nostra non satis clarè loquente,Ritui nos vniuersali accommodare. * Hac nacta occasione addere non omitto, modernos Calices,præsertim inter nos Italos, scyphum nonnunquā adeò angustum habere, vt,facta prima Cruce à labio ad labium eiusdem, secundæ, & tertię magis,ac magis profundè peragendis locus non sit: epicheia ergo tunc seruata, pro sua quisquè prudentia,rubricam mysterijs onustam ità adimpleat, vt Hostiæ cautum sit,ne fragmenta ex ea fiant.

241 n *Reuerentia capite aliquantulum exhibita*: * intellige post depositam Hostiam,in prolatione verborum,*omnis honor, & gloria*. * In quo obsequij argumento,Christo iàm mortuo,fortasse repręsentare intendimus viginti quatuor Seniores Apocalypsis 5.qui dum Agno dabatur *benedictio,& honor,& gloria & potestas in sæcula sæculorum &c. ceciderunt in facies suas,& adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum*; eum scilicet,de quo ibidem præmittitur: *Dignus es Domine accipere librum, & soluere signacula eius;quoniam occisus es,& redemisti nos Deo in sanguine tuo*;& infrà: *Dignus est Agnus,qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem,& sapientiam,& honorem,& gloriam,& benedi-*

ctionem. Consonant his & verba, quæ alta voce subduntur, *per omnia sæcula sæculorum;* nec non quæ illis premittitur genuflexio.

242 Ritu Rom. ex Ordine Romano Sacrificium parumpèr eleuatur ad idem, *omnis honor, & gloria; quæ in exaltatione Calicis, & Hostiæ manifestantur,* vt ait Gauantus *in hanc rub.* De huiusmodi eleuatione, prout proponitur à Micrologo cap. 18. Durandus *l.4. c.* 46. post Innocentium l.5. cap. 10. *Sacerdos,* ait, *eleuãs, Nicodemum repræsentat; ipsa eleuatio Christi depositionem de Cruce, depositio collationem in sepulchro demonstrat.* * His verò ritu nostro suppletum fortassè dici potest, per tres dictas cruces diuersimode factas, nàm, vt innui ex Soto, prima altior Christum portendit Cruci affixum, secunda demissa è Cruce depositum, tertia profunda in Sepulchro collocatum.

243 o *Calicem cooperiat.* Et quia (subdit *loc. cit.* Innocentius III.) *Ioseph ab Arimathia*, qui cum Nicodemo impetratum à Pilato corpus IESV sepelierat, *aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, Diaconus,* (Sacerdos in Missis priuatis) *super os Calicis Corporale* (Pallam modo) *reponit.* Consequenter, ex Innocentio contrà Hugonem Vict. alibi allegatum, nonnisi hìc Calix Sepulchri, & Palla Lapidis sepulchralis officio funguntur. Innocentio concordat Micrologus *cap. 16.* addens, tres dies, quibus Christus Dominus iacuit in sepulchro, per tres orationum sequentes articulos significari.

244 p *Per omnia sæcula sæculorum*, est postremæ orationis, & quodammodo totius Canonis conclusio, cui respondens populus *Amen*, ostendit se assentire, ac sua voce ratas in totum facere, quas secretò ad

Deum

Deum preces Sacerdos effudit: vti dictum est *nu.19* cum D. Thoma *hic* ad *6.* cui subscribit Bellarminus de Miss.*l.2.cap.36.*

245. Finit *hic* Canon, iudicio Magni Gregorij, Alcuini, Amalarij, B. Alberti, Soti, aliorumquè communiùs. Propterea subdimus, *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, quasi denotantes introitum ad aliud officium; hoc est ad *postulationes*, tertiam Missæ partem, de qua Apostolus 1. Tim. 2. vti cum glossa insinuat D.Thomas 2.2.q.83.ar.17.*in o.*

246. Quod autem hæc verba palam Sacerdos enunciet, causa litteralis est, vt finis Canonis populo, de cuius etiam interesse actum est, innotescat; mystica vero est, ex Soto, vt secundnm Christi IESV regressum ad discipulos, piæ meditationis gratia, insinuet, exhortantis eos, vt vigilarent: seù, ex Durando, vel quia IESVS *clamans voce magna tradidit Spiritũ*, vel quia Centurio clamauit: *Verè Filius Dei erat iste*. Sed consecutiuè, & ordinatim procedendo, vti populus respondens *Amen*, cum Innocentio III. ac Durando *loc. cit.* ad fideles mulieres referri potest, flentes Dominum, velut quondam Abel inuidi fratris furore occisum parentes eius lamentabantur, sic Sacerdos proponens, ad viros Lucæ 24. alludit, Mulieres mente consternatas de isto alloquentes: *Recordamini, qualitèr loquutus est vobis, cùm adhùc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.*

TI-

TITVLVS XXV.

De Oratione Dominica, & eam præcedente præfatione: *Præceptis salutaribus* &c. atquè subsequente embolismo: *Libera nos quæsumus &c.*

RVBRICA.

Ad, Per omnia &c. *manus super Altare planas dimittat, & teneat ad*; Dominus vobiscum. *a* Oremus. Præceptis salutaribus moniti &c. b *Eleuet, & brachia aperiat ad*, c Pater noster &c. d *Dicto à ministro*; Sed libera nos à malo, e *submissè respondeat, Amen.* Dicat, f Libera nos quęsumus &c. *Ad*, da propitius pacem, *demissa sinistra super Altare, dextera* g *capiat Patenam, &* h *signet se Patena ipsa, tãgendo frontem, & pectus, posteà sinistram pectoris partem, deindè dexteram; posteà osculetur Patenã, & mox ipsam super Altare deponat, seorsum à Corporali.*

NO-

NOTÆ.

1 a ORemus. *Præceptis salutaribus moniti. Deindè* (suam Missæ expositionem D. Thomas prosequitur) *agitur de perceptione Sacramenti; & primò præparatur populus ad percipiendum*, (spiritualitèr saltèm, de quo suo loco.) *Primò quidem per Orationem communem totius populi* (qua ratione ex Amalario *l. 3. off. cap. 29.* eam Sacerdos alta voce enunciat) *quæ est Oratio Dominica, in qua petimus, panem quotidianum nobis dari*: supersubstantialem, hoc est Christum panem viuum, sub specie panis visualis, vt explicat idem D. Thomas *2. 2. q. 83. ar. 9. in ò. Nè verò temerarius iudicetur* (inquit B. Albertus hic cap. 19.) *in tanta rei petitione, allegat obligationem præcepti* (præceptis salutaribus moniti,) *& doctrinæ ostendit institutionem, seù instructionem Diuinæ*, (& diuina institutione formati,) quæ ad petitionem Discipul. Lucæ 11. *Domine doce nos orare*, viuę vocis Oraculo, *de libro iuris cælestis* (vt loquitur Isidorus) à Domino tradita, *instruxit* (subdit Albertus) eos, & *nos, vt sciamus petere, quæ sunt ad salutem*: seù, vt loquitur Cyprianus, *qui nos fecit viuere, docuit & orare*.

2 Quis pręptereà se ipsum degenerem Dei Filium in tantum non agnoscit, vt Deum Patrem cum Christo compellare auderet, non præcepto monitus, non diuina institutione formatus? Sanè *illud nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere*, inquit S. Cyprianus *tract. de orat. Domin.*

3 S. Cypriano proindè hæc præfatio fertur accepta,

ean-

Eandem tangit & S. Hieronymus l.3. contrà Pelagianos, *sic docuit Apostolos suos, vt quotidiè in Corporis illius Sacrificio, audeant loqui : Pater noster.* Vndè Magno Gregorio antiquior creditur:& saltem vetustiorem esse, quàm plerique arbitrantur, indubium ex eo fit, quod illius meminerunt S. Bernardus *lib. de amore Dei cap.* 7. Alcuinus, Amalarius, Odo, & Florus *hìc*.

4 *Oremus ergo* (hortatur ibidem Cyprianus) *oremus fratres carissimi, sicut Magister docuit,* (& iussit) *& quid mirum? Amica, & familiaris oratio est, Deum de suo rogare, ad aures eius ascendere Christi orationem. Agnoscat Pater Filij sui verba, cùm precem facimus, qui habitat in pectore, ipse sit & in voce.*

5 b *Eleuet manus, & brachia aperiat*. In Præfatione ad Orationem Dominicam manus super Altare iussus demittere, nunc iam attollens, mente simul eleuata recogitet, per fidem, ac spem operosam aditũ esse ad *Charitatis Sacramentum*: ità panem Eucharisticum D. Thomas appellat. Rursus erudiamur, accessum ad Deum Patrem, quem manuum indicat eleuatio, patere nonnisi per Mediatorem Christum, in Altari per manuum depositionem significatum ; per quem accepimus, vt inquit Apost. Rom. 8. *spiritum adoptionis filiorum Dei*.

6 c *Pater noster &c.* Euangelica hæc, quia à Christo Domino composita, & edocta, *Dominica*, passim à Sanctis Patribus appellatur ; *legitima, & doctrinæ cælestis compendium* à Tertulliano; *cælestis; omniũ plena virtutum ; omnes species orationis comprehendens*, ab Augustino; *Sermo abbreuiatus* Isaiæ 10. à Cypriano; *Breuiarium totius Euangelij*, ab eodem. Sic alia ab

alijs

aliis encomia sortita est, qualia orationem decent, quæ inter cæteras tenet fastigium, auctoritate, breuitate, perfectione, vtilitate, efficacia, & denique necessitate. Singillatim de his Durantus l.2.cap.46.

7 Quod attinet ad efficaciam, qua Eucharistiam dignè sumpturi potissimum indigemus, cum gloriari oratio hæc possit Eccl.24.*ex ore Altissimi prodiui: ecce dabit* (psal.67.) *voci suæ vocem virtutis. Cùm dicat*, (ait Cyprianus loc.cit.) *quia quodcunque petieritis à Patre in nomine meo dabit vobis; quanto efficaciùs impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus eius oratione*? Enim verò, vt elegantèr Tertullianus de Orat.Domin.*ab ipso ordinata religio orationis, & de spiritu ipsius iàm tunc cùm ex ore Diuino ferretur animata, suo priuilegio ascendit in Cælum, commendans Patri, quæ Filius docuit.*

8 In eo autem signantèr efficax est, &, vt loquar cum D.Thoma, ad percipiendum Sacramentum præparatoria, quod delet peccata venialia, ex Concilio Toletano 4.cap.9. & ex communi Patrum sensu. *De quotidianis* (docet Augustinus in Enchirid. ad Laurent.cap.7.) *leuibusquè peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Oratio satisfaciet.* Et paulo post. *Delet omninò hæc oratio minima, & quotidiana peccata: delet & illa, à quibus vita fidelium, scelerate etiam gesta, sed pænitendo in melius mutata discedit.*

9 Vetus verò, & Apostolica est consuetudo, vt Oratio Dominica super Christi Corpus recitetur. Id proposuisse Apostolum dum dixit 1. Tim.2. *Obsecro fieri &c. postulationes*, insinuat D. Thomas 2.2.q. 83.ar.17.in ò, & apertè Augustinus, *pluries citata epist. 59.ad Paulinum*, explicans ea Apostoli verba, *quam totam*

totam, ait, petitionem (idest Canonem) *omnis Ecclesia Oratione Dominica concludit.* Et hoc fuisse Christi Domini documentum enarrat Hieronymus *loco paulò ante allegato: Sic docuit Christus Apostolos suos &c.* Magnus etiam Gregorius lib. 7. Regesti epist. 63. ait: *Orationem Dominicam idcircò mox post Precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodò* (hoc aduerbium, ex Bona *hic*, aut irrepsit in textum Gregorij, aut restringendum est ad alias orationes, quę consecrationem antecedunt, vel subsequuntur) *Orationem Oblationis Hostiam consecrarent.* Miror proindè, Hugonem Vict. atquè Rupertum asseuerasse, Gregorium instituisse Orationem Dominicam dici in Missa. Admiratio indè augetur, quod & ex omnibus vetustioribus Liturgijs, & ex Patribus Gregorio antiquioribus eiusdem orationis vsus manifestè probatur. Nàm præter Hieronymum, & Augustinū mox citatos, illius expresè meminerunt SS. Ambrosius *l. 5. de Sacram. l. 4.* Anastasius Sinaita *serm. de sinaxi*; Cæsarius Arelaten. *hom. 12.* & alij apud Menardum *in librum Sacram. D. Gregorij hic.* Credere ergò fas est, Gregorium dici à Ruperto, & Hugone huius ritus auctorem, vel quia in nonnullis Ecclesijs omissum (vt dicitur in Concilio Tolet IV. cap. 9.) restituerit; vel quia hunc illi locum prefixerit, vel quia à solo Sacerdote dici iusserit, non à populo, vti Gręcis mos erat, & indicatur in Liturgia S. Petri.

10 Sed iàm Dominicæ Orationis expositioné aggrediamur. Fusa habetur apud D. Thomam opusc. 7. Fusissima apud Albertum Magnum *hic c. 19.* aliosquè Patres; sed breuitati indulgens, hanc breuissimam subijcio.

11 *Pater noster qui es in Cælis.* Hæc libertatis vox est, & plena fiduciæ: ergo nobis his moribus est viuendum, vt & filij Dei, & fratres Christi esse possimus; Nam Patrem suum Dominum qua temeritate dicere præsumit, qui ab eius voluntate degenerat? Vndè vos dilectissimi dignos exhibete adoptione diuina; quoniam scriptum est: *quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

12 *Sanctificetur nomen tuum.* Non quod Deus nostris sanctificetur orationibus, qui semper est Sãctus, sed petimus, vt nomen eius sanctificetur in nobis, vt qui in baptismate eius sanctificamur, in eo, quod esse cæpimus, perseueremus.

13 *Aduentat regnum tuum;* Deus namquè noster quando non regnat maximè, cuius regnum est immortale? Sed cùm dicimus, *adueniat regnum tuum,* regnum petimus aduenire à Deo nobis promissum, Christi sanguine, & passione quæsitum,

14 *Fiat voluntas tua sicut in Cælo, & in terra,* idest in eo fiat voluntas tua, vt, quod tu vis in Cælo, hoc nos in terra positi irreprehensibilitèr faciamus.

15 *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hìc spiritualem cibum intelligere debemus. Christus enim est panis noster, qui dixit: *Ego sum panis viuus, qui de Cælo descendi.* Quem quotidianum dicẽs, ità nos semper immunes præcipit esse peccati, vt digni simus cælestibus alimentis.

16 *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hoc pactum est, significãs, nos non alitèr peccatorum posse veniam promereri, nisi priùs nos, in nos delinquentibus alijs, veniam relaxemus, sicut in Euangelio Dominus noster dicit:

Nisi

Nisi dimiseritis peccata hominibus, nec vobis Pater vester dimittet peccata vestra.

17 *Et ne nos inducas in tentationem*: ideſt ne nos patiaris induci ab eo, qui nos tentat, prauitatis auctore: nam dicit Scriptura: *Deus intentator malorum eſt, Diabolus verò eſt tentator*; Ad quem euincendum Dominus dicit; *vigilate, & orate; ne intretis in tentationem*.

18 *Sed libera nos à malo*. Hoc ideò ait, quia dixit Apoſtolus, *neſcitis, quid vobis oporteat orare*; Vndè Deus omnipotens ità à nobis orandus eſt, vt quicquid humana fragilitas cauere non præualet, hoc ille propitius nobis conferre dignetur IESVS Chriſtus Dominus noſter. Qui viuit, & regnat cum Deo Patre, & Spiritu Sancto, per omnia ſęcula ſæculorum. Amen.

19 Vt deniquè myſticum aliquid ſubijciamus, in Oratione Dominica, veluti in aperto Chriſti mortui Teſtamento, ſeptem ab eo in Cruce prolata, & ad noſtram inſtructionem legata verba, ſeptem Orationi Dominicæ petitionibus reſpondentia, appoſitè meditanda obuiant. Prima: *Pater noſter &c.* illi quadrat: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*: ſecunda; *Adueniat regnum tuum*, alteri; *Hodie mecum eris in Paradiſo*: quod & in cæteris egregiè comprobatum habes à Porrecta *in libello toties citato c.14.*

20 d *Dicto à Miniſtro: ſed libera nos à malo*. Nedum contrà rubricam, ſed & contrà myſterium agit Sacerdos, qui & ipſe ſecretò ſubdit, *ſed libera nos à malo*, ſi credimus Angelo Tonto *de myſterijs Miſſæ*, quem refert, & ſequitur Gauantus *hìc*; quia, aiũt hi, petere videretur liberari à malo culpæ præſentis, ac proin-

proindè tunc temporis reus esse peccati mortalis. Verùm quis vnquàm scit, an laude, vel vituperio dignus sit? Prætereà nõnè Sacerdos vel à præsentibus malis sequenti oratione liberari exposcit? Potiùs ergo assererem, rectè in hac oratione communi populum dumtaxàt expressè postulare pro se, & pro Sacerdote, quod pro mutua charitate in priuata sequenti oratione, maiori præditus efficacia, Sacerdos expressè, & fusiùs pro se quidem; sed specialitèr pro populo petit, vti docet D. Thomas *hic ar.4. in d.*

21 e *Submissè respondeat*, Amen. Cùm Sacerdotis intersit, vtpotè qui Mediatoris inter Deum, & homines fungitur vice, vota populi Deo offerre, & Dei voluntatem populo renuntiare, sicut legitur Exod. 19 dicit submissè *Amen*; vt denotet latere, an exaudiamur? & Deus latere vult, ne torpeamus, vt post Rupertum *l.2. cap.69.* notat Durandus *l.4. cap.28.* Enim verò *Amen*, quod in alijs orationibus potiùs exprimit affectum optantis, hìc importare videtur conclusionem affirmãtis, vt dicit glossa in Matth. 6. Idcircò ait, post Durandum, Quartus in *hanc rub.* in illis à populo, in hac à Sacerdote *Amen* proferri.

22 f *Libera nos quæsumus &c.* subintellige; secretò dicat; de quo Sotus, *Sacerdos*, ait, *ad tertium silentium reuertitur, vt silentiorum numerum Christi in horto compleat*, quando nempè, vt dicitur Matth. 26. *iterùm abijt, & orauit tertiò*: sed ex Innocentio *l.5. cap.29.* ac Ruperto Tuitien. *l.2. off. cap.25.* silentium innuitur diei Sabbati, quo Corpus Dominicum in sepulchro quieuit: tunc enim nemo fidem prædicauit: etiam *mulieres, quæ parauerant vnguenta* Lucæ 23. *Sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum.*

23 Libera nos quæsumus &c. *Præparatur populus ad percipiendum*, (prosequitur D. Thomas, cui subscribit Bellarminus de Miss. l. 2. cap. 27.) *etiam per Orationem priuatam, quam specialitèr Sacerdos pro populo offert, cùm dicit:* Libera nos quæsumus &c. Enim verò hæc oratio est lata explicatio nouissimæ petitionis à populo factæ; *sed libera nos à malo.* Ipsam proindè prisci rituum expositores græca voce *embolismum* vocant, latinè interpositionem, siuè excrescentiam, aut superaugmentum. Ea siquidem explicat Sacerdos, à quibus malis liberari petatur.

24 Dicit ergo: *ab omnibus malis præteritis; in culpis* (exponit B. Albertus,) *quas petimus nobis dimitti*; subintellige, nō tam quoad maculam culpæ (qua carere creditur Eucharistiam sumpturus,) quàm quoad pænæ reatum. Nàm *remota macula culpæ* (doctrina est D. Thomæ p. 2. qu. 87. ar. 6. in ò.) *potest quidem remanere reatus non pænæ simplicitèr* (idest, vt explicat Caietanus *ibi*, pęnæ æternæ) *sed satisfactoriæ*, (idest tēporalis,) quę sic dicitur, non prout passiuè in peccatore, sic enim est solùm satispassio; sed prout ex illa redundat aliquid in Deum, cuius iustitiæ fit satis. Peccata itaquè per gratiæ habitualis infusionem iā remissa, ideòquè præterita, prout fundant ius odij, inimicitiæ, & indignationis, adhùc remittenda superstant, prout fundant ius debitę compensationis pro offensa: quod egregiè dilucidat contrà hæreticos modernus P. Laurentius à S. Teresia Carmelita excalceat. *tom. 4. Spicilegij controu.* 1. Additur, *præsentibus*; quia, vt dicitur Iob. 7. *Militia*, seù, vt alij legunt, *tentatio est vita hominis super terrā*; petimus ergo liberari & à *pænis*, (sequitur Albertus) *insurgentibus à Mundo*;

quæ

quę sunt accedentes languores,& afflictiones in corpore,& extrinsecùs irruentes innumeræ calamitates; nec non à peccatis, quæ in dies committimus; nàm *septiès in die cadit iustus*, & quotidiè habemus necesse dicere: *dimitte nobis debita nostra*. A quibus omnibus, vt simus immunes, eius debemus implorare auxilium, qui solus sua pietate & animas seruat,& corpora. Subditur,& *futuris*, quæcunque quidem nobis accidere possunt, sed præcipuè *in tentatione*, ait Albertus, *ad illicitum, de quibus oramus*, & ne nos inducas in tentationem: 2. *Mach*. 1. Reconcilietur vobis, nec deserat vos in tempore malo. Idcircò *non solùm*, ait Ambrosius in psalm. 118. serm. 8. *de præteritis veniam debemus postulare, sed etiam præsentia declinare, & à futuris cauere*. Congruè aliàs huius embolismi applicatio sic fieri posse videtur, vt ly *præteritis* respondeat petitioni, *dimitte nobis debita nostra*; ly *præsentibus* alteri, *& ne nos inducas in tentationem*; ly *futuris* deniquè nouissimæ, *sed libera nos à malo*.

25 Subinfertur deindè, quod, iudicio D. Bonauenturæ *in expos. Missæ hoc loco*, Apostolus fieri instituit 1. Timoth. 2. *obsecro fieri, &c. postulationes &c. vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate*; hoc est, & cum Deo à peccatis continuò exsolutis, & cum hominibus à sæculi perturbationibus præseruatis, nobis sit pax in diebus nostris, donec venerit *dies Domini*. Nàm ly in *diebus nostris*, non sic accipiendum, quasi Sacerdos pro se tantum & ijs, qui hodie sunt, solicitus, non curet, quid post eius vitæ terminum agatur de rebus humanis; quo-

modo dixit Ezechias Isaia 39. *fiat tantum pax in diebus meis* : sed accipiendum pro toto mystico Ecclesię corpore militante in terris, donec coniungatur triumphanti in Cęlis; vbi, malis præteritis, præsentibus, & futuris perpetuo proscriptis, *non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor, quoniam priora transierunt*; vbi beati in pace requiescunt & à peccato semper liberi, & ab omni perturbatione securi. Cuiusmodi & illi sunt, quos hoc loco recolere cum Innocentio, ac Durando *loc. cit.* fas est, Patres nempè, quos Christus Dominus secundum carnem in sepulchro quiescens, secundum animam ad inferos ingressus, visitauit oriens ex alto, ad illuminandum his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedebant, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis.

„ 26 Et quia hoc sine Sanctorum suffragio non „ præsumitur (expositio est Magni Alberti) ideò ad- „ dit, *& intercedente beata*, cuius beatus venter dici- „ tur, quia Christum portauit, & *gloriosa*, quæ Regis „ gloriæ est solium, in quo carne indutus sedit, Ie- „ rem. 14: *Solij gloriæ tuæ recordare; semperque* (ita in antiquis Missalibus Rom. in correctis habetur *semper*, vt notat Castaldus l. 2. sect. 8. c. 6. nu. 8.) ante „ partum, in partu, & post partum; *Virgine* mente, & „ corpore, Gen. 24. Virgo pulcherrima, & incognita „ viro; *Dei Genitrice*, & ideò communem Filium ha- „ bente cum Deo; *MARIA* illuminante Cælum, & „ terram, quia Maria interpretatur illuminatrix; „ MARIA Domina Mundi, quia figura Ecclesiæ „ est, & Mater, castis visceribus per compassionem „ filios Ecclesiæ concipiens, in charitate formans, „ & per adoptionem filios Ecclesiæ fratres Filij sui

per-

„ perficiens; sic omnium Mater est,& Domina,Sap. 7.*Omnium bonorum Mater est*:hæc ille, qui , pro eximia,qua Deiparam prosequebatur,veneratione,nunquam occasionem non arripuit,in ejus se laudes soluendi· Omnium itaquè bonorum mater cùm sit;dum ab omnibus malis liberari,atquè in pacis bono cōstitui expetimus,sub eius præsidium meritò cōfugimus.

27 Congruè etiam in adiutoriū reuocantur Apostoli Petrus,& Paulus,in quorum solemnijs orat Ecclesia : *nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti* ; quorum alter Princeps Ecclesię, alter plus omnibus laborauit,1: *Cor*:15. Repetitur & Andreas,quia Petrū ad Christum adducens Ioa. 1. Principis Apostolorū Apostolus fuit; quia corā Proconsule Egea hoc Sacrificiū propugnauit;quia Cruci affixus, verè Christi passionis socius effectus, cōfiguratus est morti eius; quia deniquè fuit, *ait Alb. benignissimus,& cantatur de eo,quod de Ieremia 2.Macb.15.Hic est fratrum amator, & populi Dei Israel: Hic est, qui multum orat pro populo, & pro Ciuitate sancta Dei* .

28 Tres autem dumtaxat nominamus,vt & in ijs tres dies Dominicæ sepulturę recolamus , & per eorum intercessionem à malis præteritis , præsentibus, & futuris liberati , pacem assequamur , in diebus nostris , & à peccato simus semper liberi, & tertiò ab omni perturbatione securi . Deindè omniū in communi Sanctorum inuocatio subnectitur ex Alberto , vt nobis Deus desideratā propitiationis abūdantiam,multiplicatis intercessoribus,indulgeat

29 Hęc autem oratio : *Libera nos quæsumus, &c.* habetur in Ordine Rom.nec non in libris Sacramen-

torum D. Gregorij tùm editis, tùm MSS. A Gregorio proindè additam eam fuisse, innuit Radulphus *prop.* 23. & expressè docet auctor Gemæ *l.1.c.90.* Sed antiquior probatur ex Liturgia, quæ fertur S. Petri, vbi illa extat, nisi quod nomina Petri, & Pauli, post obitum eorundem, adiecta fuerunt. Nomen quidem Andreę Gregorium addidisse facile admittet, quem non latet, ergà hunc Apostolum propensiorem eum fuisse; cuius etiam nomine extruxit Monasterium ad Cliuum Scauri, vt notat Gauantus *in hanc rub.*

30 In antiquis Sacramentarijs aliorum Sanctorum nomina hoc loco occurrunt, puta Geruasij; & Protasij, Stephani, aliorumuè. Nil mirum, quia olim post hæc verba, *atquè Andrea*, quoslibet sanctos pro sua quæquè affectione Ecclesiæ, atquè etiam Sacerdotes licitè addebant; vt patet ex Micrologo *cap.25.* Auctore gemmæ *l.1.cap.109.* & alijs. Quod & in catalogo Sanctorum in secundo ordine Canonis factū ex Floro Magistro *in expos. Miss.* alijsquè colligitur. Præfixis modò terminis, ab huiusmodi adiectionibus abstineamus, *alioquin*, ait Hilarius, *præsumptioni; non deuotioni adscribetur.*

40 g *Capiat Patenam.* * *Et hoc dicto*, scilicet, & omnibus Sanctis, (prosequitur Albertus, *Sacerdos accipit Patenam*. In antiquis etiam Ordinarijs l.2. p.8. dicitur, vt in rubrica, *quando dicturus est* da propitius pacē, *Patenam accipiat, & signans se &c.* Et hunc fuisse Ecclesiæ Rom. ritum patet ex Innocentio *l.2. myst. Miss. cap.59.* & Durando *l.4. Rat. cap.30.* dicentibus: *abscondit sub Corporali Patenam resumendam, ac discooperiendam post Orationem Dominicam ad*, da propitius pacem. Romanus sanè ritus *ex rubrica noui Missalis*

(vt

(vt notat Castaldus l.2.sect.8.c.7.num.4.) qui iubet Patenam capere immediatè ante orationem *Libera nos &c.* ex eo commodior est, quod expeditus Sacerdos, & promptior inuenitur, ad se signandum cum ea in prolatione verborum: *da propitius pacem*.

31 * Nobis autèm minimè licere sciamus, à rubrica nostra, indubiè loquente, priuata auctoritate discedere.

32 Mysticè per Patenam hoc loco Mariȩ (Innocentij, ac Durandi iudicio) denotantur, quas refert Matthæus 28. vespere Sabbati, quȩ lucescit in prima Sabbati venisse, emptis aromatibus, vt vngerent IESVM, habentes Patenam, idest cor patens latitudine charitatis in obsequium sepulturæ (*Patena enim*, inquit Albertus, *à patendo sic dicta, latitudinem signat charitatis*) & dicebant ad inuicem, *quis reuoluet nobis lapidem* (quem etiam Patena significat) *ab ostio monumenti*. Rursus Innocentius, *loco paulo ante citato* etiam verba, quæ tunc proferuntur, attendens, in hac Patenæ resumptione IESVM ait reprȩsentari, *quando venit, & stans in medio Discipulorum dixit,* Pax vobis, *resumens oues, quæ trepidantes aufugerant.*

33 h *Signet se Patena &c. Postea osculetur*. Aliquantulum morosè proferat verba, *da propitius pacem*, vt inter eorum prolationem cum Patena motu graui se munire signo Crucis possit, & osculum figere Patenæ, hoc est Pateną parti superiori, atquè interiori. Congruit namquè illis verbis & Crux, & osculum, quibus moralitèr ostenditur, virtute Crucis veram à Domino pacem, quam osculum præsignat, mediante bonorum operum perfectione, quam Patenæ rotunditas figurat, dimanare; atque indè meritum exurge-

re ad pacem assequendam in Cælis, vbi æternitas, cuius etiam symbolum est ob rotunditatem Patena, imperturbabilis gaudij nos manet.

35 Mysticè verò Innocentius l. 6. cap. 1. cui de more subscribit Durãdus *hic*, per huiusmodi Crucem id ait repræsentari, quod Angelus dixit mulieribus *scio, quia IESVM quæritis Crucifixum*: & mox per osculum mulierum ardens desiderium confestim adimpletum ostenditur; quibus occurrens Christus dixit *Auete: quæ procidentes tenuerunt pedes eius, & adorauerunt: haud dubium* (addit ibi Innocentius) *quin pedes fuerint osculatæ.*

TI-

TITVLVS XXVI.

De fractione Hostiæ ad, *Per eundem Dominum nostrum &c.* Et de Orationibus, *Pax Domini &c. Agnus Dei &c. Hæc Sacrosancta Commixtio &c.*

RVBRICA.

Ad,& ab omni perturbatione securi,*detegat Calicem,& genuflexus Sacramentum adoret; tùm se erigens sinistræ indice leuiter deprimat Hostiam,vt dexteræ digitis capi possit; qua accepta, statim sinistræ posterioribus digitis pedem Calicis teneat,dexterâ statim Hostiam super Calicem leuet, ita vt etiam eadem manu Calix teneatur; tum sinistræ manus pollice, & indice Hostiam accipiat,&* a *incipiens*, per eundem Dominũ nostrum IESVM Christum Filium tuum, *Hostiam decenter in duas partes per medium à summo vsque deorsum diuidens,frangat; diligenter cauens,ne digiti fracturas attingant. Ad* Qui tecum viuit,& regnat &c. *illam* b *partem Hostiæ, quam mediam dextera tenet,in transuersum alteri supponat:de eadem etiam frangat cum pollice, & indice dexteræ manus particulam, & sic*

par-

partes tenendo, dicat, Per omnia sæcula sæculorum, *& responso,* Amen, *sinistra manu duas* c *partes Hostiæ tenendo sẽper vsque ad sumptionem super Calicem, dextera manu aliam partem Hostiæ tenens, has* d *tres cruces cum particula Hostiæ intra Calicem faciat, dicendo: Pax† Domini sit † semper vo†biscum : Postea iterum* e *ambas manus sic super Calicem teneat, vt partes Hostiæ iunctæ videantur, dicendo,* f Agnus Dei *&c. Ad* g Hæc Sacrosancta commixtio *illam* h *particulam Hostiæ, quam dextera tenet, reuerenter in Calicem demittat, verba prosequendo, iterumque excussis in Calicem digitis, statim medium Calicis dextera teneat ; dicto* Amen. i *exosculetur extremum labium Calicis, & dans Pacem ministro tenenti Patenam, vbi consueuit hoc fieri, dicat :* Pax tibi, & Ecclesiæ Sanctæ Dei ; l *Nisi cum pro mortuis celebratur, tunc enim, & in triduo ante Pascha dimittitur* Pax tibi, *& Osculum.*

NOTÆ.

36 a INcipiens, *per eundem Dominum nostrum* &c. Hostiam frangat. Oratio, *Libera nos quæsumus,* consueta clausula terminatur, *Per Dominum nostrum IESVM Christum:* quam dum profert Sacerdos deuenit ad fractionem Hostiæ (illam ideò *Confractorium* Ambrosiani appellant,

lant,) quæ inter præcipuas Missę Cęremonias meritò connumeratur; immò & esse Sacrificij partem essentialem contendit; cum paucis alijs, doctissimus Melchior Canus *lib. de loc. Theol.* rationibus nequaquàm spernendis suffultus.

37 Huiusmodi fractionis, tanquàm in Ecclesiâ semper, & vbiquè sine vlla temporis differentia vsitatæ, mentionem faciunt SS. Patres, alijquè Ecclesiastici Scriptores, eamquè præscribunt, quotquot extant, Liturgię. Ritùs namquè est cum ipsa huius Sacramenti institutione exortus. Christus enim in mystica Cęna *accepit panem, benedixit, & fregit, deditquè Discipulis suis*. Et quia præcepit Apostolis, vt idem in eius commemorationem facerent, immò & facto comprobauit post Resurrectionem, quando discipuli euntes in Emaus *cognouerunt eum in fractione panis*; eundem proptereà morem Apostoli secuti sunt, & Ecclesiæ tradiderunt, vt continuò Dominum *in fractione panis* cognoscerent. Sic *Act.* 20. legitur, quòd die Dominico conueniebant cum fidelibus ad frangendum panem; ipsiquè fideles, Act. 2. *erant perseuerantes in communicatione fractionis panis*; non vtiquè panis cōmunis, sed Eucharistici, de quo Apostolus 1. Cor. 10. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Vndè Chrysostomus hom. 24. fidelium pietatem exacuit dicens: *Quare addit, quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet. In Cruce autem minimè, sed omninò contra. Os enim eius, inquit, non conteretur; sed quod in Cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi permittit.*

38 Diuersitas vtiquè in modo frangendi Hostiam esse potuit, non eum Euangelistis exprimentibus.

bus. Mozarabes adhùc eam diuidunt in nouem partes;Græci,& reliqui Orientales in quatuor, nos latini in tres; quem ritum memorat Sergius Papa I. *de conf.dist.2.cap.Triforme*. Sergij ideò institutione inductum,seù firmatum fuisse existimat Magnus Albertus *hic cap.21.* quem gratis improbant Durantus, Sperellus,alijquè Liturgici, tanquàm de fractione Hostiæ absolutè ibi loquatur, cùm de modo fractionis dumtaxat loqui,manifestè ex eo pateat,quod subdit:*Instituit ergo B.Papa Sergius, vt pars vna statim acciperetur;secunda mitteretur in Calicem;tertia in Altari remaneret &c.*

39 Hęc fractio non est in Corpore Domini,sed in formis solùm Sacramentalibus,seù in quantitate tantùm extensiua, vt loquitur D. Thomas *opusc.59. cap.7.* sub qua ante conuersionem fuit panis, & quæ post conuersionem Corpus Christi velabat: sed Corpus Christi integrum, & perfectum manet sub qualibet parte. Quod appositè exemplificari potest cum D. Thoma *opusc. mox cit.* in speculo,*quod si frangitur,* ait,*non ibi frangitur imago,vel species,quæ in speculo relucebat; sed in qualibet parte fracti speculi adhùc resultat imago:* atquè cum Augustino *l.6.de Trinit.c.6.* in anima rationali, *quæ & in toto corpore tota est, & in qualibet eius parte tota est.*

40 Fractio oblationis in communi,ex Micrologo cap.20. illam nobis fractionem panis insinuat, quam Dominus post resurrectionem suam coram Discipulis fecit. Ideòquè dici potest ex Gemma l.1. c.63. in tres partes diuidi,quia tunc & comedit ipse, vt quidã aiũt, & reliquias diuisit duobus discipulis: sic Durandus l.4.cap.51.*Sacerdos,*ait,*& legem*(in lege

enim

enim iubebatur similago frustatim offerri,) *& Christum sequens Panem sacrosanctum in tres partes partitur, vt in fractione panis Dominum agnoscamus, sicut & illi duo Discipuli Dominum cognouerunt, quibus ipso resurrectionis die euntibus in Emaus apparuit.*

41 Fractionis eiusdẽ in tres partes rationem D. Thomas assignat *hic ar.5.ad 7.* tria docens significari; *primò quidem ipsam diuisionem Corporis Christi, quæ facta est in passione*; in latere scilicèt manibus, & pedibus, vt explicat idem D. Thomas opusc. 59. *c.*7. & Sotus *hic*, Consonat his illud ex sententijs D. August. à D. Prospero collectis citatum à Gratiano cap. Cùm frangitur; de cons. dist. 2. *Cum frangitur Hostia, quid aliud; quàm Dominici Corporis in Cruce immolatio designatur?* Petras insuper in Christi passione disruptas, Velum templi scissum à summo vsquè deorsum, & tertiò Monumenta tunc aperta, recoli affirmat Magister à Porrecta *hic. Secundò* (sequitur D. Thomas) *significat distinctionem corporis mystici secundùm diuersos status*, scilicèt, vt explicat Sotus, militantium in hoc sęculo, in Purgatorio expectantium, & in Cælo triumphantium; ad omnes enim fructus redemptionis eius promanat: *n.ĩ triumphanti*, (notat Zaccharias Adrian. l. 2. de Miss. cap. 23.) *in honorem cedit tantum mysterium, militanti in salutem, & purganti in Purgatorio in relaxationem. Tertiò* (prosequitur D. Thomas) *significat distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi, vt Dionysius dicit 3. cap. cælest. Hier.*

42 Aliàs ex eodem D. Thoma *opusc. cit.* fit hæc triplex fractura, *vel propter tres status Christi, qui fuit aliquando mortalis, aliquando mortuus, aliquando immortalis*, vt fusim explicabitur infrà ex eodẽ S.

Docto-

Doctores 3. p. q. 83. ar. 5. ad 8. vndè mox descriptus triplex status corporis mystici resultat. *Vel propter tres naturas, vel substantias in vna Persona, scilicet Diuinitatis, Animæ, & Corporis. Vel etiam propter fidem, & testimonium beatissimæ Trinitatis, idest trium Personarum in vnius essentiæ vnitate;* & idcircò forrasse fractura quæquè, vt mox dicemus, Personæ mentionem in verbis comitatur.

43 Quid autem partes singillatim significent, docet idem D. Thomas hic ar. 5. ad 8. *dicendum, ait, quod, sicut Sergius Papa dicit (& habetur de cons. dist. 2) triforme est Corpus Domini. Pars oblata* (*ablata* alij legunt, sed & in textu iuris Canonici antiquo dicitur *oblata*, in emendato verò *Oblatæ*, vt notat glossa ibi) *in Calicem missa Corpus Christi, quod iàm resurrexit, monstrat, scilicèt ipsum Christum, & B. Virginem, vel si qui alij Sancti,* (vti de S. Ioseph nonnulli existimant, & de corporibus aliorum Sanctorum, qui dormierãt, & refert Euangelista resurrexisse) *cum corporibus iàm sunt in gloria.* Nam cùm, vt notat Innocentius III. *l. 6. c. 2.* panis significet carnem, & vinum animam, dum panis vino commiscetur, & vnitur (quoad species scilicèt, sub quibus continetur Corpus, & Sanguis,) significant, Christi Corpus ipsius animæ (cuius sedes, ex Philosopho, in sanguine est) verè in Resurrectione vnitum. Quod & dic respectiuè de mox adductis Sanctis; qui proindè, vt notat Sotus, recoluntur, vt iam immersi in Sanguine redemptionis, atquè plenè ipso inebriati, iuxtà illud Cant. 5. *Inebriamini charissimi. Pars comesta,* (prosequitur D. Thomas) *Corpus Christi monstrat ambulans adhùc super terram* (idest, notat glossa ibi, designat Corpus Domini in eo statu,

in

in quo fuit ante passionem; vel designat Ecclesiam adhuc militantem,) *quia scilicet viuentes in terra Sacramento vtuntur* (*vniuntur* legunt alij,) *& passionibus conteruntur, sicut & panis comestus conteritur dentibus. Pars in Altari vsquè ad finem Missæ remanens, corpus in sepulchro: quia vsquè in finem sæculi corpora Sanctorũ in sepulchris erunt; quorum tamèn animæ sunt, vel in Purgatorio, vel in cælo;* Hæc ex Sergio Papa S. Thomas, cui consonat Innocentius III. *l.6.c.3.* Postmodũ verò in desuetudinem abijt, vt vna pars seruaretur vsquè in finèm Missæ, vel *proptèr periculum,* vt D. Thomas notat, vel, vt B. Albertus, *diminuta deuotione Christi fidelium, & crescente circa Altare indeuotione frequentantium. Manet tamen,* subdit D. Thomas, *eadem significatio partium; quam quidam metricè expresserunt dicentes:*

Hostia diuiditur in partes, tincta beatos
Plenè, sicca notat viuos, seruata sepultos.

44 Statim autèm subnectit, nec reprobat D. Thomas opinionem asserentium, quod pars in Calicem demissa Sanguine immergitur, pro illa parte Ecclesiæ, quæ naufragio huius sæculi agitata multis perturbationibus passionum concutitur: aliæ duæ partes extrà Calicem sunt pro illis, quarum vna igne examinatur, quæ est fideliũ in Purgatorio, altera est Sanctorum, quæ cũ Christo regnat in æternum: ità Mag. Guilielmus Antissiodorensis *de exposit. Miss.* Stephanus Eduensis *lib. de Sacrif. Altaris*, quem citat, & sequitur Gonet *in D. Thomam hic,* Zacharias Adrian. *de Miss. cap.23.* Durandus *l.4.c.51.* & alij.

„ 45 Magnus quoquè Albertus, Corpus mysticũ,
„ ait, quod in Corpore Domini incorporatur, est tri-
„ forme; quædam enim pars ipsius cum capite suo
re-

„ regnat,& triumphat in Cælis; quædam autèm adhùc in labore militat in terris, & quædam in Purgatorij pænis. Instituit ergo B. Papa Sergius, vt pars vna statim acciperetur à perfectore sanctitatis, qui loco Christi stat in Altari, quæ signat partem in Cælis triumphantem, quæ iàm plenè in Christum transiuit. Statuit etiam, vt secunda mitteretur in Calicem, quia Calix signat huius vitæ passionem, quæ significat partem in laboribus, & pęnis huius vitę adhùc laborantem; & ideò immissam in Calicem, Psalm. 115. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*. Statuit etiam, vt tertia in altari remaneret, in fine post omnia mysteria sumenda, quæ signat eos, qui in Sepulchris sunt, & in Purgatorio, in fine cum Christo vniendos fore per spiritualem incorporationem.

46 Vt deniquè de Ritus praxi aliquid subijciā, primò Calicem propè se, si necesse fuerit, trahat; in fractione verò reuerentèr, deuotè, lentè, & deniquè cautè se gerat, ne particulæ extrà Calicem exiliant, vt aduertit Ciantes. Non ideò improbo hìc rubricā Missalis Beccariæ, quæ nobis proposuerat leues plicaturas diuisioni Hostiæ præmittere.

47 b *Partem Hostiæ, quam mediam dextera tenet, in transuersum alteri supponat. Ex eadem etiam particulam frangat &c.* * *Supponat*, non autem *superponat*, vt malè legunt nonnulli, quos animaduertit Pater Ioānes de Palentia, *in notis ad Ordinarium*. In quo à nobis differunt Carmelitæ, qui in transuersum superponunt in modum Crucis.

48 * Ritus huius nostri congruentia ex præallatis expositionibus resultat. Enim verò stando in

doctri-

doctrina ex Sergio Papa à D. Thoma deducta, pars hæc, quæ in transuersum alteri supponitur, Corpus Christi significat, ambulans super terram, vndè Ecclesia in terris militans denotatur, vt dicit glossa *in cap. Triforme de cons. dist. 2.* Pars altera denotat, vt diximus, Corpus in sepulchro, necnō eorum statum, quorum corpora vsquè in finem sæculi in sepulchris erunt, animæ tamen sunt, vel in Cælo triumphantes, vel in Purgatorio de æterna felicitate securæ. In primis ergo, cum sic diuisa vna adhuc Ecclesia sit, idcircò duæ illæ partes vniuntur; sed quia pars illa Ecclesiam significat peregrinantem in terris, *vbi multa obliqua, pauca recta,* vt ait Durandus, *inueniuntur,* ideò per transuersum supponitur alteri, quæ sæculi perturbationibus superior existit: qua etiam ratione ea pars frāgitur, quia *viuentes in sæculo,* vt ibidem ait D. Thomas, *passionibus conteruntur,* à quibus animæ immunes sunt, quæ dormiunt in somno pacis, seu regnant in Cælis. Vel etiam, doctrinæ B. Alberti inhærēdo, ideò pars illa diuiditur, & per transuersū supponitur, non ista, quia triumphantes in Cælo stabilem, & vniformē statum possident, & vna beatitudine fruuntur: status verò existentium in miseria in eos diuiditur, qui in obliquis sæculi militant, & qui in Purgatorio expectant. His addi posset pia meditatio Durandi, de cōnexione vtriusquè Testamenti in Christi passione facta; de noui eminentia super vetus, in eo præcipuè, quod vetus non nisi indirectè bona æterna promittebat; ac demum de veteris diuisione in legem naturalem, & scriptam: sed dicta sufficiant.

49 * Ratio verò historica, cur partem hanc alteri nos supponamus, fortasse est, vt ostendamus, eam

Ee relī-

reliquam esse, quę olim, vt vidimus, vsquè ad finem Missæ remanebat; vt sic mutato ritu, eadem perseueret partium significatio, vt ibi dicit D. Thomas. Rursus plausibilis sententia est Crassi *lib. 2. cap. 4.* Petri Ruiz *in suo Cæremoniali*, & Gauanti *in hanc rub.* particulam Hostiæ immittendam in Calicem præcidẽdam esse à parte superiori dimidiatæ iam Hostię, vtpotę nobiliori ob mysticam significationem, ex Sergio Papa traditam, nempę de Corpore Christi, quod resurrexit. E contrà Trimarchi *in Cærem.* quem citat, & sequitur Niger *in addit. ad Ruiz p. 3. §. 12. nu. 7.* nec non P. Quartus *p. 2. tit. 10. sect. 1. dub. 1.* à parte inferiori pręcidendam contendunt; *quia*, ait Quartus, *ita commodius, & tutiùs fit ea fractio; cùm enim pars inferior magis sit intrà Calicem, si ex ea resiliat aliquod fragmentum, certius est resilire intra Calicem, vt decet, non extrà.* * Vnum itaquè, atquè alterum attendens rubrica nostra, voluit quidem à parte superiori scindi particulam, sed partem ipsam per transuersum alteri supponi, vt, ea Calici magis admota, in particulą indè præcidenda, fragmentis resilientibus cautum esset.

50. * Non omitto deniquę, quoad ritus nostri praxim, aduertere, quod in antiquo Ordinario, hæc fractio sic præscribitur; *diuidat Hostiam in duas partes &c. deindè diuidat partem eam in duas alias*; in Missali Xauierre additur, *æqualitèr*: sed quia in nouissimis Missal. dicitur, *de eadem frangat particulam*, his standum est, eò libentiùs, quod & Ritui vniuersali conformamur, & facilitas in Calicis sumptione accrescit; atquè etiam, cum ex dictis per particulam in Calicem immittendam Beati significentur, denotamus, quod

quod, *multi sunt vocati, pauci verò electi*.

51 c *Partes Hostiæ tenendo semper vsquè ad sumptionem super Calicem &c.** Hunc ritum, in quo cum Carmelitis à Ritu vniuersali differimus, insinuat Rupertus Tuitjen. l.2. off. cap.6. *interim TENENS Corpus Domini, quia cognitus est in fractione panis, tripartita fractura suam Sanctæ Trinitati assignat Hostiam, particulamquè vnam, quæ Personam insinuat Filij, Sacro Sanguini demissam immergit*. Eiusdem ritus expressè meminit Durandus l.4. cap.51. num.9. & causam litteralem dans; *alij*, ait, *omnes partes supra os Calicis tenent, ne fortè propter illarum deportationem, seù translationem aliqua indè particula cadat, aut remaneat in Patena*. Qua ratione Hostiæ diuisio more Gallicano super Calicem fieri consueuit; vndè Hugo à S. Victore de specialibus Missarum obseruationibus l.3. cap.39. *Dum dicit Sacerdos: da propitius pacem in diebus nostris, Patenam suscipit, & in Altari, vt fractionē super eam faciat, deponit. Nos tamen hanc fractionem ad cautelam facimus super Calicem*; quod & notat Radulph. propos.23. ac Durant. l.2. c.51. Addo, Sotum asserere *hic ar.5. in fine* vsum Patenæ nō aliū antiquitùs fuisse, quàm vt in ipso superposita Calici offerretur Hostia. Nequè enim an consecratum, & fractū panem Christus Dominus in Patena, seù Catino posuerit, exprimunt Euangelistę, vt notat Bona *l.1. cap.* 25. & vt dicimus in oratione, *Qui pridiè*, accepit in manus, benedixit, fregit, dedit; atquè etiam ipse sumpsit, vt ibi cum D. Thoma adnotaui. Altera huius nostri ritus historica ratio ex Mag. Leonardo de Vtino, atquè ex Bzouio afferentibus, hunc nobis ritum ex priuilegio datum, titulo sequenti expendetur.

52 * Mysterium fortasse nec deest; nàm per Hostię diuisionem diuisio Corporis Christi continuò significatur, quę facta est in passione, seù in Cruce, *ex cap. Cùm frangitur de cons. dist. 2.* & D. Thoma pręcit. in latere scilicèt, manibus, & pedibus: meritò ergò partes Hostię, quę huiusmodi diuisionem connotant, retinentur super Calicem, per quem, vt toties diximus, Crux, nec non Christi passio designatur. Quod si de corpore Christi mystico sermo sit, mysterium statim obuiat, de partibus Hostię eos, ex B. Alberto, significantibus, qui passionibus obnoxij, aut peregrinantur in terris, aut in Purgatorio expectant. Congruentijs quidem suis, vtiquè optimis, atquè etiam antiquitate (nam signanter vsum, super Patenam collocandi iam dimidiatæ super Calicem Hostię partes, plures antiqui Scriptores memorant) prępollet Ritus Romanus, quę etiam deductis mirè quadrant: de quo fusim illius expositores: vndè repetere dumtaxat detur cum Ambrosio: *Quod alibi rectius seruatur, & nos rectè custodimus.*

53 d *Tres Cruces cum particula Hostię, intra Calicem faciat, dicendo,* Pax Domini &c. *Nonò autem* (crucium expositionem D. Thomas prosequitur) *repræsẽtatur Resurrectio tertia die facta per tres cruces, quæ fiũt ad illa verba Pax Domini sit semper vobiscum:* nam & Christus IESVS primò apparens Apostolis ait: *Pax vobis;* Quę quidem pax, inquit Sotus, per eius mortẽ, & resurrectionem nobis obuenit; sicquè, *non solum per signa* (ait Innocentius l. 6. cap. 4.) *sed etiam per verba Resurrectionis gaudium intimatur.*

54 Rursus idem D. Thomas opusc. 66. *fiunt, ait, tres cruces, quia tres sunt vitæ humanæ naturæ, prima est*

animæ

animæ simul cum corpore, secunda est animæ relicto corpore, tertia est resumpto corpore: in prima vita pax est necessaria, quæ longe facit à crimine, in secunda, quæ longè facit à terrore, in tertia, quæ longè facit ab vtroque, consummata gloria, & beatitudine: fiunt ergo tres Cruces intrà Calicem, vt admoneamur, hanc nobis necessariam triplicem pacem, per Christi Domini passionem, & Crucem dimanare.

55 Hæ verò tres Cruces fiunt intrà ambitum Calicis cum particula, per quam cum D. Thoma, beatos diximus denotari, *ad significandum* (verba vsurpo Stephani Eduen. de Sacram. alt. cap. 18.) *illud gaudium incomprehensibile, & secretum, quod erit in fruenda visione Trinitatis, per quam data nobis pax veniæ, pax iustitiæ, pax gloriæ.* Vel etiam ex Innocentio, ac Titelmano, *datur intelligi, quod virtus Trinitatis animam Christi reduxit ad carnem &c.* Sistendo autèm in expositione Magni Alberti, ideò ea particula adhibetur, quia pars Ecclesiæ, sæculi miserijs obnoxia, Crucis, ac passionis fructu, nec non, pace magis indiget; quam eidem, per triplicem Crucem, triplicem auguratur Sacerdos, (quã & Apostolis IESVS à mortuis resurgens impertiuit) temporis pectoris, æternitatis, vt alibi Albertus, & D. Bonauentura *de expos. Miss. hic* docent.

56. Pacem eandem pro mutua charitatis vice Sacerdoti populus auguratur, respondens, *& cum spiritu tuo.* Spiritu, inquam, vt aduertit Albertus, quia optat, vt quæ actitantur, perficiantur in spiritu, non in carne, sicut dicit Apost. Rom. 8. *Quicũq; spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei:* & Ioan. 6. *Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt; caro autem non prodest quicquam.*

57 Et hæc est pax, non eorum, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, sed pax; *quæ nos Deo coniungit*, vt loquitur Gregorius Nanzian. orat. 1. de pace; scilicet *Pax Domini, quæ ordinem diligit* (ait D. Thomas opusc. 66.) *vera, quæ neminem fallit; munda, quæ omnia inquinamenta refugit, pudica, & æterna, quæ finem nescit.*

57 Hæc verò salutatio hoc loco reperitur, teste Bona *hic*, in omnibus antiquis Missalibus, nec non in libro Sacramentorum D. Gregorij; quo tamen antiquior inde infertur, quod eam indicat S. Dionysius *cap. 3. Eccl. Hier.* S. Clemens *l. 8. const. Apost. c.* 18. Chrysostomus *hom.* 21. *ad Rom. & hom.* 18. *in* 2. *Cor.* & habetur expresse apud Augustinum *serm. in Sabbato Paschæ*, aliosque antiquos Patres.

58 Salutatio eadem cælesti prodigiô comprobata habetur in vita Magni Gregorij apud Ioannem Diaconum. Cùm ille in Basilica Liberiana die Paschatis Sacrum faceret, & *pax Domini* pronuntiaret, oscitantium ministrorum responso suppleuerunt Angeli, clara, suauique voce personantes, *& cum Spiritu tuo*: in cuius miraculi testimonium, Papa hac die ibi celebrante, & *pax Domini* dicente, nemo ministrorū respondet, id muneris Angelis deferentium, vt recenset Durandus *lib. 6. Rationalis* cap. 88.

59 e *Iterum ambas manus sic super Calicem teneat, vt partes Hostiæ iunctæ videantur.* De quo congruentiæ rationem ex deductis habes: * & ad rem nostram (præsertim in duarum partium iunctione, vna alteri supposita) facit, quod docet Innocentius III. lib. 6. cap. 3. *Est*, ait, *Corpus Christi vniuersalis Ecclesiæ, scilicet caput cum membris, iuxta quod dicit Apostolus:*

vnus

vnus panis,& vnum corpus multi sumus. *Et inueniatur in isto corpore, quasi tres partes, ex quibus totum corpus consistit. Vna pars est ipsum Caput, scilicet Christus, qui & caput est; & pars corporis. Altera pars sunt illi, quorum corpora requiescunt in tumulis, & animæ regnant cum Christo; & sunt quasi simul hæ duæ partes, caput videlicet, & hæc pars corporis altera, sicut scriptum est:* vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilę *Matth. 24. Tertia pars in Calicem &c.*

60 ❡ *Dicendo, Agnus Dei &c.* Christus Agnus ob innocẽtiã hoc Sacramentum, ex Soto *hic*, occisus refertur, de quo Isaiæ cap. 57. *quasi Agnus coram se tondente obmutescet*, & Ieremiæ cap. 1. *quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*: meritò ergo *Agnus Dei* &c. in Missa clamamus, vt ad peccatorum dimissionem reminiscamur illud Petri cap. 1. *redempti estis pretioso Sanguine, quasi Agni immaculati, & incontaminati.*

Dicitur Agnus Dei, magis, quàm IESV Christe, vel alio modo, vt notat Alexander de Ales *de off. Miss. par. 2. §. 1.* tùm propter veritatis repræsentationem, quę in lege figurabatur in immolatione Agni typici, tùm propter significationem veritatis prophetizatæ de immissione Agni, ad hoc, quod immolaretur pro salute generis humani Esa. 16. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ*: tùm propter verbum Ioannis Baptistæ, qui demonstrando Dominum dixit: *Ecce Agnus Dei.*

61 Et hoc signanter loco, nempe iam habita Dominicæ resurrectionis memoria, insignis hæc deprecatio adhibetur, qua petimus, quantum ad efficaciam tolli peccata, quæ quantum ad sufficientiam Agnus Dei innocens in Cruce sustulit. Enim verò

Christus IESVS post Resurrectionem, statim ac salutauit Apostolos, dicens eis, *Pax vobis*, Sacramentum pœnitentiæ instituit, dans eis potestatem remittendi peccata dicens, *Quorum remiseritis peccata &c.* Hinc resurrectionem Christi Domini typum esse, & exemplar perfectę iustificationis; habetur ex Apostolo ad Rom. 4. *traditus est propter delicta nostra; & resurrexit propter iustificationem nostram.* Sicut enim Christus IESVS perfectè, ac iterum non moriturus resurrexit, ità & nos perfectè à peccatis sic resurgere conari debemus, (quod hoc loco petimus,) vt iterum non moriamur morte peccati; nec peccatum vltra nobis dominetur, vti de Christo Domino dixit Apostolus, *resurgens ex mortuis iam non moritur; mors illi vltrà non dominabitur.* Hæc insinuauit Innocentius III. l. 6. cap. 4. dicens: *Quia verò IESVS statim, vt salutauit Apostolos, dedit eis potestatem remittendi peccata; idcircò Chorus clamat ad ipsum;* Agnus Dei &c.

62 *Fauent hæc Ritui nostro, qui statim post dictum, *Pax Domini* &c. Hostiæ partes omnes tenentes super Calicem, pronunciamus, *Agnus Dei* &c. cuius ritus congruentiæ aliæ & ex dictis, & ex mox dicendis facilè inferri possunt.

63 *Huiuscè nostri ritus, prò eò significantèr, quod ante immissam in Calicem particulam *Agnus Dei* &c. dicimus, meminit D. Bonauentura *de expositione Missæ in fine*, atquè etiam Durandus lib. 4. vbi quatuor ritus, quo ad hoc in Ecclesia suo tempore diuersos expendens, *alij, ait, dicto,* Pax Domini, *& dicto etiam* Agnus Dei, *demum immittunt ipsam particulam in Sanguinem, vt eorum oratio efficacior sit prò eo, quod tenentes eam in manibus, dùm dicunt* Agnus Dei,

oculo corporali, & mentali reuerenter intuentur.

64 * Rursus huc facere aliquo modo videtur; quod *Sergius Papa constituit* (verba sunt Micrologi de Eccl.obs.cap.18.) *vt in tempore confractionis Dominici Corporis* Agnus Dei *à Clero, & populo decantaretur, videlicet, vt ille nobis propitietur; cuius corpus ibi confringi videmus, & credimus.*

65 Ter autem dicitur Agnus Dei; ex Innocentio l.6. *de Miss.* pro peccatis cogitationis in corde; locutionis in ore; actionis in opere: vel, iudicio Iuonis Carnotensis *serm. de conuenientia noui, & veteris Sacrificij*; propter trinam Hostiæ portionem. Alij alias causas assignant. Sed magnus Albertus, *non puto*, ait, *aliam esse causam; nisi quòd triplex malum pronunciatum fuit à perfectore sanctitatis* (sic ille continuò Celebrantem appellat) à quo liberationem expetijt, nempè *à malis præteritis, præsentibus, & futuris*, & ideò, dicimus *miserere nobis*; quia hanc nonnisi à Dei misericordia expectamus, secundum Psalm.58. *Misericordia eius preueniet me: & misericordia eius subsequitur me*. Plura ad rem 3. Thom.3.p.q.73.ar.6.

„ 66 Agnus autem dicitur, ex Magno Alberto,
„ vel ab *Agnon* grecè; quòd sonat *pium* latinè, vel
„ ab agnitione, quia in magno grege quilibet Agnus
„ cognoscit Matrem suam ad auditum balatus, &
„ odorem vteri: Ioan. 10. *Cognosco oues meas; &*
„ *cognoscunt me meæ*: de pietate autem dicitur Ier. 11. *Ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimā*. Eadem habet Innocentius III.l.6.cap.4. *Christus autem*, addēs, *in ara Crucis, & Patrem agnouit, & Matrem: Patrē obedientia, Matrem cura: ibique obtulit se pro nobis. Et ob hoc in Altaris immolatione ter dicitur Agnus Dei;*

quasi

quasi Agne, qui agnouisti Patrem, miserere nobis: Agne, qui agnouisti Matrem, miserere nobis: Pie, qui redemisti mundum, dona nobis pacem.

67 Sergius I. Papa statuit, vt inter communicandum, sicut Innocentius, & B. Albertus asserunt, vel tempore confractionis Dominici Corporis, vt enarrat Anastasius in vita Sergij, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis* à Clero, & populo decantaretur, seu (vt consultò glossant alij) ter decantaretur. Quod ità intelligendum est, vt semel dumtaxat, vel à solo Sacerdote dici solitum, statuerit, vt deinceps ter, vel etiam à Clero, & populo diceretur. Enim verò, semel saltem antea dici consueuisse, ex Concilio Niceno 1. vt legitur apud Alphonsum Pisanum *lib. 3. cap. de diu. Mensa* conijcere licet, atque *ex homilia* 41. *in* 1. *Cor.* 15. Chrysostomi colligitur: expressè verò in Liturgia S. Petri semel *Agnus Dei* &c. præscriptū extat, vti & in libro Sacramentorū D. Gregorij, *titulo* 2. *præliminari* exposito: si adhuc non illis assentiamur, qui affirmant, nonnisi breuitatis causa semèl tantum ibi positum fuisse. In Liturgia etiam S. Iacobi hoc ipso loco legitur: *Ecce Agnus Dei filius Patris, qui tollit peccata mundi, mactatus pro mundi vita*: quæ verba paulò diuersa habentur & in Liturgia S. Ioannis Chrysostomi.

68 Antiqua itaque formula, saltem ante annum 1000. iudicio Bona *hic*, quæ adhùc, vt memorat B. Albertus, seruatur in Basilica Lateranensi, erat ter dicto, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, singillatim subnectere, *miserere nobis*. Nacta dein occasione persecutionum in Ecclesiam grassantium, ad tertium *Agnus Dei* cæpit ad Dominum clamari de tribulatio-

ne

hic: *dona nobis pacem*; vt Innocentius, Albertus, aliique communitèr asseuerant.

69 In hoc congruentiæ ratio occurrit ex opusc. 66. D.Thomæ; *Tria*, docentis, *sunt tempora, quorum duo sunt tempora misericordiæ, tertium est pacis, & iustitiæ. Quia ergo in tempore tribulationis speratur, & expectatur misericordia, in tempore verò resurrectionis pax conseruatur, atque iustitia; propterea, quando dicitur*, Agnus Dei &c. *in duobus primis est conuenientia, in tertio verò est differentia*.

70 Huic conformis est expositio Soti *hic*, qui in trifida Hostiæ diuisione præadductam trifidam Corporis mystici diuisionem agnoscens, nempè militantium in sæculo, expectantium in Purgatorio, & triumphantium in Cælo, per Christum IESVM designatam, viuentem in hoc sæculo, descendentem ad inferos, à mortuis resurgentem, concludit ad rem nostram, quod, quia militantes, & expectantes sunt in miseria, triumphantes in pace, bis dicimus *Agnus Dei miserere nobis*, ad tertium additimus, *dona nobis pacem*.

71 A quo verò Romano Pontifice hęc additio *dona nobis pacem*, facta sit, fatetur, se non legisse vir rerum liturgicarum eruditione insignis Card. Bona. Fortasse gloriosissimę semper Virgini MARIÆ eam debemus; si verax est Robertus Abbas Montensis *in supplemento chronici Sigiberti*, anno 1183, enarrans, Illam apparuisse cuidam fabro lignario, opus facienti in sylua, ac dedisse ei signum cum Imagine sua, & Filij sui, & cum hac inscriptione: *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi dona nobis pacem*; atque eum iussisse ferre ad Episcopum, ac ei dicere, vt, qui vellent pacem Ecclesię facerent huiusmodi sigilla, & portarent

in

in signum pacis. Verisimile itaquè est, ex tunc in Missa hoc congruenti loco hanc pacis postulationem vsurpatam fuisse.

72 Non me latet Angelum Rocca *l. 1. de Campan. c. 18.* Castald. aliosquè eā adscribere Ioāni XXII. Sed iàm tempore prędecessoris Innocentij III. vsui erat, ipso teste *l. 6. Myst. Missæ cap. 4.* & præter Hugonem Victorinum, qui floruit anno 1136. hanc recensérem pacis postulationem *de specialibus Missarum obseruationibus l. 3. c. 39.* etiam Odo Cameracen. qui floruit anno 1128. *in sua Canonis expositione in fine*, eius meminit verbis, quæ placet exscribere; *sequens textus*, ait, *incipit pro peccatis dicendo*, Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis. *Deindè sequitur pro pace*, da propitius pacem. *Iterum pro peccatis*, vt à peccato simus semper liberi. *Deindè pro pace*, & ab omni perturbatione securi. *Iterùm pro pace sequitur*, Pax Domini sit semper vobiscū. *Deindè pro peccatis iteratur*, Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi miserere nobis. *Iterum pro pace*, dona nobis pacem. Adde his osculum pacis mox memorandum, & orationem pro peccatis, *Domine IESV Christe &c. libera me ab omnibus iniquitatibus meis*, & conclude cum ipso Odone: *Et sic finis, & consummatio Sacrificij fit de pace, vt maneamus in pace.* Nec mirum, nàm hoc Sacrificium expiatorium, & Sacramentum vnitatis, & pacis, (vndè & *Synaxis* dicitur, idest, ex græco vocabulo, *congregatio, vnio*,) passim à D. Thoma, alijsquè SS. Patribus antonomasticè appellatur; quia ratio peccata expiandi, atquè membra Christo capiti, nec non inuicem coadunandi per excellentiam illi competit. Vndè Sotus 4. sent. dist. 8. qu. 1. ar. 4. *perspice ergò, quanto sint inter Christianos li-*

tes,

tes, iurgia, & bella magis nefanda, quàm inter cęteras gẽtes, eo quod peculiari nostræ religionis quotidiano Sacrificio pacem profitemur, vnitatemque inuicem seruare. Hinc enim in vsum venit, vt qui se volunt arctissima amicitia conglutinare, eandem inter se Hostiam sumendam diuidant.

73 g *Hæc Sacrosancta commixtio Corporis, & Sanguinis &c.** Habetur hæc formula, qua etiam Carmelitæ vtuntur, penè eadem in vetustissimo Codice Ratoldi apud Menardum *pag. mihi* 265. nempè: *Hæc Sacrosancta commixtio Corporis, & Sanguinis Domini nostri IESV Christi fiat omnibus sumentibus salus mentis, & corporis, & ad vitam æternam præparatio.** Ab illa breuiori Ritus Romani differt hæc nostra per maiorem expressionem, & vox *consecratio*, quæ additur in illa, importans nouam quandam significationem Sacramentalem, seù etiam exteriorem quandam consecrationem ex Corporis, & Sanguinis mixtione, vt contra Lutherum docet Bellarminus *de Missa l.* 2. *cap.* 27. tempore Innocentij III. hoc est sub initia Ordinis nostri, non erat in vsu Ecclesię Romanæ, quod indè colligit idem ibidem Bellarminus, quod Innocentius *l.* 6. *cap.* 2. illius orationis formulam ponens, atquè exponens, eius vocis non meminit: quæ nec habetur apud Amalarium *l.* 3. *cap.* 31. habetur tamen apud Micrologum *c.* 18. & in Ordine Rom.

„ 74 * Commixtionem autèm dicit (expositio
„ est Magni Alberti,) tantùm propter formarum
„ Sacramentalium commixtionem, (*ratione quarum quemadmodum dicitur videri, tangi, & frangi, ita etiã dici potest cõmisceri*, vt contra Luterum, & Kemnitiũ
„ notat Bellarminus loc. cit.) & dicitur *Sacrosancta*,

quia

„ quia præ alijs sancta, & sanctificans omnes com-
„ municantes: hæc enim aspersio Sanguinis omnibus
„ inducit sanctificationem, sicut dicitur Heb.12. *ac-
„ cessistis ad aspersionem Sanguinis meliùs loquentem,
„ quàm Abel.* Sanguis enim Abel loquitur vindictã,
„ Gen.4. *ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me
„ de terra*, Christi autem sanguis loquitur emenda-
„ tionis peccati remissionem. Et hoc est, quod dicit;
„ *hæc sacrosancta commixtio Corporis, & Sanguinis Do-
„ mini nostri IESV Christi,* qui remissionem omnibus
„ in sanguine suo impetrauit; *fiat mihi*, quia, sicut
„ diximus, perfector sanctitatis siuè sit Sacerdos, si-
„ uè Pontifex offert pro sua, & populi ignorantia,
„ sicut dicitur Heb.4. & ideò addit, *& omnibus sumẽ-
„ tibus,* siuè seruitute sumant, vt Clerus, siuè voto, vt
„ populus, siuè spirituali, siuè Sacramentali mandu-
„ catione sumentibus; *salus æterna mentis,* per virtu-
„ tem, *& corporis*, vt possit esse instrumentum animæ
„ ad salutem promerendam, Psal.83. *cor meum, & ca-
„ ro mea exultauerunt in Deum viuum,* Psalm.62. *siti-
„ uit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea*.
„ Et hoc est in corpore, & anima secundùm præsen-
„ tem iustitiam, & gratiam in præsenti, *& ad vitam
„ æternam,* secundum gratiam finalem in futuro, quæ
„ vocatur perseuerántiæ donũ, *promerendam* ex ope-
„ ribus gratię, & virtutum, *& capessendam* per effe-
„ ctum, *præparatio salutis æternæ,* quia hoc Sacramen-
„ tum per hoc, quod significat, qualitèr in vita æter-
„ na percipiemus Deum in rerum veritate præparat
„ ad vitam æternam, Ioann.6. *Si quis manducauerit
„ ex hoc pane viuet in æternum: & panis, quem ego dabo,
„ caro mea est pro mundi vita.*

75 Par-

75 h *Particulam Hostiæ in Calicem demittat*. De hac particulæ immissione in Calicem in omnibus Liturgijs etiam græcis, teste Bellarm. l. 2. cap. 27. præscripta, iàm in anterioribus deducta, breuitèr D. Thomas *hic ar. 5. ad 9.* his verbis perstringit: *per Calicem*, ait, *duo possunt significari. Vno modo ipsa passio Christi, quæ repræsentatur in hoc Sacramento. Et secundùm hoc per partem in Calicem missam significantur illi, qui adhùc sunt participes passionum Christi*, nempè adhuc in via peregrinantes, à beatorum absentes societate, atquè configurati adhùc, vt dicitur Phil. 3. similitudini mortis, & passionis eius, de quibus idem Apost. 2. Cor. 1. *scientes, quòd sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. Alio modo* (*sequitur S. Doctor*) *potest significari fruitio beata, quæ etiam in hoc Sacramento præfiguratur. Et ideò illi, quorum corpora manent in plena beatitudine, significantur per partẽ in Calicẽ missam*, iàm immersi in sãguine redẽptionis, ac de Christi plenitudine satiati. Aliàs significari, verè Christi Corpus in resurrectione vnitum animæ, iàm explicatũ in anterioribus habes; in sanguine enim vita est, & sanguinis effusione vita tollitur: de quo signatèr recole dicta t. 22. n. 144

76 i *Exosculetur extremum labium Calicis, & det pacem ministro &c.** Huius ritus labium Calicis hoc loco exosculandi meminit Durandus l. 4. cap. 53. n. 1. Gauant. *in hanc rub.* B. Albert. *hic*, Alexander de Ales l. 6. off. Miss. p. 2. §. 2. & his antiquior Beleth. *off. c. 48.*

77 Pacem per hoc osculum, (quam in solemnibus postmodum populo communicamus,) quasi accipimus à Christo Domino, qui in vltima Cæna Ioan. 14. ait Apostolis: *pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*; quàm insuper pacem à Chri-

à Christi passione, quam Calix significat, ostendimus deriuari. Rursus pacem insinuamus, quam Saluator IESVS post Resurrectionem dedit Apostolis, cum Ioan. 20. *Iterum dixit eis: Pax vobis ostendens*, ait; Durandus loc. cit. *quod non solum debemus pacem habere in ore, verùm etiam in pectore, ne simus ex illis, qui loquũtur pacem cum proximo suo; mala autem in cordibus eorũ: ideòquè cum hæc dixisset Apostolis, insufflauit in illos, & dixit; Accipite Spiritum Sanctum: ad quid designandum* (subdit) *vtiquè Sacerdos, facta commixtione, & finita oratione, accipit in quibusdam Ecclesijs pacem &c. ab ipso sepulchro, idest Calice*.

78 Ob easdem congruentiæ rationes, atquè etiã, vti ex Innocentio II. refert Magnus Albertus, *vt significetur omnium consensus ad ea, quæ acta sunt in mysterio totius consecrationis*, pacem acceptam communicat populo in Missis solemnibus, de qua D. Thomas, suam Missæ expositionem prosequens, *secundò*, ait, *præparatur populus per pacem, quæ datur dicendo*, (hoc est dùm à Choro cantatur) *Agnus Dei; est enim hoc Sacramentum vnitatis, & pacis. Datur osculum pacis* (ait D. Dionysius de cæl. Hier. cap. de commun.) *quia diuisis vnctio Sancta non conuenit*; seù, vt loquitur Isidorus off. cap. 15. *non recipit dissensionem cuiusquam Christi indiuisibile Corpus*; & vt Micrologus ait de Eccl. obseru. cap. 18. *iudicium sibi manducat, & bibit, quicunquè non fratri suo rapacificatus, communicare præsumpserit*. Meritò proindè abusum alicubi inductũ, vt contrà vsum Romanæ Ecclesiæ pax ante confecta mysteria traderetur, sustulit è medio Innocentius I. *Epist. 1. ca. 1.* quæ refertur *de cons. dist. 2. cap. Pacem igitur*, præcipiens dari, antequàm Sacramentum sumatur,

tur, vt explicat glossa ibidem; quo decepti nonnulli huius ritus institutionem Innocentio adscribunt; de quo infrà.

79 * In Missis verò priuatis Sacerdotem pacē non solum sumere, sed & dare ministro, & ministrum alijs communicare, rubrica Missalis Xauierre absolutè propoluerat; Missalia autem nouissima explicāt, de illis locis intelligi, *vbi hæc vigeat consuetudo*; quæ etiam restrictio legitur in antiquis Ordinarijs. Sed iàm vbiquè regularitèr (aliquis enim casus excipitur, de quo peculiaris extat rubrica) abijsse puto in desuetudinem, etiam apud vtentes Rom. ritu; etiam si, vt dicitur in rubrica Rom. Missalis, *illius datio Missæ conueniat*.

80 Antiquissimam de cætero cæremoniam esse, per solemnia pacis Sacrificij consummationē fieri, vt, qui etiam corporalitèr non sumunt, se spiritualitèr coniunctos esse ostendant in Corpore oblato Christi IESV, per quem facta est pax in Cælo, & in terra, liquet ex Dionysio *cap. 3. cæl. Hier.* Clemente *lib. 8. const. cap. 5.* Tertulliano *de orat. cap. 14.* Hieronymo *ad Theoph. Alexandrinum*, Chrysostomo *hom. 51. ad populum Antioch.* & apposité ex Augustino *serm. de Vigil. Paschæ* dicente: *post ipsam* (scilicèt Orationem Dominicam) *dicitur pax vobiscum, & osculantur se Christiani in osculo sancto*; ex alijs deniquè antiquis Orthodoxis Patribus, qui insuper eā memorant tanquàm ab Apostolis institutam, ad ipsam pertinere asserentes, quòd Apostolus non semel hortatur fideles, vt salutent se inuicem *in osculo sancto*, hoc est, ex Chrysostomo hom. 30. & D. Thoma in 2. Cor. 16. *non ficto, non subdolo, quemadmodum Iudas Christum osculatus est*. Per osculum enim huiusmodi pax, sub Ecclesiæ pri-

mordia communicabatur,& viri viros, fœminę fœminas osculabantur: crescente postmodum malitia, & refrigescente charitate,ad hoc,osculo proscripto,Tabella sacra inducta fuit, vti notat *Biel super cano. Missæ lect.* 61.& Baronius *ann.*45.

81 *Cum pro mortuis celebratur, & in triduo ante Pascha dimittitur pax, & osculum. In Missis tamen defunctorum*(prosequitur hic D.Thomas) *in quibus Sacrificium offertur non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum,pax intermittitur.* Et sicuti pax non datur in Missa defunctorum, *quia idm non sunt in perturbationibus huius Mundi*,vt ait glossa *in cap. Pacem igitur de consi.dist.*2. ità nec inter Monachos olim;quia sunt mortui Mundo,vt dicitur 2.q.7.*placuit* 16. *q.*1.*Placuit* 2.& gloss.*in d.cap.Pacem igitur*, verbo *demonstretur de cons.dist.*2. Nec aulicis quidem dabatur, sed longè alia ratione; *Circumferatur Patena pacis*, (ait Scholiast.Tertullian.lib.de orat.) *inter fideles,præterquam inter aulicos,quos vnanimes esse non sinit ambitio.*

82 Cum prætereà Pax inditium lætitiæ sit, vt notat Alcuinus,pax,& osculum prædicta etiam omittuntur in triduo ante Pascha, quando Ecclesia anniuersariam mæstitiam induit, Sponso veræ pacis auctore viduatam se memorans, quando passionis voluit mortem subire,vt pacem faceret ad Deum hominibus,qui per peccata ab eo fuerant diuisi.

TI-

TITVLVS XXVII.

De sumptione Hostiæ, & eam præced. Oratione *Domine IESV* &c. & *Corpus, & Sanguis &c.*

RVBRICA.

a *Qua poterit deuotione Orationē* Domine IESV Christe Fili Dei viui *&c. dicat. Qua finita* b *breui oratione mentali, se ipsum Domino commēdet, nulla addita oratione, nec pectus tundat. Ad* c Corpus, & Sanguis *&c.* d *inclinato capite, dextera manu tenens Calicem* e *de sinistra sumat ore sacrum Christi Corpus: quo facto statim* f *absumpta Hostia, Calicem cooperiat.*

NOTÆ.

83 a Qua poterit deuotione, Orationem, Domine IESV Christe Fili Dei viui, qui ex voluntate Patris &c. dicat. Deindè (prosequitur D. Thomas) sequitur perceptio Sacramenti, primò percipiente Sacerdote, & postmodum alijs dante; quia, vt Dionysius dicit 3. cap. Eccl. Hier. ille, qui alijs Diuina tradit, primò debet ipse particeps esse. Eucharistia namquè non solùm est Sacramentum, sed etiam Sacrificiū de quo fusim idem Doctor Angelicus 3. p. q. 82. ar. 4. nec non ad 4. Sent. dist. 12. Extat de hac re perspicua cōstitutio Canone 8. Apostolorum, ad quem refertur decretum Anacleti Papæ epistola 1. quam recenset D. Thomas 3. p. q. 80. ar. 10. ad 5. vbi de quotidiana cōmunione tractat ex professo, peracta consecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia. In felicibus itaquè nascentis Ecclesiæ exordijs, quando, vt loquitur D. Thomas loco mox citato, magna vigebat deuotio fidei Christianæ, etiam laici, qui Missæ sacro intererant, communicabant, Act. 2. perseuerantes cum Apostolis quotidiè in oratione, & communicatione fractionis panis: ad quam ex Dionysio cap. 3. Eccl. Hier. his verbis inuitari consueuerant: Venite fratres ad communionem, & ex S. Ignatio epist. ad Eph. Festinate fratres ad communionē: ex Liturgijs SS. Basilij, & Crysostomi, nec nō Ethiopica: Sanctum date Sanctis. Postmodum verò, vt notāt B. Albertus cap. 23. & D. Thomas loco cit. diminuto fidei

dei feruore, atquè excrescente multitudine fidelium, constitutum est, vt in diebus Dominicis; deinde ter in anno, iuxta legem Domini Exod. 34. ac demum in Lateranensi Concilio, semèl saltem in anno in Paschate *propter iniquitatis abundantiam*, vt ibi loquitur D. Thomas, *refrigescente charitate multorum* cõmunicēt. Non mei instituti hæc sunt; de ipsis fusim post Baronium anno 57. Bona *l. 2. cap. 14.*

84 Quod ad rem meam attinet, est, quòd notat Bona, orationes, quę post communionem à Sacerdote dicuntur, pro ipsis communicantibus esse, atquè etiam, iudicio D. Thomæ (vt in totius progressu articuli vidimus) orationes, & preces, quæ communionē, tanquàm præparatoriæ ad ipsam, præcedunt; vndè consecutiuè loquens hìc dicit: *sequitur perceptio Sacramenti, primò percipiente Sacerdote, & postmodum alijs dante.* Meritò proindè acriter redarguendi illi sunt, ex Bona ibidem, qui, quando adsunt communicandi, post Missam ipsorum protrahunt communionem: *fit namquè, ait, magna rituum Ecclesiasticorũ perturbatio.* * In quo cautos nos ideò fecit rubrica Gen. Xauierre *tit. de Sacra Comm.*

85 Nihilominus etiam orationes illę ad eos referuntur; qui alibi cōficientes, seù interessētes cōmunicant, vt alibi cum Bellarmino adnotaui, atquè etiã ad eos, *qui*, vt loquitur Magnus Albertus cap. 21. *in corde communicant; quamuis à communione abstineant proptèr indignitatem, & humilitatem.* Ad rem hanc S. Vincentius Ferrerius serm. 2. in Epiphania Domini, cum D. Thoma in 4. *sicut, ait, quando homo comedit in prandio, vel cœna, solum vnum membrum corporis, scilicet os comedit, & recipit cibum, & omnia alia membra resi-*

ciuntur; ita de Sacramento Altaris. Tota Christianitas est vnum corpus fide, & charitate coniunctum, habens multa membra. Sacerdos est os huius corporis. Cùm ergo Sacerdos communicat, omnia membra reficiuntur: ideò etiam pueri, qui sunt membra huius corporis: Ideò dicit Ecclesia in Collecta: Refecti cibo, potuque cælesti Deus noster: *non dicit, refectus de cibo Sacerdotis.*

86 Et hæc est communio spiritualis alibi tacta; de qua idem S. Vincentius ibidem subdit: *duplex est Communio scilicèt spiritualis, & Sacramentalis: communio spiritualis fit, quotiescunque homo audit Missam in charitate; tunc homo communicat spiritualitèr; tanquam membrum Ecclesiæ: alia est communio Sacramentalis, quæ præcipitur fieri semel in anno &c. De ista, virtute spei, dicit David:* Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno, *scilicet in Missa, quia illud tempus est ordinatio:* aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione, *Psal.* 144. Eiusdem Cõmunionis spiritualis meminit Concilium Moguntinum *cap.* 59. atquè etiam Tridétinum *sess.* 13. *cap.* 8. in hæc verba: *Alios tantùm spiritualitèr, illos nimirum, qui voto propositum illum cælestem panem edentes, fide viua, quæ per charitatem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentiunt.*

87 Eiusmodi Communionis inuentrix creditur gloriosissima Virgo Sedes Sapientiæ MARIA, de qua Gerson. tract. 9. super Magnificat, *MARIA quocunque loco fuerit corporalitèr in uespere Cœnæ* (à qua abfuit, ne ansa daretur hæreticis, dicendi, in Sacerdotissam vel Ipsam fuisse ordinatam, vt notat Sperellus in sua Liturgia cap. 53.) *comedit ante, & post institutionem huius Sacramenti verum Corpus, & bibit spiritua-*

tualiter verum Sanguinem filij sui: & clarius paulo post: *MARIA vespere dictæ Cœnæ dicenda fuit frui*(spiritualitèr)*corpore,& sanguine Filij sui.* Quò facit illud Augustini; *Crede,& manducasti.* Et huius exercitij praxim, in sancta Catarina Senensi, alijsquè sanctis modernis, atquè antiquis, præcipuè solitarijs Paulo, Antonio, Hilarione, Machario &c. ab historicis commendatam, pluribus prosequitur Mauburnus Canonicus Reg. *in suo Roseto tit. 15. Alphab. 38. litt. M. & N.* necnon Rodriquez *tom. 1. tract. 8. cap. 15.*

88 Quod attinet ad Communionem, etiam Sacramentalem, an eius frequentia saluti animarum expediat, placet exscribere, quod docet D. Thomas *loc. cit. in o.* vt indè animaduertamus, quanta deuotione, ad quam rubrica *hic* nos excitat, iam ad sumptionem properanti siuè Celebranti, siuè tantum communicanti opus sit. *In sumente*, ait (à fortiore in Celebrante,) *requiritur, vt cum magna deuotione, & reuerentia ad hoc Sacramentum accedat; & ideò si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est, quod quotidiè sumat. Vndè Augustinus l. 4. de verbis Domini cap. 6.* (repetens verba S. Ambrosij lib. 5. de Sacram. cap. 4.) *cum dixisset: accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit, subiungit, sic viue, vt quotidiè merearis accipere*; quod est, vt notat Caietanus *in D. Thomam ibi*, spiritualem vitam sic ducere, vt quotidiana communione semper augeatur gratia; alioquin non sic viuitur, vt quotidiè mereamur accipere. Nam qui quotidie meretur accipere, debet quotidie sic esse dispositus, vt fructum Eucharistiæ percipiat: fructus autē spiritualis huius cibi est non solum actualis refectio spiritualis, sed augmentum gratiæ, in cuius augmenti statu per totū

tempus præsentis vitæ sumus ; eo proportionali ; & exemplificatiuo modo ; quo puer, ex cibo corporali sumpto, & in dies reficitur, & in dies augetur. *Propter quod*, concludit Caietanus; *crebrò, aut quotidiè celebrantes discutiant in se ipsis fructum præteritæ celebrationis ; & secundum profectum, vel defectum ; quem experiuntur in se, prosequantur, vel à prosecutione desistant: qui enim multis celebrationibus peractis, ad actus virtutum non melius se habet, quàm prius, passionibusque non minus subijcitur, quàm prius, parum, aut nihil celebrando proficit &c.* Quò facit illud D. Bonauenturæ de præpar. ad Miss. cap. 14. *Signum est spiritualis infirmitatis, vel mortis. Ignem posuisti in sinu, & non sentis calorem: mel in ore, & non sentis dulcedinē?* Et hoc est, quod statim D. Th. subdit; *sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt propter corporis indeuotionem, vel animæ; non est vtile omnibus hominibus quotidiè ad hoc Sacramentum accedere; sed quotiescunque se ad illud homo inuenerit præparatum. Vnde in libro de Eccl. dogmatibus cap. 53. dicitur: Quotidiè Eucharistiæ communionem accipere nec laudo, nec vitupero;* cuiusmodi tenoris est decretum nouissimè editum à Sanctissimo Domino N. Innocentio XI. sub datum die 12. Februarij 1679. Fusim de quotidiana, seù frequenti communione ; ac de Patrum circa eam sensu, Durantus *l. 2. cap. 55.*

89 Ex dictis ; (quod ad rem nostram ducit) admoneamur ; quantum in nobis est, operam omnem impendere, vt oculi nostri iam aperiantur ; vt, cum discipulis euntibus in Emaus, cognoscamus Dominum in fractione panis. *Quicumque Sacrificium offert,* docet D. Thomas 3. p. q. 82. art. 4. in ō. *debet Sacrificij fieri*

fieri particeps; (attende rationem,) *quia exterius Sacrificium, quod offertur, signum est interioris Sacrificij, quo quis se ipsum Deo offert, vt Augustinus dicit 10. de Ciu. Dei. Vndè per hoc, quod participat Sacrificio, ostendit ad se Sacrificium interius pertinere*. Humanis ergo affectibus vale dicamus, iàm transituri in Christum; quod vtiquè Dominus indicauit, dùm Apostolorum pedes, quamuis iàm mundi essent, lauit, preciosissimi corporis, & sanguinis sui Sacramenta mox illis daturus. Pedes enim humanos affectus significant, ex Augustino *tract. 56. in Euang. Ioan. cap. 13.* ob id quandoquè in Ecclesia receptum fuit, pedes lauare ante sacram communionem, ex eodem Augustino *epist. 119 cap. 28.* Reminiscamur, eum, qui in conuiuio Dominico sine veste nuptiali accubuerat, carceri emancipatum, & sempiternis pœnis addictum: & clamante Apostolo: *probet se ipsũ homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat*; probet se ipsũ Sacerdos, recogitans, *quã nõ oportet esse puriorem*, (verba sunt Chrysostomi hom. 60. ad populum Anthiochenum) *tali fruentem Sacrificio, quo solari radio manum hanc carnem diuidentem, os, quod igne spirituali repletur, linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Quod Angeli videntes horrescũt, nec libere audent intueri, hoc nos pascimur.* Filiali ergo timore repleamur, indignos nos recolentes cum Cẽturione, qui Dominum suscipiamus sub tectum nostrum; sed tamẽ etiam cum Zaccheo fiducialitèr agamus, Dominum suscepturi; nàm, vt aduertit D. Thomas 3. p. q. 80. ar. 10. in ô. *amor, & spes, ad quæ semper Scriptura nos prouocat, præferuntur timori: vndè & cùm Petrus dixisset; exi à me Domine, quia homo peccator sum, respondit IESVS: noli timere*: Sciamus deniquè, S. Cypria-

pria-

priano de Cæna Domini docente, quod *in huius veracissimi, & Sanctissimi Corporis præsentia, non superuacuè mendicant lachrymæ veniam, nec vnquàm patitur contriti cordis holocaustum repulsam.*

90 In primis itaquè omni, qua possumus, deuotione, vt rubrica præmonet, dicamus orationem *Domine IESV Christe &c.* de qua Magnus Albertus: Sa„ cerdos in oculis tenens Christum, antequam pro „ se, & omnibus communicet, dicit hanc orationem „ *Domine IESV Christe*, dirigens ad eum, quem in „ manibus tenet, & oculos, & intentionem, & ora„ tionem, notans obedientiam, qua venit ad oblatio„ nem in ara Crucis, in qua se pro omnibus obtulit, „ dicens, *qui ex voluntate Patris*; Philip. 2. factus obe„ diens Patri vsquè ad mortem, mortem autem Cru„ cis: *cooperante Spiritu Sancto*, qui hanc Hostiam „ in vtero Virginis formauit &c. Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te*; & iterum, *quod ex te nascetur* „ *Sanctum vocabitur Filius Dei*; Matth. 1. *quod enim* „ *in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Per mortem tuam* „ potentissimam, sicut dicitur Ioann. 10. *quia ego po*„ *no animam meam, vt iterum sumam eam: nemo tollit* „ *eam à me, sed ego pono eam à memetipso. Mundum* „ peccatis mortuum, *viuificasti*, Psalm. 79. *Non di*„ *scedimus à te, viuificabis nos*; Oseæ 6. *viuificabis nos* „ *post duos dies, in die tertia resuscitabis nos. Libera* „ *me* primùm, & in me omnes alios Ioann. 8. *si Filius* „ *vos liberauit, verè liberi eritis. Per hac sacrosanctum* „ *Corpus, & Sanguinem tuum*, de quo dixisti Io: 6. „ *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangui*„ *nem habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in* „ *nouissimo die. A cunctis iniquitatibus meis*, quæ sunt

mors

" mors animæ, & *omnibus malis*, quę sũt mors corporis.
" *Et fac me*, & meos, pro quibus tibi offero, in omni-
" bus *tuis semper obedire mandatis*; quia obedientia
" generalis debet esse; Iacob. 2. Quicumquè totam
" legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est
" omnium reus. *Et non finas me*, per donum perseue-
" rantiæ, *vnquam à te separari*, Matth. 24. *Qui perse-
uerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Hæc ille.

91 Habetur autem hæc oratio in codice Ratoldi; nec non in codice Tilliano apud Menardum *in appendice ad librum Sacramentorum*. Eandem vnicam ante sumptionem Hostiæ, & Calicis proponit Rodulphus Tungrensis antiquorum Rituum diligentissimus scrutator, qui floruit sub annum 1400. *lib. de Canonum obseruantia propositione* 23. nec non Micrologus *de Ecclesiasticis obseruationibus cap.* 18. cuius libelli auctor de diuinis officijs optimè meritus, floruit sub annum 1080. vbi vterquè addunt, nõ ex Ordine, sed ex Religiosorum traditione eam haberi; & idem Micrologus *cap.* 23. præter hanc, quam per extensum refert, nullam aliam dicendam exponit. Dicto tamen cap. 18. *sunt & aliæ*, aduertit, *multæ orationes, quas quidam ad pacem, & communionem priuatim frequentant, sed diligentiores antiquiorum traditionum obseruatores nos in huiusmodi priuatis orationibus breuitati studere docuerunt, potiusquè publicis precibus in officio Missæ occupari voluerunt. Nam Beatus Innocentius Papa scribens S. Augustino, & Aurelio Episcopis asserit, quod nos plus communibus, & publicis, quàm singularibus, & priuatis orationibus proficere poterimus*: Hæc Micrologus: quæ eadem repetit Radulphus *loco citato*: qui vtique intelligendi sunt de orationibus,

quæ

quæ olim priuata auctoritate adhibebãtur; consequẽtèr sub huiusmodi nota non illę cadunt; quæ ab Ecclesia sapientèr postmodum propositæ sunt.

92 Dixi *postmodum*, quia quas Ritus Rom. præscribit, nouitèr fuisse Missæ Gregorianæ, seù Romanæ insertas, nonnisi religiosorum deuotione iàm alicubi inuentas, testatur Bellarminus de Miss. l. 2. c. 27. Bona hìc, Gauantus *in rubr. Missalis Rom.* & alij moderni.

93 Nec enim in antiquis earum mentio habetur; nõ extãnt in libro Sacramentorum D. Gregorij, (qui desinit post *Agnus Dei*, vt vidimus;) non in Ordine Romano, non in alijs: illarum nec meminerunt medij temporis Scriptores; nullam allegat neque *Domine IESV Christe, qui ex volunt. &c.* Hugo à S. Victore, qui floruit sub annum 1136. nullam Gemmæ animę auctor sub annum 1220. nullam Innocentius III. synchronus S. P. Dominici; nullam D. Thomas: apud D. Bonauenturam, & Radulphum cit. vnica habetur *Domine IESV Christe, qui ex voluntate &c.* Ipsarum denique vix meminerunt, qui duo sęcula præcesserunt, Scriptores. Et vt de illis singillatim aliquid subijciam, Orationem, pro pace, *Domine IESV Christe, qui dixisti &c.* vir liturgica eruditione insignis Gauantus *p. 2. tit. 10. nu. 3. litt. D.* nõ haberi testatur apud antiquos, sed in Missali M.S. Vaticani, & illam obiter indicat Durandus *cap. 53.* De altera oratione *Perceptio Corporis tui, nullum auctorem hucusque inueni* (ait Gauantus ibidem nu. 6. litt. I.) *qui hanc indicet; eam legi in citato Missali Vaticano:* extat tamen etiam in præcitatis codicibus Ratoldi, & Tilliano. *Panem cælestem accipiam,* subdit Gauantus *ibidem litt. N.* haberi

heri apud Durandum *c.*54. qui Ecclesiarum quoquè particularium ritus expendit. Orationem, *Domine non sum dignus*, notat. litt. O. fuisse communem omnibus communicaturis, vt habetur ex Origene *hom.*5. *in diuers.* (* ea nos etiã ad populi communionem vtimur) sed non liquet, à Sacerdotibus Sacrificium consumpturis olim, vniuersalitèr saltem, fuisse adhibitam; & Card. Bona *hic*, hos versus in quibusdam M.SS. Missalibus reperiri affirmans, in plerisque subdit deesse. Orationem pariter, *Quid retribuam*, haberi refert Gauantus *litt. F*, nonnisi apud Durandum *cap.*54. quod idem notat de Crucis signis, quæ cum Hostia, & Calice Ritu Rom. fiunt; quarum crucium ideircò D. Thomas non meminit neque hic *in 3. par.* nequè *in opusc.*66. vtrobiquè Cruces, quæ tunc in Missa vniuersalitèr fiebant, expendens. Quod idem deniquè firmat de Oratione post ablutionem, *Corpus tuũ Domine*; quam tamen verbis paulò diuersis conceptam, vt alicubi suo tempore adhibitam, recenset, & exponit B. Albertus *hic cap.*22. Propterea recensens *p.*2. *tit.*15. additiones partium Missæ, ordine temporum, quo factæ sunt, de præfatis, quæ * nos omittimus, mẽtionem vix vllam habens, concludit: *reliqua Pij V. authoritate sunt communita.* Fateor pleno ore, orationes præfatas summam redolere pietatem, ac congruentijs vndeçunquè optimis præpollere. A me ergò deducta eò dumtaxat tendunt, vt innotescat, vti ritum vniuersalem pietate, sic nostrum antiquitate præstare; & vt cesset admiratio, nos, non quidem breuitati, vt quidã autumant, sed antiquitati inseruientes, tùm has, tùm alias, de quibus suo loco sermo fuit, omittere; vndè citius à Missa facienda expedimur. Cùm tamen nostra

ſtra breuior ſit antiquior Carthuſienſium Miſſa, qui, quod attinet ad rem præſentem, dicto: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, ſubdunt, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*; ſubnectũt, *Agnus Dei*, ſemel, poſtmodum profundè inclinati Orationem *Domine IESV Chriſte*; *& aliquantulum quieſcentes in meditatione tanti myſterij*, vt loquitur eorum Ordinarium, ab alia quacunquè vocali oratione, tùm Hoſtiam abſumentes, tùm Calicem, abſtinere iubentur.

94 Vt deniquè de externa quoquè deuotione, ac ritus praxi aliquid ſubijciam; præclarè S. Chryſoſtomus *hom. in encænijs* enarrat, quo geſtu ſacroſanctam Euchariſtiam accipi par ſit: *Stemus*, ait, *trementes, & timidi, demiſſis oculis, renata autèm anima, gementes ſine voce, iubilantes corde*. Et propoſito eorum exemplo, qui Regi terreno aſſiſtunt; *ex ipſis*, ſubdit, *documentum accipite hominibus; & ſic aſſiſtite Deo, quaſi ad terrenum Regem acceſſuri*. Erudiamur nos hinc, à deuotione, vti & à rubrica abhorrere geſtum Corporis incomptum, qui hìc à nonnullis *noſtris præſertim, vſquè ad ſumptionem adhibetur, pedes, aut pedem incuruantibus, aut alio modo corpus intorquentibus. * Nec ſint ex noſtris, qui rubricam attendant Miſſalis Beccariæ, in qua plures huiuſmodi geſtus proponuntur, reminiſcentes, nullius iam roboris eſſe, immò & aboletam fuiſſe in Miſſalis reformatione, cui Clementis VIII. Apoſtolica confirmatio acceſſit.

95 b *Breui oratione mentali ſe ipſum Domino commẽdet, nulla addita oratione, nec pectus tundat.* * Breuem orationem mentalem vocalí addimus; quos hoc maximè tempore excitare, & acuere par eſt religioſæ pietatis affectus, intus obuoluentes, *in ſpiritu* ſcilicèt,

&

& veritate, vt dicitur Ioann.4. hoc est, vt glossant Patres, spiritualibus actibus Fidei, Spei, Charitatis, Religionis, deuotionis, contritionis: quod est intimum, & fragrans animi studium adhibere, vt dicitur in Cathechismo Rom. p.4.c.8.nu.2. Quod si vigilare omni tempore, hoc præsertim modo, orantes, Dominus indicit *Luc.*11. hoc quidem potissimum, vt digni habeamur, vt ibidem dicitur, *stare ante Filium hominis*.

96 * Nullam verò aliam orationem vocalem addi propter illos rubrica nostra præcipit, qui iam, priuato spiritu ducti, interponebant, *Nunc dimittis*, vel, *O Sacrum conuiuium*; vt colligitur ex decreto Capituli Generalis Neapolis 1690. quod has, & huiusmodi alias orationes dici inhibuit. De vetita pectoris tunsione, alicubi apud nostros, in signum adorationis, iam adhibita, infra sermo occurret.

97 c *Corpus, & Sanguis Domini nostri &c.* Corpus Domini nostri &c. haberi *lib.*8.*const. Apost.c.*13. notat Gauant. *loc.cit.c.*13. Religiosorum traditioni & eam adscribere videtur Micrologus cit. cap.18. *orationem*, inquiens, *quàm inclinati dicimus, antequam communicemus, non ex Ordine, sed ex Religiosorum traditione habemus, scilicèt hanc*, Domine IESV Christe, qui ex voluntate Patris &c. *Item & illud*; Corpus, & Sanguis (quandò fortasse sub vtraque specie fideles communicabant) Domini nostri IESV Christi, *quod dicimus, cùm alijs Eucharistiam distribuimus*. Quod & repetit Radulphus prop.23.

* Iuxta hanc formulam hoc nos loco addimus ly *Sanguis*, quod refertur ad sumptionem Calicis; tunc enim nihil dicimus, iuxtà vetustam praxim, de qua suprà; quę saltem vsquè ad Durandi tempora

vbi-

vbiquè perdurasse, ex eo insinuat Gauantus, quod Durandus minutiora quæquè persequi assuetus, illorum verborum, ante Calicis sumptionem, non meminit.

98 d *Inclinato capite,** Consuetudo viget alicubi apud nostros hoc loco, seù etiam paulo anteà, ad orationem *Domine IESV CHRISTE*, vt mox dixi, nō solum inclinandi caput, sed etiam incuruandi pedes, aut ad latus se retrahendi, aut alio modo corpus extorquendi, aut tandem suprà caput inclinatum Hostiam cum Calice eleuandi: quod faciunt, vt indè Oblata populo patentia publicè ipsius adorationi remaneant exposita. Hanc statim reprobando Cæremoniam, temerè me agere existimaui. Licèt enim in rubrica tùm antiqui Ordinarij, tum omnium Missalium (si illud Beccariæ pluries reiectum excipias, sic dicens: *ad communionem sumendam, dextro poplite ad terram flexo, humiliter Corpus Christi adorando &c.*) illius nec coniecturam, nec vestigium inuenerim, non tamèn satis ad credendum induci potui, in Ordine pietate, & doctrina conspicuo, à pluribus, nulla suadente qualicumquè ratione, potuisse cæremoniam non pauci, immò multi momenti practicari. Sciebam quidem, hunc Græcis, cæterisquè Orientalibus morè esse, attollendi Corpus Christi post Orationem Dominicam, aliasquè preces, Communione statim subsecutura, vt manifestum est ex Liturgijs SS. Iacobi, Basilij, Ioannis Chrysostomi, & ex SS. Anastasio Sinaita *orat. de Sancta Synaxi*, Cyrillo Hierosol. *cath. 5. Mystag.* quam consuetudinem in sua Liturgia imitantur Æthiopes. Nec desunt apud Menardum *pag. mihi* 375. (quos tamèn refellit) existimantes, duas olim fuisse

fuisse eleuationes; priorem, quæ etiam fiebat à Sacerdote statim post consecrationem iuxtà ritum hodiernum, Communione mox subsecutura; alteram, quam verbis comitabantur, *Sancta Sanctis*. Cæterum apud latinos in omni ritu hæc iterata eleuatio insolita semper fuit; nequè eius vestigium vllum apud antiquos rei Liturgicę Scriptores reperij.

99 Pendebam sic animo; quando deniquè ad manus fuit vir Apostolici pectoris Magister Leonardus de Vtino *in Quadragesimali suo sermone* 42. *de dignitate animæ humanæ in* 2. *p. eiusdem sermonis, & in testimonio legis canonicæ* sic dicens: *In principio Ordinis nostri insurrexit quædam hæresis asserens, non esse verum Corpus Christi in Altari, nisi quandiù eleuatur. Cuius opinionis fuit Magister Ioannes Vuiclef. Ordo autem noster præualuit contrà hanc hæresim, miro modo eam confutando. In cuius signum datum est Ordini nostro, vt in Missa post* Agnus Dei *ante Communionem tenerent Fratres Hostiam eleuatam super Calicem, vt sic adoraretur ab vniuerso populo, tanquàm verum Corpus, & Sanguis Christi; & ne deponeretur vsquè ad Communionem. Propter hanc causam* (subdit post pauca) *plures Fratres nostri martyrio coronati sunt ab Hæreticis; & dum essem in Concilio Ferrariensi tempore Eugenij Papæ IV. relatum est, plures Conuentus nostri Ordinis funditus euersos ab Husouistis in Boemia, & Fratres trucidatos ab eisdem. Ordo enim noster valdè insudauit contrà hæreses, ad earũ extirpationem, & præcipuè circà hoc Sacramentum Corporis Christi.* Hęc ille.

100 Addo, totum hoc relatum etiam, ac confirmatum haberi *in breui Chronica Generalium Ordinis nostri*, annexa Constitutionibus impressis Romæ an-

no 1566. sub Gen. Vincentio Iustiniano; nec non apud insignem Annalistam Abraham Bzonium *anno* 1313. *historiæ Ecclesiast.* & deniquè apud Iustinum Miechouiensem Polonum *discursu 231. super Litanias Lauretanas*.

101. Cognoui ex tunc, nulli omninò fundamento eam cæremoniam innixã minimè esse, Ipsamtamẽ adhuc reprobo. Quidquid enim fuerit de præterito, verita de præsenti, (iã hæresi illa tradita obliuioni) hæc iterata Hostiæ expositio videtur; quia in Missalibus bis reformatis auctoritate etiam Apostolica Iulij III. & Clementis VIII. nec verbum de illa fit; consequenter, si aliquando volita, postmodum rejecta censenda est; nequè enim in Cæremonia hac multi momenti tacuissent; ideò Ciantes in suo Cæremoniali hic: *Nec Sacramentum, ait, eleuando populo ostendat*. Priuilegium ergo prædictum in eo situm existimo (nequè alitèr præfati auctores, si ad trutinam reuocētur, fortasse loquuntur) quod fractam Hostiam super Calicem eleuatam continuò vsquè ad absumptionẽ retinemus, idest non deponimus extra Calicem, vti Ritu Romano, sub Ordinis nostri initia, Innocentio l. 5. cap. 2. asserente, practicabatur: vndè fit, vt Hostia non quidem omninò apparens, sed aliqualitèr hinc indè transparens adoretur à populo. Conclusio itaquè sit. Nonnisi ergo capitis inclinationem, (& hanc non priùs, quam dicamus, *Corpus, & Sanguis Domini Nostri IESV Christi* &c.) adhibeamus, prout rubrica Ritui Rom. conformis sonat, à corporis quacunquè extorsione, aut genuum curuatione abstineamus. De hoc iterum tit. sequent.

102. *De sinistra sumat ore sacrum Christi Corpus*,

Cæremonia hæc vnà cum instituto Ordinis nostri obseruata congruentijs vtiquè, ac mysterijs plena profuso calamo tractanda est, præsertim cùm de ea secundæ aduersæ Ordini nostro intẽtiones in vulgus iudicio in rebus vti non assuetum, diffusæ aliquando fuerint.

103 Et primo loco huius Cæremoniæ causa litteralis occurrit ex Magistro Leonardo de Vtino *loco præcitato*, quæ, supposito priuilegio, quod ibi allegat, & supposita pectoris percussione, quam innuit, modò dissuetam, & à rubrica expresse vetitam (in cuius fortasse locum orationem mentalem suffecit) spernẽda non est: *Datum est*, ait, *Ordini nostro, vt in Missa post* Agnus Dei *ante Communionem teneret Hostiam eleuatam super Calicem, & sic adoraretur ab vniuerso populo, tanquam verum Corpus, & Sanguis Christi, & ne deponeretur vsquè ad Communionem inclusiuè. Quia verò cum manu dextera debet Sacerdos tundere pectus suum, tanquam verum Deum adorans, Hostiam oportuit vt cum manu sinistra teneret, & sic communicaret*. Idem enarrat Bzouius cit. anno 1313. his verbis: *Id Cæremoniæ sinistra Communicandi datum etiam à Sede Apostolica fuit Ordini Prædicatorum, propter triumphatam à Prædicatoribus Fratribus Berengarianam hæresim, in contumeliam Sanctissimæ Eucharistiæ in Europa temporibus D. Dominici, & Petri Martyris reuiuiscentem: vt cùm post* Agnus Dei *sinistra super Calicem eleuatam Hostiam tenerent, tunc vniuerso populo adorandum Christum Deũ verum, & hominem sub speciebus panis, & vini præsentem exponerent; tum ipsi, tunsione pectoris, interiorem animi Latriam ostenderent, in Sacrosanctum pignus salutis.*

104 Nec verò extrà rem Macrus *in suo Hierole-*

xico V. Communio, litteralem alteram congruentiam tradit, *vt nimirum*, inquiens, *periculum versionis Calicis euitetur, dextra manu tenendo Calicem, cùm sinistra sit agilior dextera*.

105 Preterea ritum ipsum peruetustum fuisse, & ante Ordinis nostri institutionem in alijs Ecclesijs vsitatum indè suspicor, quod Romæ in Ecclesia Cisterciensium *Schala Cæli* nuncupata imago visitur D. Bernardi in actu celebrandi; ac se se sinistra manu communicandi. Rursùs vestigium ritus eiusdem in eo habetur, quod Summo Pontifici, solemnitèr celebranti, Sacrosancta Hostia ad leuam defertur, dicente Cærem. lib. 2. cap. 14. *cùm Subdiaconus peruenit ad Pontificem, stet ad eius sinistram erectus*.

106 Nec mirum. Ab antiquis enim pars sinistra dextera nobilior habebatur; quod praxis Conciliorum Generalium, teste Baronio *anno* 325. *nu.* 59. *& alibi*, inconcussè firmat. Id autem duplici ratione (vtraque rei nostræ applicabili) potuisse contingere asserit *ibidem* Baronius, siuè quod in Ecclesia Christi ex benedictione illa Patriarchali *Gen.* 48. in Ephraim, atquè Manassem mutatæ sint rerum vices, & ordo, vt quæ sinistra esset in dexteram, & dextera in sinistram dignitatis, & benedictionis ordine mutaretur; siuè quod apud Romanos pars sinistra melioris esset auspicij, ac proinde dignior haberetur; sed illud in Sacris tantummodò, atque diuinis, quod, & aiunt, sinistra nostra dextera Numinis, quæ præcipuè attendi debet, habeatur. Hęc ille; quæ & factò comprobat tā in Orientali, quàm in Occidentali Ecclesia. Etenim in Orientali, Sophronio Hierosolym. Episcopo referente *homil. ad populum* habitâ in posteriori Nicæna

Syno-

Synodo, ità solebant Domini Nostri IESV CHRISTI depingi imagines, vt Dominam Nostram Deiparam semper Virginem MARIAM à sinistris, à dextris Baptistam Saluatoris nostri Præcursorem haberent. In Occidentali verò, vt à dextris Paulus, à sinistris Petrus Apostolorum Princeps collocaretur, vsus vetustissimus fuit; qui adhùc in antiquioribus Vrbis Ecclesijs, & in Romanorum Pontificum diplomatibus visitur. Hinc etiam factum, vt olim, cùm in Basilicis distincta essent loca fæminarum, atquè virorum, dextera illis pars, his sinistra daretur.

107 Mystica iàm aggrediamur. Plura congerûc P. Susatus *in sua Chronica*; Leonardus de Vtino *loco præcitato*: Chronica cit. Generalium Ordinis; Bzouius *historia Eccl. anno 1313*. P. Iustinus Miechouiensis Polonus *discursu 231. super litanias Lauretanas*. Aliqua hic subijciam. Prima ratio trahitur ex D. Gregorij Papæ homilia diei Paschæ: *quid per leuam, nisi præsens vita significatur?* vndè D. Thomas *super Epist. ad Gal. 1.* congruentię rationem alteram assignans, ob quam Paulus à dextris, & Petrus à sinistris collocatur; *quia*, inquit, *præsens vità significatur per sinistram; futura verò per dexteram, in quantum ista est cælestis, & spiritualis; illa verò temporalis; ideò Petrus, qui vocatus fuit à Christo adhùc in carne mortali posito, ponitur in Bulla Papæ in sinistrâ parte; Paulus verò, qui vocatus fuit à Christo iàm glorificato, ponitur in parte dextera.* Cum sinistra ergo communicantes innuimus, quod per virtutem Sacramenti, & passionis Christi de pręsenti miseria transferimur ad gaudia sempiterna; cũ præsertim dicatur Cant. 2. *dextera illius amplexabitur me*; nam sinistra nostra, dextera Numinis.

112 His generalibus magis adhuc peculiares congruentias adnecto. Et prima occurrit ex nomine Ordinis Fratrum Prædicatorum; nam Innocentius III. dedit Ordini nomen Fratrum Prædicatorum, quia prædicaturi erant IESVM Christum Crucifixũ; & ideò dedit Ordini, scilicèt Generali Fratrum Prędicatorum Crucifixum pro signo sigilli. Qui quidem Generalis Magister habet Crucifixum in Ordinis, & officij sui sigillo. Cùm ergo hic in sinistra; scilicèt præsenti vita Dominus sit Crucifixus, quem verbo Crucifixum prædicamus, in sigillo pro signo habemus, manu sinistra passum; crucifixumquè in humanitate, in officio Missæ; cùm manu sinistra communicando, demonstramus:

113 Insuper per sinistram vita actiua significatur, vti cum Durando *tit.* 23. *num.* 182. dictum est; & confirmatur ex D. Petro Damiani opusc. 35. cap. 3. vbi *sicut contemplatiua*, inquit, *vita per dexteram, sic actualis exprimitur per sinistrã*: indè post plura ad rem, de qua agit, infert: *non ergo mirum, si B. Petrus aliquãdo partem videatur tenere sinistram, qui & actiuæ vitæ continet ex Scripturarum auctoritate figuram*; nos itaquè, qui sumus ex instituto vitæ potissimum actiuæ emancipati, Corpus Domini in sinistra manu tenentes, atquè eadem sumentes denotamus, quòd in Apostolico munere proximorum saluti nauandi operã, cũ Apostolo: õnia possumus in eo, qui nos confortat. Et cum, vt cum Baronio aiebam, *sinistra nostra dextera Numinis habeatur*, auemus, vt ad id muneris adimplẽdum *dextera Domini faciat virtutem, dextera Domini exaltet nos*. Quò ideò facit id *Genesis cap.* 48. *Iacob extendens manum dexteram super caput Ephraim, sini-*

multus ob id fui, quod quidam Scriptor calumniam in nostrum Ordinem olim suscitatam, sed iam ab annis centum Orco sepultam, perpetuoquè igni damnatam, maiori inscitia, quàm conscientia ab inferno reuocans, splendide mentitus fuit, Fratribus Ordinis Prædicatorum pœnitentię, & satisfactionis loco datū esse, vt celebrantes Sacrosanctam Eucharistiam sinistra manu recipiant. Totum pandam, vt veritas elucescat; dum nihil ea erubescit, nisi solummodo abscōdi. Narrant historici, quod Henricus VII. Lucellembourch Romanorum Imperator in Ciuitate Pisarum existens, æstus tempore, & ad magnam, Medici iudicio (, qui & de hac re publicum rogari fecit instrumentum) dispositus infirmitatem, iter versus reliquas Tusciæ partes, familiarium, amicorum, atquè ipsius Medici consilio minimè acquiescens, susceptum prosequebatur, cùm in Vigilia Assumptionis Dominæ Nostræ gratiis eum parocismus tertianæ aggressus est; de quo nil solicitus, in die Dominæ nostræ, præsentibus multis Baronibus, Sacrosanctam Eucharistiam accepit, diemquè ipsum in magno conuiuio, & lætitia expendit; & die sequenti equitare omninò voluit, castraquè mouit; vndè labore itineris, & æstu fractum alter parocismus in Bonconuentu degentem occupauit; à quo non vltrà destitutus nona die diem clausit extremum; ad eius mortem non parum conferentibus & loco vitiati aeris, & Medicorum indulgētia, qui tres quotidie, & aliquādo quatuor cyathos vini nigri potentis cum tantundem de aqua, & offa panis calefacti, incautè decumbenti dederunt, debilitati volentes consulere, sed de ęstiuo tempore, ac de febri acuta, qua laborabat, minimè cauti: vndè factum est,

vt in summa inquietudine ad mortem vsquè versatus sit; & defuncti cadauer, non quidem cum tumore aliquo, aut depilatione, sed subliuens apparuerit.

117 Imperatori à confessionibus erat Frater Bernardus de Montepolitiano Ordinis nostri; in id muneris Cancellario, & Episcopo Tridentino suffectus, vir religiosis moribus insignis, & in multis officijs, ac negotijs Ordinis summa cum ipsius laude iàm adhibitus; cuius omnes consanguinei generis nobilitate præcipui Imperatori adhærebant; quemquè tanto Imperator prosequebatur honore, vt eius principibus æquaretur, illiquè plusquàm cuiquam alteri deferret.

118 Ægro id animo ferebat quidam Cappellanus Imperatoris, qui frustratus iam concepta spe in ipsius Confessarium euadendi, de inuidia in Fratrem Bernardum ad maleuolentiam processit; quæ sinu enutrita, tandem, ab Henrici decessu aditu sibi facto, in iniuriam adeò erupit, vt non dubitarit in sancto malignari, eum infamans, quod Henricum viuifico Sacramento extinxerit, tanto viro in tantum Dominum tantum flagitium imponens; quàmuis ad defuncti Imperatoris amicos statim ille accesserit, innocentiæ testem habens propriam conscientiam. Malè feriatus ille in ea fortasse tempora se incidisse existimarat, de quibus Sydonius Apollinaris in Epist. ad Principẽ Burgundionem: *in ea deuenimus tempora, quibus, vt quis damnetur, sat est vel semel fuisse accusatum. At si accusari suffecerit, ne Christus quidem innocens abibit.*

119 Et quidem infamiam hanc nulli omninò veritatis nec fuco inniti, ex eo palàm fit, quod, vt notat eruditissimus Scriptor Cabassutius *in notitia Conciliorum*, Macrus *in suo Hierolexico V. Communio*; Odoticus

ficus Raynaldus *in continuatione Baronij anno* 1313. apud nullum ex illis æui historicis veneni mentio habetur: non veneni meminit Ioannes Villanus Scriptor candidissimus, suis Florentinis parcere non solitus; qui eodem tempore vixit: non Albert. Mussatus Patauinus, tunc pariter viuens diligentissimus Scriptor rerum Henrici VII. ac eidem addictissimus; nec (vt D. Antoninum vt potè ex nostris præteream) Ptolomeus Lucensis, non Guill. & Albrig. non alij; cùm aliàs naturali ægritudine correptum Henricum, antequam Sacramentum sumeret, atque ex ea obijsse vno omnes ore perhibeant: vnde concludit Raynaldus loc. cit. *recentiorem quendam historiam Henrici eo additamento fœdasse*.

120 Non inficior tamèn, secuta morte Henrici, huiusmodi veneni figmentum dicti Cappellani opera, diffusum fuisse in Vulgus, cùr cum secundas statim intentiones citrà iudicium formandi in peius, immò & absquè figura iudicij in rerum præceps sententias abeundi mos sit; factum est, vt Ordo noster magna se tribulatione noverit implicatum, per Alemaniã maximè, & Prouincias, quę prędicti Imperatoris dominio subessent; adeò vt non tutum fuerit Fratribus claustrum egredi, non liberum sanctæ prædicationi operam impendere, donec pluriũ Cardinalium, & Episcoporũ ad Pręlatos illarum partium datis litteris, veritatis testimonium perhibentibus, & Fr. Bernardi innocentiæ (qui & publicis libellis cuiusquè rectè sentientis iudicio se exposuit,) & Ordinis indemnitati consultum fuit; cùm maximè propiori amicitiæ, obsequij, ac consanguinitatis gradu Henrico admoti, Baldouinus Archiepiscopus Treuerensis, alijquè

alijquè Principes, & omnes imperij Barones, atquè omnes Imperij electores, item Episcopi, & nobiles quàmplurimi Theutoniæ, & Italiæ imperio fidelissimi, & super omnes Ioannes Rex Bohemiæ Filius Imperatoris Henrici, exacta rei discretione fideliter habita, viuis suis vocibus, litterisquè, & sigillis suis roboratis, scelus huiusmodi contra Fr. Bernardum falsũ, confictumquè fuisse demonstrauerunt vniuersis.

121 Vt autèm falsus ille rumor sopiretur in totum, & id quidquid in Germania à rumore ipso disperso infamiæ supererat, abstergeret, Carolus IV. Imperator, prædicti Ioannis Boemiæ Regis filius, & nepos Henrici, in primis suo sermone ad Ordinem nostrum Fratris Bernardi innocentiam exaltauit; & magnis precibus, apud Magistrum Generalem Prædicatorum Fr. Simeonẽ Lingonensem, vt Pragæ Metropoli Boemorum Comitia Generalia sui Ordinis celebraret, obtinuit. Non defuerunt parum æquiores Ordini, qui inter vulgus diuulgarent, Imperatorem Capita eius instituti, causa vindicandi Aui, eò loci euocasse. Sed non citrà eorum suffusionem magnam, iam Pragæ congregato Capitulo anno 1314. Imperator die sacro Pentecostes solemniori Missæ Sacrificio, Imperiali purpura, ac diademate, vnà cum Imperatrice pari maiestate prælustri, ornatus, inter Patres Ordinis Prædicatorum in Choro conspicuus, etiam Sacram Eucharistiã ex manu Sacrificantis Generalis sumere, cum fratribus iunioribus sub maioris Sacri finẽ voluit: duo diplomata, aureis bullis appensis signata, pro immunitate, & libertate Ordinis eiusdẽ inter Offertorij mysteria obtulit: secunda deindè solemnitatis Pentecostes die, omnes Fratres in Arce

Re-

Regia, imperiali epulo ministrātibus Proceribus corām se excepit, & sub horam vespertinarum precum omnibus Fratribus totius Palatij ornatum, gazam, & thesauros Imperatorios ostendit, ac postmodum in Cathedralem ipse duxit, sacram supellectilem Basilicæ, & Diuorum pignora illis exposuit, ac tandem ad Monasterium maximo cum honore ipse pręsens eosdem Prædicatores reduxit;

122 Compendiosè hæc retuli; qui documenta ipsa, & litteras per extensum optat legere, consulat Magistrum Iacobum de Susato *in sua Chronica*: plura etiam habentur apud Bzouium loc. cit. nec non in Chronica pręallegata Generalium Ordinis. Et en corruit calumnia, quā aereo hoc, & iam ab ānis 200 disperso fundamento pretactus malè feriatus chronologus anno 1414. suffulsit, de pęna Ordini nostro infli-cta cōmunicandi manu sinistra; somnians fortasse incōmodum, vbi penitus nullum est; neç satis aduertens, data adhùc falsi flagitij hipothesi; neminem grauari posse onere alieno: *vnusquisquè onus suum portabit*, Galat. 6. & 24. q. 4. cap. si quis Catholicæ; *Anima, quæ peccauerit*, dicitur Ezech 18. *ipsa morietur; filius non portabit iniquitatē Patris*, nec Pater filij; multò minus integer Ordo vnius fratris. Nequè enim B. Petrus traxit noxam ex Iuda traditore eius Coapostolo. Sed dicat hic quęso? quisnam hanc pęnam inflixit? defūcti Imperatoris successor? Sed non ille potuit, nec voluit, vt vidimus; & dato quod & potestas illi adstitisset, & voluntas, quomodo pænę supposuit vbiquè terrarum etiam extrà Imperialis dominij terminos diffusum Ordinem? Summus ne Pontifex? Non ille allegat. Potuit hic quidem, sed quia non debuit, non vo-

voluit: Et quomodocumquè inflictam Romani Pontifices, etiam ex Ordine nostro assumpti, nonnè denique tot, tantisquè titulis de Apostolica Romana Sede optimè meritæ Religioni, ob vnius fratris flagitiū impositam, relaxassent?

123 *Quicquid*, itaque (concludo cum Bzouio, iam deducta epilogans,) *est in communione Corporis Domini Caremoniæ vnà cum ipso instituto Prædicatorum ferè antè centum annos*, (antè scilicèt inuentum de veneno propinato figmentum) *conuoluit, repræsentandi mysterÿ causa. Beatæ illæ mentes perenni felicitate gaudentes habent delectationes in dextera Dei in finem vsque æternitatis collocatas, meras degustare: mortalibus hominibus sufficit diuitias in sinistra diuina reconditas delibare. Cui rei Prædicatores insinuandæ ab initio instituerunt, è sinistra communicare: præsertim quod, interprete Magno Gregorio, læua manus præsentis vitæ statum significet; quod filios iræ gentiles, quibus panis Angelorum præcipuè datus est, sinistra designet; quod passiones Christi, quas ille in corpore suo mortali pro nobis sustinuit, insinuet; Prædicatoresq; tùm vitæ peregrinatoriæ cōditionis, tū felicioris regenerationis, tùm officÿ suscepti admoneat, vt illi pro hac miserÿs, periculisquè referta vita, se ex filÿs iræ filios Dei per passionem, & Crucem Redemptoris renatos memori corde recolentes, IESVM CHRISTVM manu inter sinistra quæquè præferant, atquè repræsentent. Maximè quod id Ceremoniæ, sinistra communicandi datum etiam à Sede Apostolica fuerit Ordini Prædicatorū, propter triumphatam à Prædicatoribus Fratribus Berengariam hæresim in contumeliam Sanctissimæ Eucharistiæ in Europa temporibus D. Dominici, & Petri Martyris reuiuiscentem &c.*

124 Ab-

124 ſ *Absumpta Hostia Calicem cooperiat.* * Hinc intelligamus,quod, vt detur Sacrosanctę Hostiæ masticationi,& deglutioni tempus, paululum immorari debemus; quid namquè Calicem cooperire iuberet, si nulla penitus interposita mora, vellet Calicem sumi? Cum festinatione quidem, ex præscripto Exodi, Agnus comedebatur;sed non sine sale,ideſt discretione,& deuotione. Nequè verò hoc Sacramentum, vt notat Sotus 4.*sent.dist.* 11.*q*.2.*ar*.1,tunc dum perficitur,neque dum tanquàm Sacrificium offertur, gratiam confert,sed dum vsu sumitur, instanti illo,quo primum verum eſt dicere; comeſtum eſt, guttur,seu gulam transiuit,iuxtà illud:*qui manducat me,viuet propter me*;& alibi.*Nisi manducaueritis* &c.Cùm tamen Caietanus,per totum tempus, quo species Sacramentales in ore,seu etiam in ſtomacho perdurant,gratiam conferre posse affirmet;cui subscribit Maioris. *dist*.9. *argum*.5.

125 Ex consequenti decet,claudi tunc temporis, ea durante morula,ante pectus manus,vti de *Memento* dictum eſt.Hoſtia verò non vt alius cibus, & multò minùs præcipiti oris motu maſticetur, sed discretè versata circà linguam modeſtè deglutiatur.

126 Dixi,*paululum immorari*; tùm ob commodũ absumentis,tùm ob reuerentiam rei absumptæ.Cæterum diutiùs immorari non debemus, Missam prosequuturi;aliàs enim,si qui Angelum cognouerunt Tobiæ 12. *prostrati per horas tres in faciem benedixerunt Deum*;quid nos facere par esset, qui Dominum cognoscimus in fractione panis? Moras itaquè peractæ iam Missæ reseruemus;nec eas protrahamus, etiam si quid fortasse Sacrosanctę Hoſtiæ palato adhæreat;

dum

dum cum Calicis sumptione, vel etiam cũ purificatione traijci potest, vt aduertit Quartus *par. 2. tit. 10. sect. 1. dub. 4.* siquidem, vti docet Caietanus *to. 2. opusc. tract. 3. q. 1.* actus sumptionis Eucharistiæ, & reliquiarum, & actus ablutionis computari debent, non tanquam diuersi simplices actus, sed pro vnico actu consummato.

127 Mysticè verò Magister à Porrecta, qui in Hostię particula immissa in Calicem, Messię ad Inferos, hoc est ad Lymbum digressam animam recolit, vt per sui Sanguinis Mare rubrum ad terram promissionis cælestem ibi degentes reduceret, secundum illud Zachar. 9. *Tu quoquè in Sãguine testamẽti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo nõ est aqua, idest,* glossat ille, *in quo non erat culpa,* gradatim procedens, per Sacrificij sumptionem Corpus Christi in sepulchro reconditum inquit significari.

128 Verùm præadductis stando, insinuatur, ex Gemma animæ *l. 1. cap. 65.* atquè Innocentio *l. 6. c. 7.* quod Christus Dominus post Resurrectionem oblatam partem piscis assi, & fauum mellis Luc. 24. cum Discipulis manducauit.

129 Nec tamen cum Christo, sed Christum ipsũ te comedisse, memineris; panem viuum, qui de Cęlò descendit, pro te in ara Crucis assatum, palato sano, plusquam olim Manna, suauem, & omnis saporis suauitate super mel, & fauum refertum. Hic est, ex quo qui dignè manducat, viuet in æternum; hic est, *qui replet in bonis desiderium tuum,* seù, vt alij legunt, *appetitionem tuam:* hic est deniquè, qui *esurientes impleuit bonis:* sed qua esurie? audi Augustinum: *Panis ille esuriem quærit hominis interioris.*

130 In-

130 Interiora ergo ad Diuinissimum hunc excipiendum Hospitem cites, excites; secundùm quod Dauid proponit Psalm. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Quærit ille in corde tuo sedem figere; clamat ideò: *præbe Fili cor tuum mihi.* Præbe ergò; nec permittas conqueri per Hieremiam cap. 30. *Quis enim iste est, qui applicet cor suum, vt appropinquet mihi?* Præbe, vt iam viuas vita illius, qui ait Ioann. 6. *Qui manducat me & ipse viuet propter me.* Præbe cor, præbe, vt cum Apostolo gloriari possis: *viuo ego iàm non ego, viuit verò in me Christus.*



TITVLVS XXVIII.

De sũptione Calicis. De Purificatione, atquè ablutione; & de Orat. *Quod ore sumpsimus &c.*

RVBRICA.

Deinde genuflectat: mox surgens Calicem detegat, & dextera pomum Calicis, sinistra pedem accipiat; & sic a *Sanguinem sumat, nihil dicens. Post primum haustum sinistram super Altare demittat; sicquè post secundam lambitionem* b *sinistra extremis digitis Corporale excutiat; si particulæ Hostiæ deciderint, & eas repererit, absumat, siuè paruæ sint, siuè magnæ. Posteà* c *cum Calice vtraquè manu delato ad cornu Epistolæ pro ablutione, quæ ex solo vino infundetur, accedat, nihil dicens. Dicens,* d Quod ore sumpsimus Domine &c. e *secundam ablutionem ex aqua, & vino super digitos accipiat, digitos aptãdo,* f *quos Purificatorio abstergat: posteà dextera Calicem sumens ebibat, os tergens cum Purificatorio, & tandem Calicem. Quo exterso, Calicem super Corporale demittat, Purificatorium desuper extendens, Patenam eidem imponens,* g *Velo cooperiens.*

NO:

NOTÆ.

131 a SAnguinem sumat. In Panis Sacrosancti sumptione, vt oculos aperiremus, admonuit Discipulorum euntium in Emaus exemplum propositum. Consimile argumentum, quo ad deuotionem actualem excitemur, nec deest in Diuinissimi Sanguinis sumptione, de quo prædictum est Ierem. 31. *inebriabo animam Sacerdotum pinguedine*: nam D. Antonino docente in summ. p. p. tit. 3. c. 5. *aperiuntur oculi per æternę suauitatis prægustationem, Psal.* 33. gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus; *vel sic per Eucharistiæ deuotam susceptionem; ibi enim secundum B. Thomam spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, & recolitur memoria passionis Christi, in qua, latere eius transfixo à Longino, ex stilla Sanguinis de Latere exeuntis, vt dicitur, tangente Longini oculos, illuminatus est corporalitèr, & multò magis spiritualitèr; quia postea sanctus, & martyr fuit; & ipse Sanguis effusus mysterium erat Sacramenti Altaris, quo mentes illuminantur*. Ab oculis ergo accidiæ caliginem, quantum ex nobis est, abdicemus, *non habentes* (vt loquitur de re hac Cyprianus serm. de Cœna Dom.) *sensum huius Mundi*, & certam spem concipiamus, fore vt, collyrio Sacratissimi Sanguinis inuncti, intus illuminemur; Visionem tandem beatificam, per Christi Sanguinem effusum in Cruce nobis comparatam, in Cælis assecuturi; vbi lucerna est Agnus, de quo reboat canticum nouum Apocal. 5. *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius; quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in Sangui-*

ne tuo. Verbum namquè non præteribit: *qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam:* vndè Cyprianus serm. de Cęna Dom. *bibimus autem de Sanguine Christi, ipso iubente, vt nos ad societatem vitæ æternæ suo sanguine reducat:* & Chrysostomus hom. 61. ad pop. *Hic sanguis effusus est, & Cælum fecit accessibile; horrenda scilicet Ecclesię mysteria, horrendum Altare:* Clemens quoquè Alexand. l. 2. Pedag. *bibere*, ait, *IESV Sanguinem est participem incorruptionis Domini fieri;* immo & transformari hominē in Deum, ex D. Thoma 4. *sent. dist. 2. qu. 2.* atquè Augustino *l. 10. confess. c. 19.*

132 Et huius rei figura, ex D. Thoma 3. *p. q. 73. ar. 6. in ò*, in eo pręcessit, quod *per Sanguinem*, vt ille ait, *Agni Paschalis protecti sunt filij Israel à deuastante Angelo, & educti de ægiptiaca seruitute. Quod si* (notat Chrysost. hom. 45. in 6. Ioann.) *vmbram ità mors horruit, quantopere quæso ipsam formidabit veritatem? Hic ergo* (subdit) *mysticus Sanguis dæmones procul pellit, & Angelos, & Angelorum Dominum ad nos allicit, Cælum apertum nobis facit.*

133 Non vtiquè inficior in fide exploratam veritatem, sub speciebus panis esse etiam Sanguinem, & sub speciebus vini etiam Corpus, & totum Christum sub qualibet specie; de quo recole deducta *tit. 22. litt. B. nu.* 144. Quicquid ideò de vno, etiam de altero verificatur: nam & plus gratiæ recipi à sumente Sanguinem sub altera specie vini negant DD. communitèr; licet alij maiorem gratiam recipi posse concedant, si in continuanda sumptione plures deuotionis actus eliciantur. Quod, vt notat Gauantus *in Lanc rub.* valet etiam in sumptione particularum,

quæ

quæ supersunt, & à Celebrante sumuntur, vtpotè ad idem Sacrificium spectantium. Cum his stat, quod in Sanguine seorsum consecrato, & sumpto prædictorũ ratio magis eluceat; idcircò, deuotionem vndè magis, ac magis exacuamus, occurrunt argumenta: nàm & in Sanguine seorsum consecrato, & sumpto Dominica passio (D. Thoma docente *3. part. quæst. 78. articul. 3. ad 1. & 2.*) magis expressè repræsentatur; in quantum separatio Sanguinis à Corpore fuit per passionem; vndè & ipse Dominus passionem suam Calicem nominat Matth. 26. *Transeat à me Calix iste:* & ibidem: *Hic est Sanguis meus, qui pro vobis effundetur*: Chrysostomus ideò super illud Ioan. 19. *Continuò exiuit Sanguis, & aqua: Hinc*, ait, *suscipiunt principium sacra mysteria. Cùm ergo accesseris ad tremendum Calicem, vt ab ipsa bibiturus Christi costa, ità accedas.*

134 Præclarissimi itaquè, atquè inebriantis sũptionem Calicis, comite reuerentia, ac spe duce, aggrediamur, veramquè in interiori, atquè etiam in exteriori homine exhibentes. Amoris præsertim compensatiuos actus eliciamus, Christi IESV dilectionem, vsquè ad Sanguinis effusionem, proponentes; nam D. Hieronymo epist. 22. ad Eust. aduertente: *hæc est sola digna retributio, cum Sanguis sanguine cõpensatur, & redempti cruore Christi pro Redemptore libentèr occumbimus.* Menti tunc obuient alibi allegata D. Petri Martyris verba: *Absorbeat me, mi dulcissime IESV, plenitudo Diuinitatis tuæ, & amore amoris tui moriar, qui pro amore amoris mei dignatus es in ligno Crucis mori.*

135 *In sumptione verò Calicis duplicem hau-

stum à rubrica propositum adhibeamus; nec in Calice lambendo immoremur; nàm, si quid remanserit, cum ablutione, ac purificatione sumetur, vt aduertūt Paris de Crassis, & Castaldus *l.2.sect.3.nu.10.* totum enim pro vnico actu computatur, vt alibi aduerti cū Caietano *tom.2.opusc.tract.3.q.1.* vndè Quartus in *hanc rub.sect.1.dub.7.* consultius existimat, si Hostiæ particula mixta cum Sanguine remaneat in fundo Calicis, vinum infundere, vt sic cum vino deglutiatur, quàm eam particulam adducere digito ad labium Calicis (quod & licet,) & sumere ante purificationem.

136 b *Sinistra digitis Corporale excutiat; si particulas repererit, absumat.* * Non exprimit rubrica modū colligendi dictas particulas, neque absumendi; & antiquo etiam Ordinario tacente de hac re; in eius ideò praxi in suo quisquè sensu abundat: vndè & priuatum meum (saluo semper meliori, ac canonico) subijcere detur. Illi mihi accepti sunt, qui è Corporali dexteræ manus pollice, & indice excepta fragmenta in Calicem prius mittunt, atquè indè traijciunt; nàm è Corporali digitis excepta statim in os immittere, quod aliqui faciunt, à ministerij reuerentia abhorrere videtur; digitos enim quibus fragmenta ipsa inhærent, lambere Sacerdos nonnunquam cogeretur; & en discrimen, ne digiti, Christi Sanguine mox in os immisso, aspergantur. Quod attinet ad Patenæ vsum, non alium olim vniuersalitèr fuisse, nisi vt in ipsa Calici superposita Hostia offerretur, refert Sotus *hic ar.5.in fine*; vndè non mirum, non illius hoc loco meminisse rubricam. Cæterùm, hoc Patenæ vsu iàm vniuersalitèr inducto, quē & Carmelitæ am-

ple-

plexati sũt, non paucos ex nostris vidi, sinistræ digitis Corporali excusso, cum patena dextra manu collecta fragmenta, Patenam ipsam pollice, & indice dextræ manus tergendo, in Calicem immittere, vnà cum purificatione traijcienda: nàm parùm, aut nihil refert, quod ante, vel simul cum purificatione Calicis, in quo adhùc species vini Sacramentales reperiuntur, absumantur; cùm, vt mox dixi ex Caietano, totũ pro vnico actu computetur, nec præterea constet, quę nam ex dictis fragmentis sint consecrata, dum aliquando ex Hostia decidunt, antequàm consecretur. Hi quidem præter rubricam nostram agere videntur; sed excusatione, immò & laude tunc saltèm digni, priuato meo iudicio, censendi sunt, quando breuis obtutus sint, aut Altare, in quo fit Sacrum, obscuro loco existat, nec lumen sufficiens cereis subministrantibus: cùm enim haud facilè fragmenta super Corporale itidem albo discernantur, non adhibita Patena, periculum tunc non deesset, (à quo maximè cauendũ est, cùm in quolibet minimo fragmento totus Christus sit, non minus, quàm in tota Hostia, aut toto Calice) destitutionis Specierum.

137 Licèt enim verisimile sit, vt innuit Tamburrinus *opusc. de Sacrif. l. 2. cap. 8. §. 8.* & docet Quartus *hic sect. 2. dub. 7.* colligi ab Angelis fragmenta, quæ remanent, præsertim minutiora, quæ conspici, & humana diligentia custodiri non possunt, nec colligi: teneri tamen celebrantem, etiam sub mortali, diligentiam moralitèr possibilem in ijs colligendis adhibere, idem ibidem Quartus probat.

138 c *Cum Calice vtraquè manu delato ad dextrum cornu Altaris pro ablutione, quæ ex solo vino infundetur,*

*accedat.** Rubrica hìc nostra conformis antiquo Ordinario clarè adeò loquitur, vt effugium reliquum nostris non sit; qui in medio Altaris sistentes (de quo iàm doluerat P. Ioannes de Palentia *in notis ad Ordin. hìc*) dextera cum Calice indè porrecta vinum recipiunt. Nequè enim, dum sumus in claris, licet nobis priuata auctoritate à præfixis nobis ritibus recedere, ac Romanos amplecti; cùm præsertim à Patribus inconsultò id nobis præscriptum non extet. Cùm namquè adhùc Species Sacramentatæ reperiãtur in Calice, de earum securitate, ac reuerentia anxij, nonnisi ambabus manibus Calicem adhùc contrectari voluerunt; ex quo necessitas consequitur, accedendi ad cornu Epistolæ, cum accessus super Altaris pradellam ministrum, regularitèr nec sacris ordinibus insignitum, dedeceat.

139 Dicta autem ablutione recepta, in medium reuertatur, eandem absumpturus (quod fortasse ex praxi notius supposuit rubrica, quàm expressione indigeret,) & iterùm ad illud redeat, digitorum ablutionem peracturus, de qua infrà. Perfusionem verò ipsam (sic Calicis ablutionem appellat Innocentius l. 6. cap. 8.) sumendo, bis ad summum hauriat, ex Durando *cap.* 54. cui subscribit Gauantus in hanc rubricam, verè, addens, *stomachum astantibus mouet pluries, quàm tèr, Sanguinem, & bis purificationem de Calice sugere*; in quo & mysterium prodit Durandus *ibidem.*

140 Reuerentia etiam expostulat, ex Castaldo *l. 2. sect. 8. cap. 7. nu. 10.* & Quarto *in hanc rubricam*, vt dicta ablutio intrà Altaris mensam recipiatur, non extrà ipsã, nisi fortè Ministri pusilla statura id cogat facere. Et tunc cauendum, ne Calix, in quo Species

Sa-

Sacramentatæ adhùc extant, Altaris mensam extrà Purificatorium attingat.

141 Vinum, quod pro hac Calicis ablutione recipit, tantę sit quantitatis, quantæ fuerunt Species primæ Sanguinis; ipsumquè, prout opus nouerit, grauitèr circumagat. Aduertat potissimùm, vt, in ablutione ipsa absumenda, vinum per eam Calicis partem transeat, per quam Sacrosanctum Sanguinem hausit; vt sic ipsius reliquias, omnesquè Calicis partes ipso intinctas purificet: Animaduertit hoc B. Pius V. *in Epistola ad Archiepiscopum Tarraconen. sub datum die* 8. *Ianuarij* 1571. Et cùm agatur de non destituendis preciosissimi Christi IESV Sanguinis speciebus, non est minutia, vti notat Gauantus *hic*, quæ non mereretur sanctissimi Pontificis solicitudinem. Nàm & ideò ex vino, quod ex sui natura magis est ablutiuū, fit hæc ablutio; vt notat Turrecramata de consecrat. dist. 1. c. Iacob. post D. Thomā *hic ar.* 5. *ad* 10. allegantem quod dicitur *extra de celebratione Missarum cap. ex parte*.

142 d *Quod ore sumpsimus Domine pura mente capiamus, vt de Corpore, & Sanguine Domini nostri &c.* Hæc oratio, qua petimus, ex Magno Alberto, vt quod ore, idest Sacramentalitèr, sumpsimus, mente etiam, idest spiritualitèr, & ad remedium animæ sempiternum, capiamus, habetur in Ordine Romano, & in Micrologo *cap.* 23: ipsamquè, secretò recitandam, insinuant pleriquè Codices MSS. teste Bona *hic cap.* 20. vbi vel ipse affirmat, altera, quæ nunc Ritu Romano in digitorum ablutione dicenda præscribitur, scilicèt *Corpus tuū Domine &c.* carere veteres libros, nec eam reperisse, nisi in Missa edita ab Illyrico; quod

latuit

*accedat.** Rubrica hìc nostra conformis antiquo Ordinario clarè adeò loquitur, vt effugium reliquum nostris non sit; qui in medio Altaris sistentes (de quo iàm doluerat P. Ioannes de Palentia *in notis ad Ordin. hic*) dextera cum Calice indè porrecta vinum recipiunt. Nequè enim, dum sumus in claris, licet nobis priuata auctoritate à præfixis nobis ritibus recedere, ac Romanos amplecti: cùm præsertim à Patribus inconsultò id nobis præscriptum non extet. Cùm namquè adhùc Species Sacramentatæ reperiantur in Calice, de earum securitate, ac reuerentia anxij, nonnisi ambabus manibus Calicem adhùc contrectari voluerunt; ex quo necessitas consequitur, accedendi ad cornu Epistolæ, cum accessus super Altaris pradellam ministrum, regularitèr nec sacris ordinibus insignitum, dedeceat.

139 Dicta autem ablutione recepta, in medium reuertatur, eandem absumpturus (quod fortasè ex praxi notius supposuit rubrica, quàm expressione indigeret,) & iterùm ad illud redeat, digitorum ablutionem peracturus, de qua infrà. Perfusionem verò ipsam (sic Calicis ablutionem appellat Innocentius *l.6.cap.8.*) sumendo, bis ad summum hauriat, ex Durando *cap.54.* cui subscribit Gauantus in hanc rubricam, verè, addens, *stomachum astantibus mouet pluries, quàm ter, Sanguinem, & bis purificationem de Calice sugere*; in quo & mysterium prodit Durandus *ibidem.*

140 Reuerentia etiam expostulat, ex Castaldo *l.2.sect.8. cap.7.nu.10.* & Quarto *in hanc rubricam*, vt dicta ablutio intrà Altaris mensam recipiatur, non extrà ipsã, nisi fortè Ministri pusilla statura id cogat facere. Et tunc cauendum, ne Calix, in quo Species

Sa-

Sacramentatæ adhùc exstant, Altaris mensam extrà Purificatorium attingat.

141 Vinum, quod pro hac Calicis ablutione recipit, tantę sit quantitatis, quantæ fuerunt Species primæ Sanguinis; ipsumquè, prout opus nouerit, grauitèr circumagat. Aduertat potissimùm, vt, in ablutione ipsa absumenda, vinum per eam Calicis partem transeat, per quam Sacrosanctum Sanguinem hausit; vt sic ipsius reliquias, omnesquè Calicis partes ipsò intinctas purificet: Animaduertit hoc B. Pius V. *in Epistola ad Archiepiscopum Tarraconen. sub datum die* 8. *Ianuarij* 1571. Et cùm agatur de non destituendis preciosissimi Christi IESV Sanguinis speciebus, non est minutia, vti notat Gauantus *hic*, quæ non mereretur sanctissimi Pontificis solicitudinem. Nàm & ideò ex vino, quod ex sui natura magis est ablutiuū, fit hæc ablutio; vt notat Turrecramata de consecrat. dist. 1. c. Iacob. post D. Thomā *hic ar.* 5. *ad* 10. allegantem quod dicitur *extra de celebratione Missarum cap. ex parte*.

142 d *Quod ore sumpsimus Domine pura mente capiamus, vt de Corpore, & Sanguine Domini nostri &c.* Hæc oratio, qua petimus, ex Magno Alberto, vt quod ore, idest Sacramentalitèr, sumpsimus, mente etiam, idest spiritualitèr, & ad remedium animæ sempiternum, capiamus, habetur in Ordine Romano, & in Micrologo *cap.* 23: ipsamquè, secretò recitandam, insinuant pleriquè Codices MSS. teste Bona *hic cap.* 20. vbi vel ipse affirmat, altera, quæ nunc Ritu Romano in digitorum ablutione dicenda præscribitur, scilicèt *Corpus tuū Domine &c.* carere veteres libros, nec eam reperisse, nisi in Missa edita ab Illyrico; quod

latuit

latuit Gauantum, nonnisi Durandum ipsius meminisse asserentem.

143 c *Secundam ablutionem ex aqua, & vino super digitos accipiat*, hoc est super pollices, & indices vtriusq; manus, suprà Calicē coaptatis, reliquis Calicē ipsum hinc indè super Altaris mensam retinentibus.

144 Solent nonnulli ante hanc ablutionem digitis ipsis labia, Calicisque os expurgare. Hoc (aliquo casu excepto, prudentis iudicio, pensando) dedecere hi noscant, ac non nihil irreuerentiæ præseferre, ex Castaldo *loco præcit.* Gauanto, Quarto, & Bauldry *in hanc rubr.* Multò magis à digitis lambendis cauere fas est, ex eisdem.

145 Huiusmodi ablutionis non meminit Ordo Rom. &, ex Durando cap. 55. vbi suo tempore fiebat, proijciebatur in Sacrarium; quod & affirmat Innocentius l. 6. cap. 8. nec non Alexander de Ales p. 2. ar. 2. *vt altitudo*, aiunt, *Sacramenti reuerenter honoretur.* D. Thomas hic ar. 5. ad 10. secundam ablutionem cū vino dumtaxat memorat, *& eadem* inquiens *ratione* (*ne aliquæ reliquiæ remaneant, quod pertinet ad reuerētiam Sacramenti*) *perfundi vino digitos, quibus Corpus Christi tetigerit.* Aqua verò & adhibita, ne purificatorium maculas vini nimium contrahat.

146 * Originem ex his agnosce antiqui ritus Ordinis nostri, ex Ordinario *l. 2. p. 9.* vbi & primam Calicis purificationem, & alteram digitorum iubet cum vino perficere, & vtramquè absumere, sed tertia super digitos extrà Calicē facienda præscribitur cum aqua in Pelui, ad hoc solum deputata, per quam ablutio ipsa deferebatur in Piscinam. Et nonnisi hanc fuisse existimo, quæ olim, vt mox dixi, in Sacrarium

proij-

proijciebatur. Subdit tamèn Ordinarium: *aliàs melius est, quòd ablutio huiusmodi recipiatur in Calice ipso, cum prædicta ablutione vini vltima, maximè in Missis priuatis & sumatur à Sacerdote.* Postmodum Capitula Generalia sic recipi, & absumi absolutè iusserunt, vt Sacramenti reliquijs vndequaque consultum foret.

147 Aliàs hæc digitorum ablutio litteraliter congruit, ne manus, quæ Corpus incorruptibile contrectarunt, corpus corruptibile contingant, vel ad res communes tangendas accedant, donèc studiosè lauentur: nec non, quoad morale, vt suam Sacerdos commemoret indignitatem, qui se tantis perfectis Sacramentis imparem ostendit, iuxtà illud Lucæ 17. *Cum omnia benè feceritis dicite, serui inutiles sumus*: ita Innocentius *l.6.cap.8.* Durandus *l.4.cap.55.* Alexander de Ales *p.2.ar.2.* & his antiquior Iuo Carnot.

148 Quòd in cornu Epistolæ hæc ablutio peragatur mystica ratio est; *quia*, ait Durandus locò cit. *ipsum cornu Iudaicum populum; ex quo humanam naturam Christus assumpsit, significat. Sicut autèm ab illis naturam accepit, sic & ab eis illius naturæ purgationem ab omnibus defectibus, quos assumpsit, habuit: quoniam ab eis occisus fuit, ad quam mortem secuta est resurrectio, in qua omnes defectus dimisit; & eis oppositas virtutes accepit.* Rursus *designat*, subdit idem ibidem Durandus, *ablutionem manuum, quam Pilatus fecit ad perditionem Sanguinis iusti super Iudæos.* Sed magis prædictis consonans est pia meditatio; hanc ablutionem ad ablutionem Baptismi referentium, cuius formam Christus IESVS post Resurrectionem instituit, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*

149 Trina denique Sacerdotis ablutio in principio

cipio, in medio, & hìc in fine Missæ nec vacat mysterio: designat namquè mundationem cogitationis, locutionis, & actionis: vel purgationem peccati originalis, venialis, & criminalis; siuè quod agitur per ignorantiam, negligentiam, & industriam; ad quorum mundationem offertur Sacrificium salutare; *de consecr. dist. 11. Cum omne:* Ità Durandus l. 4. c. 55. Alexander de Ales *de Sacrif. Missæ hìc*, sequentens, seù potiùs exscribentes Innocentium l. 6. c. 8.

150 f *Digitos Purificatorio abstergat*, regrediens ad medium Altaris, addit Ciantes *hìc*, & tunc cautè se gerat, ne guttis ex digitis cadentibus Corporale commaculetur: consultum ideò videtur, vel priùs digitos super labrum Calicis versus interiorem partē extergere, deinde Purificatorio exsiccandos, vt placet P. Quarto *in hanc rub.* vel, vt alijs, priùs deponere Calicem extrà Corporale propè Purificatorium, ibiquè accepto Purificatorio, paululum immorari, donec digitos exterserit: quibus extersis, ad medium regressus, Purificatorium sinistra Calici supponens, ablutionem, iterum, quatenus opus nouerit, circumactam, sumat; & Calice deposito, accepto purificatorio, primùm os, dein Calicem extergat: ità in simili ritus Rom. explicatores Castaldus *loc. præcit.* Gauantus, & Bauldry *in hanc rub.*

151 g *Calicem Velo cooperiens*. Decet, vt alibi dictum est, velata esse Mysteria Calicis, quando manifestè Christi Domini passio non repræsentatur, quod fit post Missam Cathecumenorum, hoc est ab Offertorio vsquè ad Sacrificij consumptionem. Qua proinde peracta, Calicem velari iàm congruit; cùm maximè in gloria Resurrectionis Dominicę iàm versemur

semur.*Eò fortaſsè respexit rubrica nouiſſimorum, Miſſalium Calicis velamentum hic præſcribentium, quod fini Miſſæ reſeruarat rubrica Miſſalis Xauierre.

152 Corporale verò nunc non plicare, ac Calicem omninò non componere (, quod vt expeditiùs aſportari poſſit poſt Miſſam à Ritu Rom. præſcribitur, ex Quarto *in hanc rub. ſect.* 1. *dub.* 10.) cùm nec myſterio, nec reuerentiæ aduerſari videatur,*iuſſi nos ſumus, ſignantèr in Capitulo Neapolitano 1600. *expediat ſe ad Miſſam perficiendam, & plicationem Corporalis reſeruet poſt Miſſæ finem.** A rubricæ ergò tranſgreſſione noſtri non excuſantur, qui hoc loco id præſtant; Patrum in eo mentem fraudantes, quod noluerunt, in Miſſis nos priuatis eſſe adſtantibus in ijs graues, quę aut myſterium non ſapere, aut reuerentiam non concernere iudicarunt.

TI-

TITVLVS XXIX.

De Antiphona ad Communionem, de Postcommunione, & cæteris vsquè ad finem Missæ.

RVBRICA.

Inclinato Capite, a *ad Missale se conferens (quod à Ministro ad Cornu Epistolæ delatum est)* b *dicat Communionem. Ad Populum se vertens dicat* c Dominus vobiscum, *vt supra ante primam orationem fecit, postea* Oremus, *coniunctis manibus ante pectus, deindè Orationem, apertis brachijs. Ad* d Per Dominum nostrum &c, *iunctis manibus ante pectus, ad medium Altaris accedat, si est vltima Oratio, alioquin, vt in prima Oratione in principio Missæ dictum est, alias memorias addat. Ad vltimum* Per Dominum nostrum IESVM Christum *ad medium Altaris accedat; quando missa est de feria in Quadragesima, ante* e *Orationem super Populum, dicat* Oremus: Humiliate Capita vestra Deo, *inclinando Caput; post Orationes ad Populum versus, apertis brachijs dicat,* Dominus, *addat* vobiscum, *coniunctis manibus ante pectus. Responso,* & cum Spiritu tuo, *pariter verso vultu ad*

Populum, ac iunctis manibus dicat: f Ite, missa est. g *Cum autem non dicitur* Gloria in excelsis *in Missa, non dicatur,* ite, missa est, *sed* Benedicamus Domino, *quod verso vultu ad Altare dicendum est. Eodem modo dicatur,* Requiescant in pace, *quando missa est pro Defunctis. Dicto,* ite, Missa est, *vertet se ad Altare eadem via, qua ad Populum se verterat, & tunc inclinans se profundè (etiam si* benedicamus Domino *dixerit) iunctis manibus dicat:* Placeat h tibi Sancta Trinitas *&c. Ad,* per Christum Dominũ nostrum, *erectus* i *exosculetur Altare: dicendo,* Benedictio l Dei Omnipotentis &c. *ad Populũ conuersus det* m *benedictionẽ, manu dextera totaliter* n *extensa, sinistram pectori applicando, vnica Cruce Populum signans, & alia via* o *ad Altare reuertatur: dicens* Dominus vobiscum, p *Crucem cum pollice super Altare in loco Euangelij, vel super librum signet; subdens* q Initium &c. *signet* r *pollice frontem, os, pectus Crucis signaculo, vt in primo Euangelio factum est. Interim dum Euangelium prosequitur, iunctis manibus, intento vultu, ad Euangelij cornu respiciat, neque tunc temporis complicet* s *Corporale. Interim cum ad,* et Verbum Caro factũ est, *peruenerit,* t *genu dextrum flectat, & ad* et habitauit, *surgat.*

NO-

NOTÆ.

1 a AD *Missale se conferens, quod à Ministro ad cornu Epistolæ delatum est &c.* quia ibi finiri Missam congruit, vndè sumpsit exordium, ex Amalario *l.3. c.* 27. *Redit post hæc Sacerdos* (inquit Iuo Carnoten. de conuen. noui, & vet. Testam. cui subscribit communis liturgicorum sensus) *ad dexteram partem altaris, & ibi officium Missæ consummat, significans, quia cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel* (cui vt diximus cornu Epistolæ attribuitur,) *saluus erit*; quæ verba sunt Apostoli *Rom.* 11. quibus consonat id Psalmi 58. *conuertentur ad vesperam*; & expressiùs Oseæ ca. 3. *reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum &c.* vndè carmina.

Capit ab his, defertur ad hos, refertur ad illos
Nostra Fides.

Et ad rem nostram cecinit Hildebertus;

Ad Christi reditura fidem Iudæa notatur,
Cùm partem ad dextram cedit, & explet opus.

2 Et quia Iudæorum conuersionem Enoch, & Elias operaturi sunt; conuersionem verò Gentilium Apostoli, magis intimi Christo Domino, seù vt dicitur Rom. 8. *primitias spiritus habentes*, præstiterunt, ide Missalis translatio ministro nunc creditur, quæ antea Sacerdoti, seù eius arbitrio commissa fuit: quod argumentum pluribus prosequitur Magister à Porrecta *cap.* 15. Aliàs tamen rectè à Ministro transfertur Missale; Sacerdote in extersione, ac Calicis compositione implicato.

3 b Di-

3 b *Dicat Communionem. Vltimò autem* (suæ Missæ expositioni finem D. Thomas imponit) *tota Missæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterij* (saltem spirituali;) *quod significat cantus post Communionem, & Sacerdote per orationem gratias offerente, sicut & Christus, celebrata Cæna cum Discipulis, hymnum dixit, vt dicitur Matthæi 26.* in quem locum Chrysost. hom. 32. *gratias*, inquit, *egit, & hymnum dixit, postquam dedit, vt & nos hoc ipsum faciamus.*

4 Subscribit D. Thomæ Turrecremata de consec. dist. 1, cap. Iacobus, *hæc pars*, explicans, *quæ est gratiarum actio, duo continet, primò rememorationem accepti beneficij, & hoc in cantu antiphonæ post Communionem; secundò gratiarum actionem, & hoc in oratione, quam Sacerdos facit, gratias Deo offerens.* Quæ duo, ex Iuone Carnoten. *sermone de conuenientia veteris, & noui testamenti*, sunt tãquàm cineres Vitulæ extrà castra combustæ; quos reponit homo mundus ab interfectione Christi in loco mundo, id est retinet in corde mundo; extrà castra, id est extrà obseruantiam Iudaicam, extrà quam Fides Christiana enituit.

4 Et hæc est quarta Missæ pars, quam postremã commendauit Apostolus 1. Tim. 2. *Obsecro fieri &c. & gratiarum actiones*; quod pro hac dictum esset glossa, ac D. Thomas *in Apost. ibi*, nec non 2. 2. q. 83. ar. 17. in ò. immò & Augustinus *epist. 59. ad Paulinum*, Consonat Dionysius *de Eccl. Hier. cap. 3.* inquiens; *Participans autem, & tradens thearchicam communionẽ, in gratiarũ actionem sacram definit, cum Ecclesia sacra plenitudine.*

5 De Missa Apostolum loquutum ibi fuisse,

 cen-

censet & sapientissimus noster Hugo; Card. *in* 1. *Tim.* 2. asserens non Apostolum partis meminisse, quæ postmodum addita est. Placet eius sensum pietatis prouocandę causa exscribere: *Per hæc quatuor,* inquit, *quatuor partes in Missa intelliguntur. Diuiditur enim Missa, quæ celebratur in commemorationem passionis Christi, in quinque partes, quia quinquies Sanguinem suũ fudit; Primò in Circumcisione Luc. 2. 2. in oratione, quando positus in angonia prolixius orabat Luc. 22. 3. in flagellatione, quando spinea corona capiti eius imposita est Matth. 22. & Ioan. 19. Quartò in perforatione manuum, & pedum in Cruce; quintò in apertione lateris, quando iam mortuus erat, Ioann. 19. Ideò prima pars Missæ est à* Te igitur *vsque ad,* Qui pridie, quàm pateretur: *secunda* à Qui pridie, *vsque* ad Memoriam: *tertia* à memoria, *vsque ad*, Pater Noster: *quarta est oratio, quæ dicitur* Embolismus, *inter* Pater noster, & Dominus vobiscum: *& dicitur* Embolismus, *quasi superexcrescens; quia postea fuit superaddita; vndè Apostolus non tangit illam, sed tantùm alias quatuor: Quinta pars Missæ est post embolismum vsquè ad finem Missæ.*

6 Ad eammet gratiarum actionem videtur respicere Apostoli monitũ Coloss. 1. *Cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum*; necnon, ex Hugone Vict. *l.* 3. *cap.* 41. & illud Psalm. 21. *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum.* Vti enim Deus (notat Sotus 4. *sen. dist.* 8. *q.* 1. *cap.* 4.) munificentissimus in hoc fuit, ità & pro virili nos nostra eum ibidem magnificare par est; Psal. 110. *confessio* (scilicèt gratiarum) *& magnificentia opus eius: memoriam fecit mirabilium suorum; Escam dedit timentibus se.* Ipsum Eucharistiæ nomen

ad

ad gratias nos prouocat idem sonans ac *bona gratia*, vt post Magistrum sententiarum probat Magnus Albertus *in tract. Corporis Christi*, multas rationes congeminans, quas percenset Turrecremata *super can. Nihil in Sacrificijs de consf. dist. 2.* Vndequaquè ergò par est, qui tantam recepimus gratiam, in gratias effundi; cùm maximè, D. Thoma admonente 2.2.q. 83.ar.17.in ò. *de acceptis beneficijs gratias agentes, mereamur accipere potiora.*

7 Quod attinet singillatim ad antiphonam, Cōmunionis nomine insignitam, de ea D. Thomas locò præallegato, *populo, ait, exultante pro sumptione mysterij, quod significat cantus* (in Missis solemnibus, eodem remanente significato in priuatis) *post Communionem.* Quò facit ex Magno Alberto cap.23.id Psalmi 41: *in voce exultationis, sonus epulantis*; necnon Psal.62. *sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*, supple (inquit ille) refectione Sacramenti, *& labijs exultationis laudabit os meum*, in cantu post Communionem; Eccl 49. *In omni ore quasi mel indulcorabitur memoria eius, & vt musica in conuiuio vini.*

8 c Hæc signa exultationis licèt vel eos connotét, (vt loquitur Bona post Vualfridum cap.22.) qui in fide, & deuotione offerentium, atquè Communicantium persistentes, eiusdem oblationis, & Communionis participes fiunt; tanquàm eiusdem actionis cooperatores (quod & dic de subsequētibus orationibus,) ad eos tamèn propriè referūtur, qui ibi offerūt, & spiritualitèr, ac corporalitèr sumunt. Quod quia in primitiuæ Ecclesiæ conuentibus ab omnibus, qui intererant, præstabatur, & interim aliquid ex Scriptura à Cantoribus precinebatur, vt patet ex Augu-

ſtino l.2.cap.11.Micrologo cap.18. alijſquè,factum eſt, vt ſub nomine Communionis notetur Antiphona,ſeù Pſalmi verſiculus,qui reliquus eſt ex Pſalmo, quem integrum (ſignantèr 33. *Benedicam Dominum in omni tempore*) dici,fuiſſe olim ſolitum,habetur ex S.Clemente l.8.*conſtit. Apoſt.cap.*13. atquè etiam aliquando ex Antiphonario Magni Gregorij. *Interim* (inquit Radulphus prop.23.) *cantatur antiphona, quæ de communione nomen mutuauit,cui & pſalmus ſubiungendus, ſecundùm Micrologum. Et hæc antiphona ſemper habet eundem Pſalmum cum introitu,ſi non habet proprium,ex quo ſumpta videatur.*

9 Hùc reſpicit,quod B.Albertus, *Hic cantus,* inquit, *eſt in ſignum lætitiæ infra viſcera ſuſcepti Dei; & ideò cum lætitia cantabat illum cantum vnus ad alium, quaſi nuntians, qualitèr Deus ſuſceptus ſit ab eo.* Rectè idcircò Amalarius *off. l.3.c.*33. Apoſtolos hoc loco memorandos proponit,qui,vt ipſe ait,*cantauerunt antiphonam,viciſſim narrando de Reſurrectione Domini*;dicitur namquè Ioann.20 *gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino,& præ gaudio mirabantur*, & Lucæ 24. duo diſcipuli cum inueniſſent 11.congregatos, & eos,qui cum illis erant dixerunt: *ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni; & ipſi narrabant, quæ geſta erant in via, & quo modo cognouerunt eum in fractione panis.* Innocentius etiam l.6.ca.16.cui D.Bonauentura *hîc* ſubſcribit,necnõ Durand. l.4. c.56.*Quod autem*, ait, *Antiphona poſt Cõmunionem reciprocando cantatur,inſinuat, quod diſcipuli Reſurrectionis gaudium ſibi mutuò nunciabant,&c.*Subdit deindè Albertus: *modò autem iſte cantus non iteratur*, (vndè Antiphonæ nomen, quod eſt circularis ſonus, vix propriè loquendo meretur)

tetur) ne ex prolixitate tadium generetur : & ideò nunc Communio, non Antiphona consueuit nominari.

10 Magnum verò Gregorium huiusmodi antiphonas reformasse, atquè suo Antiphonario inseruisse; & ex hoc Antiphonario eas exceptas esse, quæ habentur in Missali Romano, nostro, Carthusiensi, ac Carmelitano ibi fusim dixi, vbi de Introitu, Responsorijs, Alleluia, Gradualibus, Offertorijs, tùm à dicto Antiphonario, tum inter se (si paucam in ordine, paucissimã in re diuersitatem ex diuersitate exẽplarium, mea sententia, dimanatam excipias) non discrepantibus, sermo fuit.

11 * Propterea hic obitèr placet aduertere, quod, cùm vel in orationibus, nec non in Epistolarũ, & Euangeliorum ordine, à Missali Romano nostrum regularitèr parùm differat in materia, ratio hæc (nec enim aliæ desunt ex Lezana in *summ. qq. regul. tom. 1.* & alijs) sufficiẽs videtur, vt citrà omnem scrupulum, quando Missale nostrum in prõptu non est (vti extrà Ecclesias nostras sacrum facientibus euenit) Romano regularitèr vti possimus, seruato tamèn nostri Ordinis ritu.

12 c *Dicat* Dominus vobiscum, *postea* Oremus, *deinde Orationem &c.* Quæ de his scitu digna occurrunt deducta habes *tit. 10. litt. D. & infra;* nisi quod ly *Dominus vobiscum*, ex Magno Alberto, hunc sensum hic reddit: *maneat in æternum visceribus vestris infusus, sicut dicitur, Ioann. 14.* Alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum; *Ioann. 17.* Tu in me Pater, & ego in eis, vt sint in vnum consummati. *Et respondet populus lætantèr,* & cum spiritu tuo, *intendens, quod in spiritu Sacerdotis remaneat, quem pro om-*

nibus accepit, sciens, quod parùm valet Sacramentum corporaliter accipere, nisi remaneat in penetralibus cordis, & in intima spiritus deuotione; Isaiæ 26. spiritu meo in præcordijs meis &c. hæc ille.

13 Mysticè verò per hanc salutationem Christus Dominus adhùc menti ingeritur, qui post Resurrectionem ad Apostolos veniens dixit; *Pax vobis*. Et ter hæc salutatio post Communionem exhibetur, sicut & Saluator, de Resurrectione gaudentibus, Discipulis dixit iterùm, *Pax vobis*; & tertiò ad Thomæ sanandam infidelitatem aduenjens dixit: *Pax vobis*. Plura in hoc argumento iuxtà susceptum ab eo vitæ Christi ordinem Magister à Porrecta *hic*; vbi & generaliter per orationes Communionem subsequentes tempus inquit significari, quod inter Resurrectionẽ, & Ascensionem medium fuit; illud adaptans Rom. 6. *Quod autem viuit, viuit Deo.*

14 Subsequuntur Orationes, quas formatas, seù reformatas à Magno Gregorio, & redactas in librũ, cui titulus *liber Sacramentorum*; atquè indè eas exceptas, quibus vtuntur quotquot Romanos ritus primitus amplexati sunt, fusim dictum est *tit. 10. n. 145.* in quo eodem titulo *per totũ* cætera habes, quæ huius etiam loci sunt.

15 Hæc autem oratio nouissima, quæ *ad Complẽdum* in libro Sacramentorum inscribitur, Poscommunio aliàs ob id vocatur, ex Magno Alberto hic, quia in ea perfectio communionis exposcitur, quod est gratiam conferre, sed & gloriam communicare; filios constituere, & heredes; vt sit verum, quod dicitur psal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus: ideò Diuinorum Sacramentorum* (inquit Isidorus Pelus. epist. 228.)

228) *perceptio Cõmunio appellata est, quia nobis conjunctionem cum Deo conciliat, nosque Regni ipsius consortes, ac participes reddit.*

16 Plura ad rem congerit B.Albertus tanti viri doctrina, ac pietate digna, tandem concludens: *Hoc planum est videre in omnibus Postcommunionibus per totum annum, si quis eas diligenter inspiciat: omnes enim illas ordinauit Gregorius ad orandum ea, quae dicta sunt. Et hoc saepè expressit etiam in ipsa verborum significatione, sicut hic*: Perficiant Domine tua Sacramenta, quod continent, vt quod nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus.

17 Quoad mysticum, *vltimam*, inquit Innocentius l.6.c.11. *orationem exequitur, benedictionem illam significans, quam Christus ascensurus in Caelum Luc. vlt. legitur dedisse Discipulis suis &c.* Et quoad mores, *oratio in fine Missae* (ait Hugo Vict.c.41.) *dicitur, vt recessuri ad propria orationibus muniantur Ecclesiae; ne illecebris saeculi capiantur.*

18 d *Ad* per Dominum nostrum &c. *iunctis manibus ante pectus, ad medium Altaris accedat*: sed, vt aduertit Ciantes *hic*, priùs claudat Missale, & vt notat Gauantus, & Bauld. in *hanc rub.* claudat manu dextra sic, vt pars clausa respiciat Calicem. Dixi *prius claudat Missale*, quia, vt *hic* animaduertit Quartus, illius est claudere, cuius est aperire: vndè Christus Dominus, cuius vices gerit Sacerdos, repraesentatur, qui, vt dicitur Apocal.5. *aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Si tamèn Euangelium aliud à consuetò S.Ioannis legendum superstet, Missale apertum relinquat, à Ministro transferendum, ac deniquè à Sacerdote claudendum.

19 Quæ circà meritum huius clausulç, *per Dominum nostrum &c.* ad excitandam pietatem, atquè ad conciliandam ritui rectam praxim, idonea sese obijciunt, allegata habes *tit.*10.*nu.*148.149.150.* Rationes dumtaxat subnecto, ob quas ad Altaris nos (sic & Carmelitæ ex eorum Cęrem.) medium pergimus ad *per Dominum nostrum &c.*

20 Et quidem mystica statim obuiat verbis consonans de Domino nostro IESV CHRISTO, Dei mediatore, & hominum, qui fecit vtraquè vnum, vt per eum, quidquid petimus, vt dicitur Ioan. 16. obtenturi simus. Historicam verò esse existimo, quod hic olim ritus communi praxi exceptus esset, Durando lib. 4. cap. 47. eum sic memorante: dextrum cornu
„ Altaris significat populum Iudaicum, sinistrum
„ verò Gentilem, Prædicatio Christi, & Euangeliũ
„ eius incepit à Iudęis, & transiuit ad Gentiles, &
„ iterum redire debet ad Iudæos; ad quod significã-
„ dum Sacerdos à dextro cornu Altaris transit ad
„ sinistrum, & è conuerso. Meritò ergo Postcommu-
„ nio, quæ est quasi finis Missæ, dicitur in dextro cor-
„ nu Altaris. Quia verò Altaris medium repræsen-
„ tat Fidem Christi, & ipsum Deum, in quem vter-
„ què populus vnitur, reducitur, & finitur; ideò *Per*
„ *Dominum nostrum* &c. quod est quasi finis Postcom-
„ munionis, ibi dicitur. In recognito verò Missali Romano, vt notat Castaldus *in sua praxi l.* 2. *sect.* 8. *cap.* 8. *num.* 7. suis quidem, ijsquè dignis ex causis, dictum est: *quibus finitis, claudit librum, & reuertitur ad medium.*

21 * Hic obitèr aduerto, quod hæc Missalis Rom. recognitio, & emendatio præstita fuit, post B. Pium

Pium V. à Clemente VIII. anno 1604. Pontificatus sui XIII. Sub eiusdem Pontificatus anno XI. hoc est, anno Christi 1602. nouissimè reformatum fuit Missale nostrum, vt patet ex Breui directo Generali Ordinis Magistro Xauierre. Hinc factum suspicor, vt, cum in dicta reformatione nostri Missalis nonnihil studij appareat, ipsum conformandi (salua ritus nostri integritate) cum Missali Rom. in ijs præsertim, quæ explicatione indigebant, in huiusmodi tamen minutioribus, quæ Missali Rom. aduenerũt, adhuc discrepemus. Et sanè, Castaldo huiusmodi explicationes seù emendationes Rom. Missalis recogniti recẽsẽte, facta à me collatione cum nostro, cognoui, discrepãtiam superextantem ex emendationibus, seù explicationibus ipsis, vt plurimum, prouenisse; puta, de cooperienda Purificatorio Patena post dictum, *Suscipe*; de capite inclinando ad *item tibi gratias agens*; in Calicis consecratione; de cubitis super Altare ponẽdis in sumptione Corporis Christi; de extendendis, statim coniungendis, manibus, & huiusmodi alijs, quæ in recognito Missali Rom. matura rei disquisitione præmissa, præscripta sunt. Antiqua itaquè praxis ritibus nostris, quibus inhæsimus, fauet, aut saltem non obest.

22 *e Orationem super populum.* Antiquitus sub finem Missæ eulogiæ, de quibus *tit. de Offertorio num. 7.* sermo fuit, hoc est particulæ ex pane benedicto, distribuebantur; subsidio hoc spirituali (cum altero de pacis osculo, ex B. Alberto *c. 21.*) frequenti, ac quotidianæ Communioni suffecto, vt notat Beleth *Diu. off. cap.* 48. In Quadragesima verò, ne frangeretur ieiunium, teste Honorio in Gemma l. 1. cap. 67. Beleth

loco

loco cit. atquè Alexandro Alen. *de off. Miss. p. 3. §. 4.* non distribuebantur Eulogiæ; sed loco earum diecebatur, quæ adhùc dici perseuerat, alia oratio, appellata *super populum*, ex quo Gregorius *in suo Sacramentorum libro* sic eam inscripsit. Et inclinantur tunc capita, vt ostendatur, in ieiunio animas humiliari.

23 Audiant moderni, qui viam mandatorum adeò dilatant. Antiquitus ne particulam quidem panis benedicti, de ieiunio non violando cauti, sumere audebant. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, intonat Psalmista; non cùm ipsam dilatasti mandatorum viam. Enim verò, Euangelista referente, *arcta est via, quæ ducit ad vitam.*

24 Aliàs tamèn *in tempore Quadragesimali* (inquit Hugo Vict. de specialibus Missæ obseruat. l. 3. cap. 3.) *præter illa, quæ alijs temporibus in officio Missæ inseruntur, superadditur vltima benedictio, quæ* Oratio super populum *intitulatur; quia si omni tempore necesse est, paratum esse contrà aduersarium, quantò magis in procinctu? In eò enim tempore scit aduersarius noster, cõtrà se ab Ecclesia parari conflictum.* Quod & habetur apud pluries cit. Amalarium Fortunatum Episc. Treueren. *Eccl. off. l. 3. c. 37.* his verbis: *Sacerdos noster, vt prudens agonotheta, & pugnator, quantum in maiori periculo videt milites fore, tantum munit eos ampliùs sua benedictione.*

25 Et quia, ex eodem ibidem Amalariò, arma nostra contrà Diabolum superbiæ auctorem potissimùm est humilitas, seù, vt loquitur *illic* Hugo, *quia quanto maior est deuotio, tantò magis prodest benedictio*, propterea ad altare conuersus Sacerdos iubet, vt humilientur capita Deo. Scriptum namquè est: *oratio humilian-*

miliantis se nubes penetrabit.

26 ℣ *Ite, Missa est.* Sacerdos denique optans in primis, ex Magno Alberto cap. 23. vt recedentes à Templo non recedant à Domino, sed satagant, vt Dominus semper cum eis in omnibus agendis maneat, & nunquàm ab eis recedat, dicit *Dominus vobiscum*: cui minister communi nomine respondet, *& cum spiritu tuo*; *quia perfector Sanctitatis*, subdit Albertus, *spiritualia semper, & non corporalia, etiam post Missam, semper operatur in populo*; sicquè mutua salutatione Communione indicata, Missaquè perfecta, potestas abeundi deniquè fit per verba, Ite, Missa est, *hoc est*, inquit Albertus, *ad propria redite, & de virtute in virtutem proficite*, Psal. 83. ibunt de virtute in virtutem &c. *Quod autem addit* (post plura de ea re, subdit Albertus) Missa est, *intendit, quod Hostia oblata iàm ad dexteram Patris missa sit, vt ibi nos Patri in se offerat, & ibi nos incorporatos sibi societ, & locum paret, sicut dicitur Ioann.* 14. Vado parare vobis locum. Respondet Minister *Deogratias, supple*, inquit Albertus, *referimus; quia de tanto percepto Sacramento ab omnibus gratiæ sunt agendæ, ne dicatur nobis illud Lucæ* 17. Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo.

27 Consonans Magno Alberto est expositio, quam D. Thomas *hic ar.* 4. *ad* 9. tribuit verbis *Missa est*: *Hostia scilicèt*, inquit (Christus Hostia nobis missa à Deo) *ad Deum per Angelum missa est, vt sit Deo accepta*. Innocentius etiam l. 6. ca. 12. *Ite missa est*, ait, *idest redite ad propria, quia oblata est Hostia salutaris*. Vix ab his dissonat Stephanus Eduen. *de Sacram. Altaris cap.* 18. Hostiæ autem, & oblationis nomenclatura præsupponitur in hoc Sacrificio, quia in eo conten-

tus,

tus, ac memoratus Christus IESVS, *tradidit semetipsū* (verba sunt Apostoli Ephes. 5.) *pro nobis oblationem, & Hostiam Deo, in odorem suauitatis*, hoc est Deo acceptissimam, pro nimia, ex qua processit, charitate: modus loquendi in lege veteri vsitatus *Gen*. 8. *Exod*. 29. vbi accepta Deo sacrificia odor suauitatis nuncupātur.

28 Sensum verò potius mysticum Amalarius attendens *l*.3.*off*.36. Etenim, ait, Dominus ante Ascēsionem in Cęlos duxit Discipulos in Bethaniam, ibiquè benedixit eos, & ascendit in Cælum; hunc morem tenet Sacerdos, vt post omnia Sacramenta consummata, benedicat populo (per Orationem) atquè salutet. Dicitquè Diaconus, *Ite, Missa est*. Singularis etenim legatio Missa est pro nobis ad Patrem, habens indicia suæ secùm passionis. Et post pauca, pietati sanè consentanea. O vtinam, subdit, quando audiuimus, *Ite, Missa est*, mens nostra ad illam Patriam tendat, quò Caput nostrum præcessit, vt ibi simus desiderio, vbi desideratus cunctis gentibus nos expectat cum suo trophæo, quatenus, sic desiderando, aliquando ad eum peruenire possimus, qui ità Patrem supplicat pro nobis Ioān. 17. *Volo Pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus*. Eadem habet Durandus, atquè Alexander Alenbic, & his antiquior Innocentius III. *l*.6.*cap*.11. addens; *qui Deo* gratias *gratulando respondet, imitatur Apostolos, qui adorando*, regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, & erant semper (Act. 1.) laudantes, & benedicentes Dominum.

29 Ad morum verò instructionem Hugo Vict. l.3.c.41. *Ite*, inquit, *quasi reuertimini ad propria; sed ne sicut*

ficut à laboribus terrenis, ità ab honestis cogitationibus vacetis, Missa est, *quam audistis; sedistis ad mensam diuitis, mementote ei similia præparare.*

30 Præsistendo deniquè in sensu historico, sinceriùs ex D. Thoma *loc. precit.* ly *Missa est* intelligi sic potest, vt huic æquiualeat, ite, actio, vel precatio finita, seù completa est; iuxta antiquissimum loquendi Monachorum vsum: in regula enim S. Benedicti vbi, de publicis precibus, dicitur, *finiantur,* & cap. 10. ac 13. *compleantur,* pro eo dicitur cap. 17. *Missæ sint, & fiant.*

31 Hæc verò dimissio populi per verbum *Ite,* ab ipsis Ecclesiæ incunabulis sui originem iactare patet ex S. Clemente *l. 8. const. Apost. cap. 15.* dicente: *& Diaconus dicat; ite in pace.* Idquè solemne fuisse innuit & S. Cyprianus *lib. de spectaculis,* iuxtà expositionem Duranti *l. 2. cap. 56. num. 4.* In vetustioribus etiam Græcorum Liturgijs peracto Sacrificio mos visitur dicendi: *Ite in pace;* & in alijs: *in pace Christi eamus;* ac respondetur; *in nomine Domini;* quibus æquiualens est, in Ordine Romano exarata, atquè in Ecclesia Latina nunquam non vsitata formula; *Ite, Missa est.*

32 Nequè enim, ante impertitam hanc facultatem, discedere olim per sacros Canones licuit, vt patet ex Concilijs Agathensi cap. 47. & Aurelianensi cap. 28. *de cons. dist. 1. cap. Omnes fideles.* Quò facit illud Chrysostomi hom. de Eccl. non contemnen. *ingressus es in Ecclesiam, ò homo; ne exeas, nisi dimittaris.* Quod vtiquè incruento Crucis Sacrificio à fidelibus debetur, vt illius in se ipsis obedientiæ, ac perseuerantiæ vestigium continuò exprimant, qui in eo recolitur,

tur, *factus obediens vsquè ad mortem.*

33 g *Cùm non dicitur* Gloria in excelsis, *non dicatur*, Ite, Missa est, *sed* Benedicamus Domino; *Requiescant in pace, quando Missa est pro defunctis. In profestis autem diebus* (prosequitur Magnus Albertus) *dicit* Benedicamus Domino; *& est gratiarum actio pro perfecto Missarum mysterio, ac si dicat illud Deuter 32,* Date magnificentiam Deo nostro, *hoc est magnificas gratias;* quia Dei perfecta sunt opera. *In Missa autem defunctorum, quia illis in omnibus, & citò subueniendum est, dicit,* Requiescāt in pace, *docens, quod omnia, quæ in Missa defunctorum acta sunt, ad pacem defunctorum ordinata sunt, Psal. 4.* In pace in idipsum dormiam, & requiescam. *Et respondetur,* Amen, *hoc est fiat, vt totum dirigatur ad remedium defunctorum* Matth. 12. Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare.

34 Præclarè & D. Thomas opusc. 66. in fine, inquit, Missæ pro Sanctis inuitamur ad illam gloriā, in qua Sancti iàm requiescunt, per *Ite Missa est*, q. d. Hostia à Patre nobis Missa est, vel ad Deum à nobis remissa, ideò festinate ingredi ad illam requiem. Finis verò Missæ pro viuis hortatur nos, qui sumus in hac peregrinatione, vt demus iugitèr Deo benedictionem, & gloriam, iuxtà illud Psalmi 113. *Nos, qui viuimus, benedicimus Domino.* In fine Missæ pro defunctis eis optamus requiem per *Requiescant in pace;* quod in principio petimus similitèr per *Requiem æternam.*

35 Et hinc menti continuò Apostoli ingeruntur, qui, vt legitur Act. 1. *regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, laudantes, & benedicentes Deum;* ex Innocentio III. *l. 6. cap. 11.*

36 Hi-

36 Historica verò origo huius ritus certis diebus dicendi non, Ite, *Missa est*, sed *benedicamus Domino*, est ex Micrologo cap.46. cui subscribit Bellarminus *de Miss. cap* 27. quia in diebus non festiuis, cum generales Conuentus non celebrarentur, religiosi Missarum solemnijs, ad quę conueniebant, completis, nō recedebāt, igitur adhuc Canonicis precibus insistere assuetis, (vti vel nunc fit), non indicendū: fuit *Ite*; sed potiùs inuitandi ad permanendum in Dei laudibus per, *Benedicamus Domino*. Sed hoc non verificatur in Dominicis Aduentus, & Quadragesima, in quibus fiunt Missæ solemnes, & ad quas populus cōcurrit, & tamēn in eis non dicitur *Ite, Missa est*, sed *Benedicamus Domino*. Respondet Bellarminus *ibidem*, hoc fieri tunc, ad significandam mæstitiam illius temporis; videtur enim nescio quid lugubre præseferre, quod non publica denuntiatur dimissio, sed vnusquisquè per se discedit. Cæterum Bona *l.2. cap.20. nu.2.* absolutè censet, tunc potiùs dimissionem olim omissam, cum fideles omnes, Missarum solemnijs peractis, non statim abibant, sed permanebant in Ecclesia, donec, recitatis canonicis precibus, & Statione soluta, abire fas erat; deinde hunc morem extensum ad Missas minùs solemnes, & quotidianas.

37 Dicit autèm *Benedicamus Domino*, verso vultu ad Altare, quia, vt notat Micrologus *d.cap.*46. peculiari ibi modo Dominus adest; sic & *Requiescant in pace*, quia est sermo de absentibus, vt obseruat Gauantus *in hanc rub.* Versus verò ad populum pronūciat, *Ite, Missa est*, quia populum alloquitur, quem dimittit.

38 h *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.* Habetur hec

hec oratio per extensum in Micrologo *cap.23.* necnon, teste Bona, in omnibus Missalibus etiam scriptis ante millesimum.

39 In initio Missæ fidelium, hoc est in Offertorio, *præmittitur* (inquit D. Thomas in princip. opusc. 66.) *quasi prologus oratio, & inuocatio Trinitatis,* Suscipe Sancta Trinitas &c.* Respondent vltima primis; dum tunc dicimus, *Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero,* in præparatione, nunc *Placeat tibi Sancta Trinitas hoc Sacrificium &c. quod obtuli,* in perfectione.

40 Hanc orationem ad hymnum Sotus hic refert, quem Christus Dominus dixit, terminata iàm Cæna, ex illo Matth. 26. vbi refertur, *& hymno dicto, exierunt in Montem Oliueti:* Orationem alij inquiunt significari, quam secretò (vndè & nos eam secreto pronuntiamus) propter metum Iudęorum Apostoli vnanimitèr faciebant, vsquè ad Pentecostem. Vel deniquè cùm D. Bonau. philosophari piè possumus, *quod in Cælis pro nobis Christus orat, repræsentatione sua passionis, & vulnerum; & quod postea iterum se ostendet (in iudicio.)*

41 i *Osculetur altare.* Cum Altare Christum referat, qui & ipse est altare Dei, Altari osculum figens Sacerdos ostendit, ex Innocen. l. 2. cap. 15. omnia in eo compleri, quod Sponsa, idest Ecclesia, voti compos fiat, suspirâs; *osculetur me osculo oris sui.** Missā itaquè cum osculo incæpimus, connubium, signatè veluti, denotantes, vt ibi diximus, Christi Domini cum Ecclesia: mediauit & osculum, dum gratia, quæ ad connubium ipsum conducit, repleri expetijmus; terminat Missa per osculum, connubium ipsum iam consummatum demonstrans; de quo Christus IESVS in

Cruce

Cruce moriens ait: *consummatum est.* Triplex itaque osculum triplici vnioni respondet, scilicèt hipostaticæ, gratuitæ, beatificæ. Faxit Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, vt, vnione hypostatica mediante, quam primo osculo diximus significari, gratuitam, quam secundum, ac demum beatificam, quam hoc tertium connotat, assequamur in Cælis; *Osculetur me osculo oris sui.*

42 Ritu Rom. pluries Sacerdos osculatur altare, ex causis vtique congruentijs plenis. Nos autem, vti & Carmelitas, non nisi tria oscula exhibere nouitati nemo adscribat; nam sub initia Ordinis nostri in Ecclesia Romana hæc praxis fuit, ex Innocentio III. l. 6. c. 6. ac qui Innocentiū præcesserunt, Durandus, & Alexander Alen. *ad designandū* (inquit Innocentius) *tres vniones in Christo Sacerdos ter osculatur altare; videlicèt vnionem diuinitatis ad animam, diuinitatis ad carnem, & carnis ad animam. Vel vnionem, qua vnita est Christo humana natura, sancta Ecclesia, & fidelis anima.* Et triplici paci tria oscula respondere temporis, pectoris, & æternitatis docet Durandus cap. 39. vt, ait, de pace temporis per pacem pectoris transeamus ad pacem æternitatis. Etiam D. Bonauentura de expos. Missæ *Triplex*, inquit, *pax in tribus osculis designatur; quia Sacerdos altare tribus vicibus osculatur; scilicèt in principio Missæ, in medio, in fine. Nam cum Christus nasceretur in principio temporis pacem secum attulit: vt ad edictum vnius hominis describeretur vniuersus orbis. Hæc pax designatur in primo osculo, quod in initio Missæ Sacerdos Altari imprimit. Secunda pax est pectoris, & signatur in secundo osculo, quod Sacerdos facit in Canone, quando dicit;* Supplices te rogamus. *Christus*

namque cùm mortem pro nobis pertulit nos Deo, & Angelis pacificauit, & pacem pectoris nobis donauit. Et ad hanc pacem confirmandam pectus, & latus cum lancea aperiri voluit, & ad pacem sui cordis nos intromisit. Tertia pax æternitatis figurata est in vltimo osculo altaris. Christus namque consummatis omnibus, quæ de eo scripta fuerunt in lege, & Prophetis, post in Cœlum ascendens, Patri nos reconciliauit: sic & Missa peracta pacem æternitatis nobis parauit.

143 * Ex dictis facilè deduces, consultò Crucem huic tertio osculo ritu etiam nostro non præponi; quæ haud dubiè omittenda est, cùm neque in Missali Xauierre auctoritate Apostolica castigato, neque alibi quid simile inueniatur.

144 I *Benedictio Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper.* * Huiusmodi benedictionis formula, qua vtuntur etiam Carmelitæ, inter Pontificales connumerata extat in codice Vaticano. nu. 4743. vti refert Card. Bona l. 2. cap. 16. sic concepta: *Benedictio Dei Patris Omnipotentis, & Filij, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper: Amen.* Desumpta videtur ex Psal. 113: *Benedictio Domini super vos, super vos, & super filios vestros*; cùm dixisset Dominus per Moysen: *inuocabis nomen meum super filios Israel, & ego Dominus benedicam eis*: Sicut altera antiquissima Ritus Rom. consonare videtur Psalm. 62. *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.*

145 Huiusmodi benedictio Sacerdotis morem antiquum tenet, vti notat Amalarius *Eccl. off. l. 3. cap. 37.* vt in nouissimo porrigatur. Iacob Patriarcha in nouissimo vitæ suæ benedixit filijs suis *Gen. 49.* Similitèr

litèr scriptum est de Moyse Deut. 33. *Hæc benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei filijs Israel ante mortem suam.* Denique & ipse Saluator Dominus ante Ascensionem suam in Cælum benedixit Discipulis suis. *Et vt cætera prætermittam*(Concludit Amalarius) *SS. Patrum exempla, causa compendij breuitèr dico. Quando familiarem affatum habemus cum seruis Dei, more Religionis nostræ, antequam separemur ab illis, in vltimo benedictionem petimus.*

46 Mysticè *benedictio*, (ait Gemma l. 1. cap. 68. cui consentit Innocen. l. 6. cap. 14.) *quam Sacerdos post Missam super populum facit, est spiritualis benedictio, quã Spiritus Sanctus in die Pentecostes fidelibus attulit, quando credentes omni benedictione spirituali repleuit.* Neque obstat, quod in nomine totius Trinitatis fiat benedictio, quia, vti addit loc. cit. Innocentius, licèt Spiritus Sanctus specialitèr missus fuerit in Apostolos, quia tamèn indiuisa sunt opera Trinitatis, missionem illam tota fuit Trinitas operata. Alitèr D. Bonauentura *dicit*, ait, *Ite Missa est, & populum benedicit, quod significat, quod veniet in iudicio, & se nobis ostendet, & fidelibus suis dabit benedictionem suam; & tunc læti vadent ad mansiones suas, de quibus dicitur in Ioan.* In domo Patris mei mansiones multæ sunt &c. & alibi, *Venite benedicti Patris mei &c.*

47 Sinceriùs tamèn hanc benedictionem ad eã Porrecta cap. 16. cùm alijs refert, quam Christus Dominus in Cęlum ascendens Apostolis impertiuit Lucæ vlt. *eleuatis manibus suis benedixit eis.* Et hac admissa expositione, meritò, vt ibidem notat Porrecta, orationem immediatè præcedẽtem profunda inclinatione comitamur, vt id exprimamus Apostoli,

Ephes.4. *Quod autē ascēdit, quid est, nisi quia & descen-dit primū in inferiores partes terræ?* idest ad Inferos, glossat D.Thomas 3.p. qu.52.art.1. cū tamen Caietanus *in Apost. ibi*, de descensu Filij Dei in mundum ea verba intelligat.

48 Ex dictis infertur, cur in Missis, quæ mæstitiā redolent, & in quibus, vt cum B. Alberto aiebam, ad remedium in Purgatorio existentium totum dirigitur, benedictio omittitur: * quam quidem non nos prætermittere decreto Capituli Gen. Bononiæ habiti anno 1252. iussi eramus, quod fuit in praxi vsquè ad Capitulum Romanum, excepto, quando præsens erat defunctus. Sed postmodum eam & nos missam facere statutum est. Nequè verò hoc fuerat nostrorū inuentum. In alijs enim Ecclesijs mos ille præcesserat; & Bona hanc signanter se legisse refert in quodā Missali MS. *Deus, qui est vita viuorum, & resurrectio mortuorum, benedicat vos in sæcula sæculorum.*

49 Huius verò ritus benedicendi antiquitas ex omnibus Liturgijs græcis colligitur. An autem ritu antiquo in Ecclesia latina factum sit, vt populus in fine Missæ à quocunque Sacerdote (quoad Episcopos enim, qui peculiari modo, vt notat D.Th. 3.p.q. 83.ar.5.ad 6. Christū repræsentant Episcopū animarum nostrarum, nulla superstat dubitatio) benedicatur, adhùc sub iudice lis est; de qua plura Bona *l.cit. c.20.* Multus, & acerrimus est pro parte affirmatiua Micrologus *c.21.* Licèt enim Damasus Papa hoc Presbyteris non licere dicat, mendositatem tamen exemplaris fefellisse ex eo suspicatur, quod Magnus Leo, & B. Gelasius eius successores in Ecclesiasticis officijs apprimè eruditi in decretis suis; vbi diligentissimè

quid

quid Presbyteris liceat, quidue non liceat, describūt, nullatenus illis benedictionem, nisi Episcopo præsente (vndè est, quod & nunc caput ipsi præsenti inclinamus, quasi veniam petentes) interdixerūt. Et D. Hieronymus *ad Rusticum; si Presbyter, inquit, Christum consecrat, cùm in altario Dei Sacramenta benedicit, benedicere populum non debet, qui Christum meruit consecrare?* Pro sententia verò negatiua nec suæ desunt rationes, de qua plurima habentur apud Menardum *in notis ad librum Sacrament. pag. 27. 28. 29.* Admitto ego, nunquam alicubi hanc praxim defuisse; sed alicubi etiam desideratam (ea missa faciens, quæ *ibidem* allegat Menardus) indè conijcio, quod ex antiquo ritu à benedictione danda Carthusienses adhuc abstinent, & Innocentius III. nonnisi benedictionis ab Episcopo impertitæ meminit.

50 * Et hinc est, quod in antiquo nostro Ordinario l. 2. p. 9. sic legitur: *Et si consuetudo patriæ fuerit, & extranei fuerint hoc expectantes, det benedictionem secundùm morem patriæ.*

51 m *Det benedictionem vnita cruce populum signans. Hæc benedictio,* inquit loco mox cit. Innocentius, *per verbum oris, & signum Crucis exprimitur; quoniam missio Spiritus Sancti per sonum aeris, & linguam ignis innotuit; Act. 2.* Factus est repente de Cælo sonus tanquàm aduenientis Spiritus vehementis, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis &c.

52 In hac verò benedictione impertienda grauitèr in primis sese gerat Sacerdos, reminiscens, nunc potissimum locum habere, quod docet D. Antoninus Dominica 3. post Pasch. *Manus Domini est Sacerdos.* Erectus de cætero, & versus ad Altare, ac manibus

iunctis dicat; *Benedictio Dei Omnipotentis*; continuò, manibus iunctis, nec non oculis ad terram demissis, ad populum se conuertat, à parte Epistolæ motum ducens; extensaque manu dextera cum digitis vnitis, manu sinistra posita infrà pectus, populum benedicat dicens: *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; atquè integrũ circulum perficiat, subnectendo; *descendat super vos, & maneat semper*: hæc ex Cærem. Carmelit. ac respectiuè ex Romani Missalis expositoribus *in hanc rubricam*, in eo reformatam, quod dictum est, *eleuat ad Cælum oculos, & manus, quas extendit, & iungit*; vt notat Castaldus *in sua praxi l. 2. sect. 8. c. 8.*

53 Crux verò duabus lineis, recta vna, transuersa altera, formanda est. Recta ducatur à fronte ad pectus, brachio nec prorsus protenso, nec nimis iacente; secundam ducendam esse manu trãsuersa eius palma Sacerdotis pectus aliquantulum respiciente, vult Tonellius *hic*, refutans Bonamici opinionem *p. 1. obser. 9.* sentientis, ità formandam, vt palma manus terram directè respiciat: sed magis mihi placent Castaldus *loc. cit.* & Quartus *in hanc rub.* consulentes, etiam secundam lineam transuersam ducere manu recta, quo modo cum Eucharistię Sacramento super populum Crucem formamus.

54 In hac de cætero Cruce formanda grauitèr, necnon morosè sic se gerat, vt Personarum proprietates in ipso signo indicentur: eleuet manum ad *Patris*, quia est principium Trinitatis, deprimat ad ventrem vsquè, ad, *& Filij*, quia à Patre genitus, à Patre item missus in Vterum Virginis, in ventre ipso terræ sepultus: ducat deniquè lineam transuersam ad, *& Spiritus Sancti*, qui medium obtinet locum, tanquam cha-

charitas, ac nexus Patris, & Filij; tertio tamen loco, quia à Patre, Filiôquè procedit.

55 n *Manu dextra totalitèr extensa*; hoc est manu plena, digitis omnibus vnitis quidem, sed extensis; quo melius Christi Domini gestus exprimitur, de quo absolutè dictum est *eleuatis manibus benedixit eis*, & in Psal. fuerat prædictum *aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*.

56 Fuerunt olim, vt refert Steph. Durant. *de ritibus Eccl. Cath. l. 2. cap. 46. nu. 10.* qui, duobus digitis conjunctis, cruces exprimebant, quo indicarent duas in Persona Christi naturas contrà Monophysitas, qui, quo vnicam in Christo docerent naturam, vno digito signabant. Et hanc aliquando fuisse in signis super Oblata formandis Ordinis nostri praxim, affirmandi in antiquiori nostro Ordinario argumentum fortasse non deest dicente l. 2. p. 6. *faciat Crucem cum duobus digitis, ità quod index sit desuper, & medius subtus*. Alij verò tribus digitis hæc signa effingebant, quod signatèr super Oblata fieri olim consuetum in Ecclesia Rom. coniecimus ex Innocentio III. *l. 2. cap. 45.* Et huiusce ritus à nobis vsitati congruentiæ rationes alibi adductæ sunt, quæ cùm cessent, vbi Sacrificium iam missum est, & Sacratissimæ Triadis mentio in verbis habetur, propterea dictum est in rubrica: *hic manu dextra totalitèr extensa*.

57 o *Alia via ad Altare reuertatur*, hoc est per gyrū, quasi gaudens, & psallens cum Dauide: *circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis &c.* Aliàs sic perfecto circulo omnes circumadstantes se benedicere ostendit: & prætereà breuior fit via ad Altaris cornu, in quo vltimum Euangelium legendū

Kk 4 est,

est, ex Gauanto *in hanc rubr.*

58 Quod si ante se ipsum in Choro Fratres, aut Moniales habeat,& populum ante altare, adhùc conuersus astantem populum, intentione ad omnes directa, benedicat, ac circulum perficiat; ità Gauantus,& Bauld. *in hanc rub.* Quod si vnicus esset minister, toties dictum reminiscamur, personam eum gerere omnium Missam audientium, immò etiam (suo modo) vniuersitatis fidelium, *qui licèt absint per molem corporum* (vt loquitur S.Petrus Damiani in epilogo opusc. de Dominus vobiscum) *præsto tamen sunt per vnitatis Ecclesiasticæ Sacramentum.* Et Sacerdotem, vt ibidem ille affirmat, *à Conuentu fidelium etsi localc spatium diuidit, cum omnibus tamèn vnitas Fidei in charitate coniungit.*

59 p *Crucem cum pollice super Altare in loco Euangelij, vel super librum signet*: hoc est super principium legendi Euangelij, vt explicatum est in Missali Rom recognito, ex Castaldo *l.2.sec.8.c.8.*

60 Hanc verò in rubrica subintellige accommodam distributionem; Crucem super librum signet, si Euangelium peculiare legendum sit; si commune, nempè S.Ioannnis, si adest solita tabella illud continens, eam signet; si deniquè nec Euangelium particulare ex Missali legendum sit, nec tabella commune continens adest, vel in promptu non est, ipsius prolationem fidens memoriæ, signet Altare: ità in simili Rom. Missalis explanatores.

71 q *Initium S.Euangelij secundùm Ioannem &c.* B. Pius V. in sua reformati Missalis editione hoc demùm Euangelium regulariter statuit legi, ad iugem recordationem Incarnationis Verbi: de quo fusim

Sua-

Suarez disp. 83. sect. 1. Anteà verò sine certa lege, ex sola consuetudine, à quibusdam dici, ab alijs omitti, pro cuiusquè arbitrio solebat, teste Bona *hic* De eo proptereà silent antiqui, necnon qui B. Pium V. præcesserunt, rei Liturgicæ Scriptores: licèt aliqua hic genericè lectio insinuetur in Liturgia S. Petri, nec non in altera S. Simeonis Syracusani.

62 * Nos paritèr nonnisi in Comitijs Generalibus Romæ celebratis anno 1589. huiusce Euangelij enuntiationem in fine Missę decreto firmatam habuimus; cum anteà Sacerdotis ad Sacristiam regressi arbitrio relicta esset, antiquo Ordinario dicente: *Euangelium S. Ioannis*, In principio, *cum Collecta*: Omnipotens sempiterne Deus dirige actus nostros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti Filij tui mereamur bonis operibus abundare, Qui tecum &c. *præmisso*, Dominus vobiscum, *poterit dicere deponendo vestes, vel post depositionem*; quod & præscriptum extat in quibusdam Missalibus MSS. Bibliothecæ Vaticanæ, vt mox dicemus; & idem vel nunc practicatur ab Episcopis post Missarum solemnia.

63 Huiusmodi verò Euangelij enuntiatio prædicationem menti ingerit, quã in fine Mundi Enoch, & Elias, quibus & Ioannem comitem futurum aliqui asséuerant, exercebunt. Sed cùm in cornu Altaris, quod Gentilibus adscribitur, proferatur, præadductis conformius sanctæ prædicationis exercitium obuiat, quod post Ascensionem Christi Domini in Cælum, post missum, qui omnia eos docuit, Paracletum, diuisi per orbem terrarum Apostoli ad gentium conuersionem aggressi sunt; ex Ruiz *in suo Cæremon.*

64 r *Signet pollice &c. vt in primo Euangelio fa-*

ctum

*tum est:** intellige quoad signũ frontis, oris, & pectoris, vti apertè dicitur in rubrica Generalium Xauierre, ac Rodulphij, & vti aduertit Ciantes *l.3.p.p.c.13.* A maiori ergo signo Crucis abstineamus. Prætermittitur etiam in fine Crux, necnõ osculum libri, seù tabellæ, vt aduertunt Gauantus, & Bauldry *in simili Missalis Rom.* Et ratio esse potest, quod hæc recitatio Euangelij quodammodo priuata excludit solemnitates; vndè nec canitur in Missis solemnibus, vti aduertit Lopez *de ritu Missæ.*

65 ſ *Neque tunc temporis complicet Corporale.** Antiqua quædam Missalia MSS. Bibliothecę Vaticani, vti refert Bona *hic*, hoc ipsum Euangelium legendũ proponunt vel post Vestium depositionem, vel in vestibus deponendis. Et Missale Sarisburiense in regressu ad Sacristiam dici præscripserat.

66 * Non ergo mirum sit, à rubrica Missalis Xauierre nos iussos fuisse, inter enunciandum ipsum Euangelium Calicem in totum componere. Hinc errandi occasio nostris quibusdam fit, qui aut negligẽtes, aut nescientes statutum Generalis Capituli alibi cit. immediatè post Communionem Corporale non plicant, plicant autèm (error peior priore) in enunciando vltimo Euangelio. Rubrica Missalis nouissimi lectione vtiquè indiget, non glossa; quam potissimum pro præsenti temporis circumstantia executione minimè fraudandam sciamus, ne Euangelio tàm alta continenti Vulgo minùs nos intenti videamur.

67 t *Ad, Verbum caro factũ est, genu dextrum flectat.** Genua flectere ad hæc verba tum Celebrãtem, tum audientes iussit Generale Capitulum Valentiæ anno 1596. quod tamen iuxtà alibi deducta de vnico

genu

genu, respectu Celebrantis in priuatis Missis, intelligendum est.

68 In emendati Missalis Rom. rubrica (notat Castaldus *l. 2. sect. 8. cap. 8.*) additur: *versus cornu Euangelij*. * Quod quidem velle & rubricam nostram explicat Ciantes *l. 2. p. p. c. 13.* & patet ex ipsa rubrica paulo ante dicente: *Dum Euangelium prosequitur, iunctis manibus, intento vultu ad Euangelij cornu respiciat*: & continuò subdit: *ad Verbum caro factum est; genu dextrum flectat*; ergo adhuc intento vultu ad Euangelij cornu: cùm nãquè ad *Homo factus est* in symbolo ad medium digredi Sacerdotem voluit, præscripsit. In quo disparitas in eo relucet, quod id in symbolo per modum professionis profertur, quod hic per modum doctrinæ; *doctrina autem euangelica* (notat D. Thomas 2. 2. q. 56. ar. 1. ad 2.) *est doctrina perfectionis*; congruentiæ idcircò militant, quæ de primo Euangelio allegatæ sũt tit. XIII. litt. B. n. 224. &c. vbi plura alia habes, quæ huius loci sunt, sed, ne actum agam, omitto.

TI-

TITVLVS XXX.

De regressu ab Altari ad Sacristiam.

RVBRICA.

Cùm ad finem Euangelij peruentum est, tùm Calicem à Corporali ad cornu Euangelij seponat; a *complicet Corporale, complicatum in Bursam recōdat, & ad cornu Epistolæ locet; & Calicem ad mediū Altaris deferat,* b *Calici Velum super extendat, & Velo Bursam superponat, Veli partē anteriorem super Bursam reducendo, vt fecerat, cùm ad Missam accesserat. Deindè* c *caput Deo deuotiùs inclinet, & cooperto ambabus manibus capite Amictu, Deum deuotius laudans, ad Sacristiam Calicem deferat,* d *dicendo canticū* Benedicite, e *ordine, quo venerat, reuertatur.*

NOTÆ.

69 a Complicet Corporale.* En quando vult rubrica nostra, Corporale complicari, & continuò Calicem aptari. Datur interim ministro tempus cōmodius, extinguēdi candelas, quarum alteram extinguendo, ante completum vltimum Euangelium, indecenter agi notat Bauldry *hic*, & peccati venialis noxam

xam contrahi sentiunt P. Trimarchi, & Franciscus de Nigro. Inde, vt innuit Porrecta c. 16. sub typo Corporalis luminis, ille continuò repræsentatur, qui inquit Ioan. 9. *Quamdiù sum in Mundo lux sum Mundi.* Apostolis etiam, quorum prædicationem, ad cineres vsque exercitam, per hoc Euangelium significari prędiximus, dictum est: *vos estis lux Mundi.* Et huiusmodi mysticæ lucis, seù luminis in hoc Euangelio iterata habetur expressio.

70 b *Calici Velum superextendat:** intellige adaptando; nam velo Calix iàm coopertus supponitur ex rubrica anteced. *in fine.*

71 c *Capui Deo deuotius inclinet*; vel genu dextrū flectat, si in Altari Sanctissima Eucharistia, etsi Tabernaculo occlusa, existat. Ly *deuotiùs* maiorem quādam concernit exterioris hominis profunditatem, quæ humilem indicet animi, cælestibus imbuti, compositionem.

72 * Non exprimit rubrica, quo loco hæc inclinatio, & respectiuè genuflexio facienda sit; ex eo tamen, quod subdit: *& coopertò ambabus manibus capite Amictu &c.* manifestè colligitur, inclinandum esse, antequàm accipiatur Calix, & descendatur infrà gradus. Consuetudo nihilominus apud nostros obtinuit, vt infrà infimum Altaris gradum hæc iterum inclinatio, seù genuflexio exhibeatur. Non ego eam reprobo, sed & commendo; enim verò etiam rubrica Missalis Romani nonnisi vna vice infra supremum gradum inclinare iubet, & tamen eius explanatores Gauantus, & alij, praxi approbante, inclinare proponūt etiam, antequàm descendatur ad gradum infimum. In simili ergò rubricæ nostræ simile peragendo consulto

fultò agitur. Et tunc descendens Sacerdos à suppedaneo Altaris, motum ducat à parte Epistolæ, & aliquantulum versus cornu Euangelij, reuerentiæ causa, ne scilicet terga vertat Cruci, retrahat se.

73 d *Dicendo Canticum Benedicite &c.* * In antiquo Ordinario *l.2.tit.de Missis priuatis* dicitur; *Psalmis, & orationibus alicuius deuotionis, quæ scripta non sunt, vt dicantur, sicut* Iudica me Deus *ante Missam*, Benedicite Sacerdotes *post Missam; seruitorem non impediat.** Cautum itaquè nobis est, ne dicantur persistendo in altari, non autem in accessu, ac respectiuè in regressu; sicut à rubrica nunc præscribitur de integro cantico *Benedicite*.

74 Hoc canticum ex peruetusta consuetudine dici in vestibus exuendis asserit Micrologus cap. 23. & eiusdem recitationem Concilium Toletanum IV. cap. 13. tanti fecerat, vt negligentes anathemati subdidisset; vti notat Gauantus *hic* post Radulphum *prop. 23.*

75 Hoc cantico debitis Deo reddendis gratijs impares nosmet agnoscentes, creaturam conuocamus omnem, ad nobiscum Deo benedicendum. *Ideo hymnū trium puerorum*(habet Gemma Animæ de antiquo ritu Missæ l.1.c.3.)*scilicet* Benedicite, *post Missam cantamus; quia Dominum pro omnibus beneficijs suis benedicimus, quem post in sæculum sæculi laudabimus.*

79 Exemplum in hoc nobis Apostoli præbuerunt, ex Innocentio III. l.6.cap.11. dum Luca referente, *regressi sunt in Hierusalem, & erant in templo laudantes, & benedicentes Deum*: quò & respicit, ex eodē *ibidem* Innocentio, qui subnectitur Psalmus *Laudate Dominum in Sanctis eius*: quem etiam psalmum, cum

suis

suis versiculis,& orationibus, * licèt rubrica nostra non præscribat,& rubrica etiam Missalis Rom. directiua in hoc sit, non præceptiua, vti firmat Quartus *in hanc rub. dub.3.* ea tamen non prætermittere optimi,pro re,quæ agitur,consilij est.

80 e *Ad Sacristiam,ordine,quo venerat, reuertatur* Magister à Porrecta *cap.16.* Christum IESVM ascẽdentem in Cælum in hoc regressu Sacerdotis ad Sacristiam meditandum proponit,secundum quod prędictum est Isaiæ *63 gradiebatur in multitudine fortitudinis suæ*;& dictum Act.1.*Nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Ad Apostolos aliàs regressus ipse referri potèst,qui,cursu deniquè consummato,institiæ coronam recepèrunt in Cælis, dulcisonis illis verbis excepti: *Venite benedicti Patris mei;percipite regnum,quod vobis paratum est ab origine Mundi*.

81 * Ad Sacristiam verò cum venerit, Imagini principali,quæ in ea reperitur, inclinet,vti ex nouo Missali Rom.aduertit Castaldus *cap.6.nu.4.* quod & includitur in verbis: *ordine,quo venerat, reuertatur*; ideſt quicquid facere iussus est in accessu, præstet & in regressu.

82 Vestes autèm sacras decet, vti & obtinuit consuetudo,exui ordine retrogrado; & quas in induendo,osculatus est,Stolam scilicèt,Manipulum,& Amictum,in quibus Crux extat,osculo non destitui.

83 * In depositione Albæ primò exuat brachium dexterum,eoquè subtùs ipsam Albam immisso, inferiorem eiusdem Albæ partem eleuet ab eodem la... suprà caput, atquè parte ipsa sinistro ... ...cere posita,brachium sinistrũ exu... ...umero superiusquè expositori... ...ars ex Missali Rom. ...ibus, quibus, rubrica nostra tacente

te

te, vti pluries diximus, conformari debemus; eò libétius, quod Fratrum nostrorum opera ad Romanum Missale reformandum B. Pius V. & ipse ex Ordine nostro assumptus, vsus fuit, vti dictum est tit. 2. prælim. num. 47.

84 Vestium depositioni suum & ipsi adinuenit mysterium Magister à Porrecta *loc. pracit.* cùm namque in earum assumptione passionem, & mortem à Christo IESV intentam dixerit præsignari, hîc demũ adaptat, quod habet Apostolus Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.*

85 * Qui Missæ inseruijt, prostratus ad pedes Sacerdotis, veniam petit, si in aliquo circà seruitium deliquerit; dicit demùm Sacerdoti; *Benedictus Deus;* quo subiungente, *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus,* recedit cum benedictione. Totum hoc conforme est speciali nostræ rubricæ inscriptæ *de seruitoribus Miss.* Ceterum reminiscamur, non debere tunc Sacerdotem manu, sed verbo dumtaxat ministro benedicere, seipsum ad summum signando; non enim licet simplici Sacerdoti, immo nec Prælato, etiam Episcopo, extrà locum suæ iurisdictionis huiusmodi benedictionem impertire extrà Missam, siue extrà aliam Ecclesiasticam functionem, in qua benedictio ipsa expressè non concedatur; de quo vide Barbosam *in dec. Apost. V. Abbas.* Et indè est, quod apud nostros Priore inferior (in Completorio E. G.) benedicens, non dicit; *Benedictio Dei &c. super vos,* sed *super nos,* se ipsum signãdo.

86 Depositis vestibus accedat Sacerdos ad manus abluendas, vt quæ Corpus incorruptibile contrectarunt, vti monet Durandus, corruptibile non

con-

contingant, donec studiosè lauentur, sic reuerentia exigente: vndè nec desunt, qui hanc ablutionem sub veniali peccato debitam opinentur. Et indè etiam admonemur, quod nullius remanere, nullius redire par est peccati maculam, vbi tàm sancta introierunt Sacramenta. *Hæc munditia* (inquit Iuo Carnoten. de conu. vet. & noui Test.) *exhibetur exterius, sed interius perfici iubetur, quia omnis gloria filiæ Regis ab intus.*

89 In locum deniquè consuetum secedat, Regem Cæli, & terræ, felicitatis æternę Abyssum, beatitudinis Speram, quem suis amplectitur præcordijs, officiosè, ac blandiens prosequuturus: ad quod, vltrà preces in tabella de more expositas, ac nostro Officiolo B. MARIÆ insertás, opportunus vtiquè est Psalmus 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius: benedic anima mea Domino &c.* Nũc potissimum locum habet Domini præceptum Matth. cap. 16. *intra in cubiculum tuum*, hoc est cordis tui, vt glossant Augustinus, Hieronymus, Ambrosius. Qui Hospes in tuo moratur stomacho petit intra cor excipi: *præbe fili cor tuum mihi*; præmium etiã proponens Apoc. 3. *si quis aperuerit mihi intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum.* Quis ergo non exultet cum Dauide: *paratum cor meum Deus, paratum cor meũ?* Et inuitantem Oseæ 2. *ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*, quis non sequatur cũ sponsa Can. 1. *trahe me post te*: & alibi: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.*

90 Non itaquè sit, qui saltem per horæ quadrantem (quo ad minus Species Sacramentales durant in stomacho) non Sponsam ipsam imitetur Cantic. 3. *inueni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.*

Reminiſcamur, per hoc Sacramentũ ex opere operato (vltra meritum ex opere operantis) gratię augmentum iuxtà menſuram diſpoſitionis continuò, in plauſibiliori ſententia, conferri, dum ſpecies Sacramentales perdurant in ſtomacho , & Sacramentum conſequentèr manet actualitèr ſumenti applicatum. Nemo ergo hanc ſpiritualis lucri anſam non arripiat. *Omnis turba*, Lucæ 6. *quærebat eum tangere , quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Et Sacerdos ab ipſo elongabitur, quem Sacramentalitèr ſibi vnitum tenet? vt proptereà inter eos numerari & ipſe poſſit, de quibus ex illo Lucæ 8. Auguſtinus ſerm. 78. cap. 8. de temp. *Corpus Chriſti multi moleſte premunt , pauci ſalubritèr tangunt:* attende rationem ex Gregorio mor. l. 20. c. 16. *premunt, & longè ſunt*, premunt viſceribus, mente longè ſunt. *Omnia habemus in Chriſto*, animaduertit Ambroſius exam. cap. 4. *& omnia Chriſtus eſt nobis; ſi vulnus curare deſideras, medicina eſt: ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi grauaris iniquitate, iuſtitia eſt ; ſi auxilio indiges, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt ; ſi tenebras fugis, lux eſt; ſi cibum quæris, alimentum eſt. Et ſanè quantam de ipſo corpore* (verba ſunt Chriſologi ſerm. 34.) *ſumere poſſunt medicinam, quando mulier* (Matth.) *totam rapuit de ſola fimbria ſanitatem?* Horreſce, quod ſubdit. *Sed quod nobis flendum eſt , mulier de vulnere medicinã tulit, nobis medicina ipſa cõtorquetur in vulnus*. Et quod attinet ſingularitèr ad nos Sacerdotes, *heù miſeri* (exclamat idem Chriſologus ſerm. 13.) *qui quotidiè Corpus Domini tractamus, & ſumimus, & à noſtris vulneribus non curamur! Non Chriſtus infirmitatibus , ſed fides* (& deuotio) *deeſt*. Etiam D. Thomas opuſc. 58. c. 15. *tali, verè*, inquit, *miſerabilis dici poteſt, ad quem tàm*

ma-

magnum bonum frequentèr venit, & nullum exinde spirituale lucrum accipit. Et quia haud dubiè, *cui multum datum est, multum quæretur ab eo, atbitror:* (ait Chrysostom. hom. 2. in act. Apost.) *inter Sacerdotes multos esse, qui salui fiant, sed multò plures, qui pereant*; insonante Domino per Oseam. 5. *Audite Sacerdotes, quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi.*

91 Non me latet sententia, cui assertio innititur excusantium excusationes in oscitantia, ne dicam in peccatis, asserentium nempè, sufficere ex genere suo publicas orationes, seù gratiarum actiones post Communionem in Missa, nec huiusmodi priuatas requiri, vt peccatum euitetur, dummodò non indè scandalum suboriatur. Quidquid enim de ea, nec satis tuta, sententia sit, nonnè *turpissima est iactura* (vt Seneca loquitur) *quæ per negligentiam fit*? Nonne, D. Bernardo aduertente serm. 1. in cap. Ieiu. *gratiarum cessat discursus, vbi recursus non fuerit*? Et deniquè siccinnè illiberalitèr, &, vt ità dicam, *ad apicem iuris* ages cũ Domino Deo tuo? *qui cum sit omnipotens plus dare non potuit*, (loquor cum Augustino tract. 27. in Io:) *cùm sit sapientissimus, plus dare nesciuit; cùm sit ditissimus, plus dare non habuit.* Qui Tobię 12. beneficum Angelũcognouerunt, *tunc prostrati per horas tres in faciẽ benedixerunt Deũ; & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius*: tu cognouisti Dominum in fractione panis, & tædet te vel horæ quadrantem Domino benedicendo concedere? Dices fortasse negotijs te premi? Sed quodnam isto maius negotium excogitabile est? *Magna miseria* (inquit D. Franciscus in opusc.) *& miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis.* Nauseat

fortasse anima tua super cibo isto diuinissimo, quòd ad se te reuocant cæpe, & allia huius Mundi? Non dijudicas Corpus Domini, & contra monitum Domini Io. 31 *Scitis, quid fecerim vobis*, nescire, aut saltē negligere ostendis, quid tibi Altissimus fecerit; & notam consequentèr ingratitudinis non euadis.

92 *Primus ingratitudinis gradus* (ex D. Thoma 2. 2. q. 107. ar. 2. in o.) *est, vt homo beneficium non retribuat; secundus est, vt dissimulet, quasi non demonstrans, se beneficium accepisse; tertius, & grauissimus est, quod nō recognoscat siue per obliuionem, siuè quocunquè alio modo.* Scio quidem, eodem Angelico Magistro *ibidem ar. 3.* docente, nec non Caietano explicante *in D. Th. ibidem ar. 1.* ingratitudinem infrà contemptum formalem non esse lethale peccatum. Sed nón ego huiusmodi, qui Diuinissimum Hòspitem intrà se adhuc retinentes alienantur, extrà se egrediuntur, non illi officiosè blandiuntur, increpabo? *Beneficium non retribuis*. Seù etiam? *Dissimulas quasi non demonstrans, te beneficium accepisse.* Quòd si ad nugas etiam, ac scurrilitates statim digrederis, non addam? *Beneficium non recognoscis per obliuionem*, atquè, quodammodo, per contemptum.

93 Aures itaquè nunc potissimum demus psallenti; *effundite coram illo corda vestra.* Repetamus cum Sponsa; *tenui eum, nec dimittam, donec introducat in cubiculum genitricis meæ*, dum cubiculum, ex D. Bernardo, signat gratiam. Sicquè pro tanto collato nobis beneficio gratiarum actiones iteremus; procedamusquè per gradus à D. Thoma loco præcitato propositos. *In gratitudine*, ait, *primum est, quod homo acceptum beneficium recognoscat*; considera ergo excel-

len-

lentiam doni secundum se; sublimitatem, affectumque donantis; vilitatem deniquè eius, cui donum præstitum est. Audi Clem. V. Clem. de Rel. Sanctorū exclamantem: *ô larga, & prodiga largitas, vbi donator venit in donum, & donum est idem penitus cum donatore!* Audi & Apostolum Rom. 8. *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Audi & canentem Poetam *Mendoz. in Virid.*

O Amor in quales rerum mutare figuras
Membra potes diuina! cibum de Numine condis.
Nectareos misces diuino è Sanguine potus!

94 Et *qui tantum tibi viaticum* (notat Chrisologus serm. 95.) *parauit ad victum, quid in mansione perpetua non parauit?*

95 Et hinc nosce te ipsum. *Quis* (Deum Seraphicus Patriarca *in opusc.* alloquitur) *quis ego Domine? Quis tu? Tu Abyssus essentiæ, Sapientiæ, bonitatis; ego abyssus nihili, ignorantiæ, malitiæ.* Et quomodo te geras, cum eo, quem tuis præcordijs amplecteris, argumentū à fortiori habes ex Augustino *med. cap. 34.* dicente: *Miserum me! quomodo sic insensata facta est anima mea, vt non terreatur terrore nimio, dum stat ante Deum, & suas illi laudes decantat? Miserum me! quomodo sic indurruit cor meum, vt oculi mei indesinentèr non producant flumina lacbrymarum, dum conseruus sermocinatur coram Domino suo, creatura cum Creatore; qui factus est de limo cum eo, qui omnia fecit ex nihilo?* Consimile argumentum obuiat ex Miphiboseth *lib. 2. Reg. cap. 8* vbi, eum allocuto Dauide, *tu comedes panem in Mensa mea semper,* Miphiboseth *adorans eum dixit: quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuū*

ſimilem mei? Quid ergo te dicere par eſt? dum *Verbũ carnem*(verba ſunt D.Bernardi de Cæn.Dom.) *Deus cinerem, figulus lutum, vita morticinium induit; vt iumẽta manducarent panem Angelorum.*

96 *Secundum eſt*, proſequitur D.Thomas, *quod laudet, & gratias agat*. In Spiritu ergo contribulato, in corde contrito, & humiliato effundatur in laudes, gratias rependat: hæ namquè ſunt *Sacrificium laudis*, de quo per Pſalmiſtam Dominus teſtatur, *honorificabit me*; hi ſunt *Vituli labiorum noſtrorum* Oſeæ ca. 14. *Sacrificium labiorum noſtrorum*, ait D.Hieronymus, *eſt laus, & gratiarum actio*: quò & reſpicere videtur id pſalm.75. *cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi*.

97 Verùm infinita quadam obligatione, & immenſo debito ſe Deo obſtrictum, ideòquè compenſationi omninò imparem ſe agnoſcens, exoptet, à Deo ſibi tradi vniuerſa corda, ſiuè quæ in Cælo, ſiuè quæ in terra ipſi Deo accepta ſunt; vt immenſam gratitudinem è tot cordibus reſultantem eidem ſuo Deo vno corde rependere poſſet: atquè etiam Spiritus omnes Cæleſtes, Sanctorumquè ordines inuitet, vt proprios defectus ſuppleant, ſummam Dei bonitatem, miro adeò modo in filios adoptionis effuſam, laudibus extollendo, gratias inceſſantèr agendo.

98 *Tertium eſt*, concludit D.Thomas, *quod retribuat pro loco, & tempore ſecundum ſuam facultatem.* Sed quid retribuemus Domino, pro his, quæ ritribuit nobis? Audi D.Thomam 2.2.q.106.ar.6.ad 1. *In recompenſatione beneficij magis conſiderandus affectus, quàm effectus*. Gratiarum ergo actioni tui ipſius oblationẽ adnecte, eius obſequio, amori, honori, cogitationes.

nes,verba,opera,vitam denique ipsam emancipando; nam & hoc est, quod dicitur Ioan.6. *Qui manducat me,viuet propter me*;idest,glossat Cartusian.*ad honorem, & gloriam meam ordinabit vitam suam.Tunc verè* (monet Gregorius l.4.dial. cap.69.) *pro nobis Hostia erit Deo,cum nos ipsos Hostiam fecerimus*; nosmetipsos nempè Deo in cordis contritione mactantes Ad hanc rē, atquè etiam ad finem, quem huic operi impono,facit oratio S.Ignatij Loyol.in lib.exercit.Spirit. *Suscipe Domine vniuersam meam libertatem;accipe memoriam, intellectum,atquè voluntatem;quicquid habeo,vel possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo; ac tuæ voluntati trado gubernandum; amorem tuum solum cum gratia tua mihi dones,& diues sum satis; nec aliud quicquam vltrà posco* [illegible]

99 Finem huius operis epistola encyclica coronet Seraphici mei Compatriarchæ Francisci, ex eius
,, opusc.Audite Domini,filij,& fratres mei, auribus
,, perpicite verba mea.Inclinate aures cordis vestri,
,, & obedite voci Filij Dei. Seruate in toto corde
,, vestro mandata eius,& consilia eius perfecta men-
,, te implete.Confitemini ei,quoniam bonus,& exal-
,, tate eum in operibus vestris.Tanquam filijs se no-
,, bis offert Dominus Deus.Deprecor itaquè omnes
,, Fratres,cum osculo pedum,& cum charitate, qua
,, possum,vt omnem reuerentiam,& omnem honoré,
,, quantumcumquè poteritis,exhibeatis Corpori, &
,, Sanguini Domini Nostri IESV Christi, in quo,
,, quæ in Cælis, & quæ in terris,sunt pacificata, &
,, reconciliata omnipotenti Deo.Rogo etiam in Dó-
,, mino omnes Fratres meos Sacerdotes, qui sunt,&
,, erunt,& esse cupiunt Altissimi, quod quandocun-

" què voluerint Missam celebrare, puri, & purè fa-
" ciant cum reuerentia verum sacrificium Sanctissi-
" mi Corporis, & Sanguinis Domini nostri IESV
" Christi, sancta intentione, & munda, non pro vlla
" terrena re, nequè timore, vel amore alicuius ho-
" minis, quasi placentes hominibus. Sed omnis vo-
" luntas, quantùm adiuuat gratia Omnipotentis,
" ad eum dirigatur, & soli ipsi Déo summo tantùm
" placere desideretis, quia ipse solus operatur ibi,
" sicut sibi placet. Quoniam sicut ipse Dominus di-
" cit, *hoc facite in meam commemorationem*; si quis ali-
" ter fecerit, Iudas traditor efficitur. Recordamini
" Fratres Sacerdotes, quoniam scriptum est in lege
" Moysi, quod transgredientes in corporalibus, sine
" vlla miseratione, per sententiam domini moriebã-
" tur. Quanto maiora, & peiora meretur pati sup-
" plicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinẽ
" testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus
" est? & Spiritui Sancto contumeliam fecerit? Despi-
" cit enim homo pollutus, & conculcat Agnum Dei.
" Quoniam, sicut dicit Apostolus, non dijudicans, &
" descernens sanctum panem Christum ab alijs ci-
" barijs, vel operibus indignis, indignus manducat,
" cum Dominus per Prophetam dicat, *maledictus ho-
" mo, qui opus Dei facit negligenter, vel fraudulenter.* Et
" propter Sacerdotes, qui nolunt ponere super id
" cor in veritate, condemnat nos dicens: *maledicam
" benedictionibus vestris.* Audite Fratres mei. Si Bea-
" ta Virgo MARIA honoratur (vt dignum est) quia
" ipsum portauit in Sanctissimo vtero suo; Si Bea-
" tus Ioannes Baptista contremuit, & non audebat
" tangere Domini Verticem; Si Sepulchrum, in quo
per

„ per aliquod tempus iacuit,sic veneratur: quantum
„ debet esse sanctus, & iustus, & dignus,qui non iã
„ moriturum,sed in æternum victurum, & glorifica-
„ tum,in quem desiderant Angeli prospicere, con-
„ trectat manibus,corde,& ore sumit, & alijs ad su-
„ mendum præbet? Videte dignitatem vestram,Fra-
„ tres Sacerdotes, & estote sancti, quia ipse Sanctus
„ est. Et sicut super omnes propter hoc mysterium
„ honorauit vos Dominus Deus, ita & vos propter
„ hoc mysterium diligite eum,reueremini, & hono-
„ rate. Magna miseria,& miseranda infirmitas, quã-
„ do ipsum sic præsentem habetis, & aliquid aliud
„ in toto mundo curatis. Totus homo paueat, totus
„ mundus contremiscat,& Cælum exultet, quando
„ super altare in manibus Sacerdotis est Christus
„ filius Dei viui. O admiranda altitudo! O stupen-
„ da dignatio! O sublimitas humilis, quòd Domi-
„ nus Vniuersitatis,Deus, & Dei Filius sic se humi-
„ liat, vt pro nostra salute sub modica Panis formu-
„ la se abscondat? Videte Fratres humilitatem Dei,
„ & effundite coram illo corda vestra,& humiliami-
„ ni,vt & vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vo-
„ bis retineatis vobis,vt totos vos recipiat, qui se
„ vobis exhibet totum.

FINIS.

IN-

INDEX

RERVM.

A

B

Bre-

Al-

F

G

Genu-

Iesu

I

K

L

Lu-

M

Mel-

Missę

Mis-

N

O

Offer-

P

Pa-

Præ-

S

Ve-

V

FINIS.

Plures errores irrepserunt, præsertim in asteriscis, in numeris, auctorumquè citationibus. Eorum, quos animaduerti maioris notæ, correctionem subÿcio.

	Errata	corrige
Pag.41.v.5.	Missali adde	deriuari
46.v.31.	nequaquàm absolutè	nequaquā, absolutè
55.v.31.	porrigendi;	porrigere
58.v.28.	sed nec	sed &
107.v.2.	debitam adde	proponit
124.v.21.	litt.1.n.1130.	litt.0. n.30.
129.v.10.	væ væ	væ væ
138.v.27.	bona	Bona
141.v.1.	*vxit*	*vnxit*
142.v.1.	eum	cum
146.v.21.	inesperat	irrepserat
167.v.5.	vetus	verus, vt ait Innoc. *hic*,
ibidem v.15.	ar.12.	ar.17.
173.ver.17.	cap.15.	cap.14.
192.v.31.	(Epistolam) *audiuimus* adde	*Psalmum audiuimus*
221.v.28.	respondet	respondeat
233.v.2.	Calicis, vtraquè manu	Calicis vtraque manu,
250.v.31.	anno 1500.	circa annum 1090.
276.v.12.	& Carmelitæ eundem habent)	& Carmelitæ) eundem habent
283.v.24.	Albiganen	Albinganen.
290.v.8.	Gregorij adde	(editum apud Micrologum excipe)
303.v.15.	*obloquium*	*obsequium*
314.v.28.	Bernardino	Bernard.

340.

317.v.19.	indie	indice
340.v.23.	ad terram,vsquè	ad terram vsquè
358.v.31.	Post consecrationis	Post consecrationē
363.v.10.	c.25. adde	,Micrologus
372.v.8.	tempore adde	,vt & notat Durandus,
375.v.3.	Quo attinet	Quod attinet
380.v.vlt.	àm	iàm
389.v.11.	Pacem	Pace
391.v.12.	persecutiones	percussiones
430.v.1.	Doctores	Doctore
439.v.11.	ob innocentiam hoc	ob innocentiam per hoc
441.v.21.	3.Thom.	D.Thom.
443.v.4.	ait;Durandus	ait Durandus
479.v.4.	quid	ad quid
490.v.5.	coaptatis	coaptatos
496.v.23.	ide	ideò
498.v.1.	Hugo;Card.	Hugo Card.
509.v.5.	Sincerius ex D.Th.loc.prec.	sinceriùs
511.v.8.	indicendum;fuit	indicendum fuit
513.v.15.	Durandus,& Alexander	Durando, & Alexandro
519.v.25.	in rubrica:*hic*	in rubrica hic:
523.v.1.	in priuatis Missis	in Missis

